Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VII. PARS I.

LIPSIAE. MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Pataui apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

QH
7
C66
v.7
SCNHRB

I.

Hiſtoire naturelle générale et particuliére avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tome ſixiéme, à Paris de l'imprimerie royale. 1756. 4 mai. 1 alph. 21 pl. tab. aen. 57.

h. e.

Hiſtoria naturalis generalis et particularis, cum deſcriptione muſei regii Tom. VI.

REuoluimus nuper * ab illuſtribus viris BVFFON et DAVBENTON ſuper hiſtoria naturali elaborati operis volumen quintum, quod in ordine nunc ſextum excipit, in quo de beſtiarum ad venandum aptarum natura atque indole plura perſequuntur. Primum in p. 3.
arenam producitur felis, perfida illa inquilina, quae ad alium moleſtiorem inquilinum expellendum ſeruatur. A natura praedatrix publica, bona vero educatione obediens, blandiens quaſi impoſtrix eſt. Be- p. 4.
neuolentiae erga homines ſpeciem tantum praebet. Quod ad animi indolem, quae cum forma corporis et temperamento conuenit, felis eſt lepida, facilis, apta, munda, voluptuoſa, in primis femina amori magis dedita, quae marem ad amorem incitat, quamuis coitus magnis cum doloribus coniunctus eſt. At-

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 243 ſqq.

que haec obſeruatio notatu valde digna eſt; ſiquidem
in omnibus fere animalibus obtinet, quod mares ad
venerem foeminis procliuiores ſint hasque ad coitum
p. 5. diuerſimode ſollicitent. Catuli felium ſunt viuaces,
lepidi, vigiles, atque a natura perfectiores venatores
canibus. Monachi graeci inſulae Cypri feles docu-
iſſe dicuntur ſerpentes capere. At quia hae beſtiae
debilibus animalibus inſidiari ſolent, ad eius modi ve-
nationem magis vi indolis, qua ad deſtruendum prae-
ditae ſunt, quam ex obedientia adſuefieri paſſae ſunt.
Quia odore carent acri, beſtias non perſequuntur, ſimul
p. 7. ac ab oculis abſunt. Cur vero beſtiis inſidientur,
eius rei cauſſa in oculorum conformatione habetur,
quippe in quibus contractio et dilatatio pupillae tam
inſignis eſt, ut quae in tenebris pupilla larga et ro-
tunda fuit, ea interdiu oblonga fit atque tam arcta, ut
fere ad lineae figuram comprimatur. Quo fit, ut haec
animalia noctu melius videant, quam per diem: id
quod in noctuis, eodem modo ſe habet. Incolunt
quidem domus, ſed non plane domeſticae, prorſus
potius liberae beſtiae ſunt, plurimae ſemiferae. Abs-
p. 8. portatae quam longiſſime reuertuntur, quia faciliori
negotio priſtina loca reperiunt, quam latibula nouae
terrae detegunt. Fugiunt aquam, frigus, foetorem;
amant vero loca calida, res bene olentes, quare her-
ba ab ipſis denominata, quae eſt mari ſpecies, germa-
nis *Katzenkraut*, maxime capiuntur. Quia earum
dentes tam breues tamque male poſiti ſunt, ut ma-
gis ad cibos lacerandos, quam conterendos inſeruiant,
poſſunt lente et difficulter dentibus molere. Ideo
quaerunt praeſertim carnem ſubtilem, piſces. Felis
fera cum domeſtica gignunt catulos, ideoque ambae
p. 10. ad unam eandemque ſpeciem pertinent. Haec, ſi
catulit, deſerta domo, ſaepius feras in ſiluis indagat,
domum poſtea reuertens; quam ob rem domeſtica-
rum quaedam feris ſimiles ſunt. Tamen utraque
interioribus differunt. Domeſticarum inteſtina fera-

rum

rum longiora; hae illis validiores ac maiores, labiis
nigris, auribus erectis, cauda craſſa, coloribus fir-
mis ſunt. Quodſi vero domeſticae fiunt, earum pi-
li ſubtiliores, colores varii, atque in zona fauente pili
longiores, concinniores, ſpiſſiores, colores vero
amoeniores, ut niger et ruber rauus, griſeo-fuſcus
cinereus facti ſunt. Praeter feras dantur domeſticae p. 20.
labiis et plantis pedum nigris, domeſticae labiis ru-
bris; domeſticae, quae etiam hiſpanicae nominan-
tur, carthuſianae et tandem angorienſes. Harum
ſingulas deſcribit Cl. DAVBENTON. Feles ferae a
domeſticis longitudine pilorum et inteſtinorum diſtin-
guuntur, quippe quae in feris tertia parte breuiora
ſunt. Angorienſes reliquis domeſticis, immo feris, p. 23.
maiores videntur, quod pilis longioribus frequentio-
ribusque munitae ſunt. Linguam felis Auctor in
apice admodum tenuem deprehendit, papillis acutis,
pilorum inſtar tectam. Caput oſſeum ſimile eſt ca- p. 38.
piti canino, quamuis cute et pilis veſtitum, eidem
admodum difforme ſit. Dentes numerantur triginta,
et in his quatuor tantum molares in utroque maxillae
ſuperioris latere, et tres in utrolibet latere maxillae
inferioris. In muſeo regio inter alia ſeruantur qua- p. 49.
tuor foetus felium per chordam umbilicalem inter ſe
coniuncti, et varia inſuper felium recens natarum
monſtra.

Finita igitur hiſtoria felis naturali, cum qua ſimul
enarratio animalium domeſticorum finitur, Auctores
noſtri ad explicationem beſtiarum ferarum accedunt,
deſcriptione cerui orſi, nobiliſſimae ferae, quae ho-
minum nobiliſſimis voluptati eſt. Praemittitur ta- p. 55.
men breuis tractatio de beſtiis feris in genere; quas
Auctor frui dicit libertate et amore, unicis illis natu-
rae beneficiis, quibus prae homine gaudent. Nul-
lius enim vi ſubſunt, niſi climatis, quod ſua tempe-
rantia et manſuetudine eas emollit, nec ſinit eſſe tam
feras et truces, ut in zona torrida et frigida. Quem- p. 57.

admodum enim clima tempeſtatis excedentis, res
producit, quarum qualitates a mediocritate vehemen-
ter recedunt; ita in temperata zona res producuntur
temperatae: cuius rei inſigne documentum vel hoc
eſt, quod magnitudo et forma rerum naturalium,
animalium, herbarum cet. tanquam qualitates fixae
et determinatae, ab climate aeque dependent, ac qua-
litates rerum relatiuae. Hinc magnitudo et ſtructu-
ra noſtrorum quadrupedum a vaſtitate corporis ele-
phantini aut Rhinocerotis inſigniter diſtant; maximae-
que aues noſtrae ad ſtruthio-camelum aut caſearium
p. 60. comparatae admodum paruae ſunt. Interim bruta
fera in genere animalium, nec ipſo homine excepto,
minimam generis mutationem patiuntur. Iisdem
nempe alimentis ſemper veſcuntur; eidem ſolo ma-
nent affixa, neque a quopiam, quam ab homine, in-
feſtantur, quem, ubicunque locorum degit, terror
comitatur, in ſui ſimiles bellum et in pecudes im-
p. 66. manſuetas ferocia. Nunc ad ceruum cum Auctore
accedimus. Ad hunc capiendum cognitio, experien-
tia adquiſita, regii adparatus, homines, equi, canes
ad unum omnes bene exercitati atque edocti requi-
runtur. Venatoris eſt, eius aetatem atque ſexum ve-
ſtigiis et excremento diiudicare. Ea melius expreſſa
ſunt in ceruis maribus, quam in feminis, quum prae-
ſertim quater cornua accipiunt. Hoc ſicca aeſtate
detegitur. Magna aſtutia utitur, ut venatores effu-
giat; flectit curſum; at repertus iam feſſus eſt, canes
vero ardentiores fiunt, quo debilitatior et quo arden-
p. 71. tior ceruus eſt, tandem praeceps fit in aquam. Opti-
mum agitandi tempus eſt ver et autumnus, moleſtiſ-
ſimum hiems, ſi nix cecidit. Tempore verno cor-
nua fiunt decidua, prius hieme miti, tardius aſpera
p. 73. ac diuturna. Simulac longitudinem iuſtam ac firmi-
tatem acceperunt, arboribus adfricant ad ea decorti-
canda. Inde etiam pro ratione arborum cornuum
color a non nullis dicitur. Traduntur catulorum

cornua laeuia, baccis paucis non adeo calorem ducere, ac ſenum ceruorum baccis ſpiſſis; quoniam hae ſuccum cornua tingentem retinent. At ceruorum, locis arboribus orbis incluſorum, cornua aeque ac aliorum infecta erant: quae ſi fuſca ſunt, catulire incipiunt, ſeniores cerui primum, iuniores ſerius. Duo ſi conueniunt, certant de cerua. Virtute pares minitantur ſeſe inuicem, unguibus terram pulſant, rugiunt vehementer, impetum in ſemet ipſos faciunt, trudunt ſeſe inuicem cornibus ramiſque paene uſque ad mortem. Certaminis finis alterius aut caedes aut fuga eſt. Scimus etiam duo ceruos ita inter ſeſe certaſſe, ut uterque ceciderint. Videri itaque poſſunt eorum capita cum contortis cornibus in arce Friburgi Saxoniae noſtrae propter Oneſtram, ubi etiam plura ſingularia de ceruis ſpectanda dantur. Hoc catuliendi tempore, quod quotannis bis accidit ſaepius, parum edunt, minime dormiunt cerui. Vnde vero p. 80.
oriuntur cornua, quibus interdum ceruae ornatae dicuntur? Ex pabulo, eodemque abundanti, ex quo tum cornua, tum liquor ſeminalis originem ducunt. Id, quod ex eo cognoſcere licet: quodſi enim tempore, quo cornua decidua ſunt, organa, quibus ſemen ſecernitur, per caſtrationem deſtruuntur, noua in locum deciduorum nunquam proueniunt. Deinde etiam cerui, qui ſufficienti ac pingui pabulo, item quieta vita utuntur, cornua pulcra, excelſa, ſpatioſa, in digitatam palmam figurata, firmis truncis, plenis baccis, multis longis ac firmis ramis habent. Quod aliter eſt in ceruis, qui male valent. Atque haec eſt cauſſa, cur feminae damae, capreae, alcae cornibus careant, quia minus, quam mares edunt, et ſi abundantia adeſt, praegnantes fiunt, et alimentum ad alendum foetum adhibent. Repugnat quidem rangifer femina, cornibus praedita. At hoc exemplum probat magis, quam ut ſit contrarium, quia cornuum incrementum tempore praegnationis non impe-

 ditur.

p. 84 ditur. Praeter ea eorum natura ligno ſimillima eſt, at-
que pars cerui tantum accidens, quae quotannis ro-
bore ac magnitudine creſcit. Inter ea pro ratione pa-
buli, magna, ſubtilia, laeuia in humidis et fertilibus
regionibus, contra ea in ſiccis et infecundis breuia,
dura et grauia ſunt. Idem valet de magnitudine et
forma ceruorum. Nam cerui campos, valles colles-
que, ubi plus frumenti creſcit, habitantes, maiori
corpore excelſioribusque cruribus praediti ſunt, prae
ceruis ſiccas, aridas, ſaxoſas regiones, habitantibus,
inter quos corſicanus minimus vel quaſi ceruorum
p. 96. pygmaeus eſt. Quod ad eorum colorem attinet, is
giluus, interdum fuſcus, itemque ruber, raro albus
eſt; Cornuum vero iuxta, ac pilorum ad beſtiae na-
turam ad aetatem et aerem ſe fingit, itemque ad na-
turam interioris texturae. Quia muſices amans eſt
ceruus, paſtorum auena aut tibia capitur, quibus
p. 100. etiam venatores utuntur ad eum capiendum. Poſt-
haec Cl. DAVBENTON phyſicam deſcriptionem cer-
ui perſequitur. Ceruus, qui inter animalia rumi-
nantia refertur, a tauro non magnopere diſtat, prae-
ſertim conformationem corporis internam et inteſti-
norum ſi ſpectes. Ea autem, quibus differt, ſunt
veſica fellea, qua caret ceruus, figura renum, ſplenis
glandisque, et cauda breuior; his addi poſſent cor-
nua cerui ſolida et ramoſa, atque in maxilla eius ſu-
p. 103. periori uncinuli duo. Cornua ſubſtantiae propemo-
dum ligneae ſunt, ad quam ſaltim propius accedunt,
quam ad materiam corneam. Noua dum excreſcunt,
in capite primo ſunt mollia; mox inſtar trunci arbo-
ris exſurgunt, ramis ab utroque latere inſtructa. Cu-
te tecta ſunt cornea, ſiue cortice vaſis ſanguiferis
plena, quae incremento eorundem inſeruiunt. Sub-
ſtantia eorum indureſcere infra incipit, ſuperiori par-
te adhuc tumeſcente et molli, quae poſtquam indu-
ruit, cutis pariter dureſcit atque corii inſtar exſiccata
breui poſt decidit, aut per frictionem ad arbores a
cornibus

cornibus fruſtatim ſeparatur. Deiectionem cornuum p. 107.
Auctor eodem modo fieri putat, quo fructus maturi ex arboribus decidunt. Alio enim tempore, ſi non decidua, ne vi quidem adhibita a capite poſſunt diuelli. Catulus cerui naſcitur fere diſcolor, nec fa- p. 110.
cile unicolor fit, niſi exactis nouem menſibus. In corde cerui duo oſſa conſpiciuntur, maius aliquod cum minori altero, oſſibus in corde bouis ſimillima. Teſticulorum in ſcroto alter ante, alter pone ſiti ſunt, p. 121.
cum in tauro reliquisue quadrupedibus, tantum non omnibus, alter ad latus alterius iaceant; ſpatium enim, ubi ſcrotum dependet, teſticulis alium ſitum non permittit. Oſſa capitis ceruini pro ratione corporis lon- p. 129.
giora et tenuiora ſunt oſſibus capitis in tauro. Maxilla item ſuperior anguſtior eſt, inferior minus arcuata et occiput magis conuexum, praeſertim circa oſſa temporum. Hoc diſcrimen longitudinis in occipite ab apophyſibus oſſis frontalis deriuatur, cui cornua inſiſtunt. Dentium in ſuperiori maxilla octo inciſorum, duo medii prae reliquis ſex latitudine inſignes ſunt, ibique praeter eos, quos cum tauro communes habet ceruus, duo adhuc apparent dentes uncinati, qua ſitum et radices caninis ſimiles, ſuperne tamen non acuti, ſed rotundi ſunt. Numerus eorum, quae p. 140.
in cimelio regio ad illuſtrandam hiſtoriam cerui naturalem aſſeruantur, monſtrorum, ſceletorum, cornuum valde ramoſorum et ex parte difformium numerus ſatis magnus eſt, cuius ne potiores quidem partes indicare poſſumus.

Ceruo paene ſimilem damam nunc ſibi deſcriben- p. 167.
dam ſumit Cl. BVFFON, quae tamen ceruum fugit, nunquam cum eo congreditur adeoque nullam ſpeciem intermediam progignit; domeſticis beſtiis ſimilis eſſe videtur, atque in temperata zona reperitur. Praeter vulgarem et albam dantur hiſpanica, virginia, quae omnes in eo conueniunt, ut earum cornua ſubtilia, plana, magis in latitudinem ſe extendentia

 pluribus

pluribus ramis, quam ceruorum ſint, at decidua ta-
p. 171. men ſunt. Quando catuliunt, id, quod tardius duas aut tres hebdomadas, quam in ceruis accidit, rugiunt quam ſaepiſſime, at voce quaſi compreſſa et ſubmiſſa, tamen non adeo ardent, ut cerui, nec feminas quaerunt, quamuis de eis certant. In theriotrophio quando aluntur, duo agmina conſtituunt, quorum quodlibet duce, eaque veterrima et fortiſſima, gaudet. Ibidem certant de pingui pabulo, donec fortiores debiliores expulerunt. Amant terras excelſiores, collibus minimis. Si canibus urgentur, eodem fere dolo, ac cerui utuntur. Facile cicures fiunt, at-
p. 175. que pinguiores ſemper ſunt ceruis. In deſcriptione damae phyſica et anatomica Cl. DAVBENTON breuis eſt, quod hiſtoria cerui multa iam habet, quae hoc loco de dama repetenda eſſent. Nam ſimillima ſunt haec duo animalia cum corpore tum inteſtinis.
p. 190. Tandem et huius quadrupedis cuſtodiuntur in cimelio regio varia ſceleta, capita, cornua inſignia et non nunquam difformia, aliaque exempla bene multa.
p. 198. His ſuccedunt capreoli, incolae ſaltuum, quorum indoles ceruorum agilior, forma elegantior, motus celerior, veſtis purior, pili nitidiores ſunt. Maiore dolo utuntur ad canes eludendos, quia fortiorem ſuauioremque odorem poſt ſe relinquunt. Exeunt, cohabitant non cateruatim, ſed familiae; quae conſtant ex parentibus duobusque catulis, qui quidem tempore catulitionis a patre pelluntur, ſed praeterlapſo hoc tempore ad matrem aliquamdiu redeunt. Eo tempore, quod per decem et quatuor dies durat, et in exeuntem octobrem incidit, ſunt in amore ceruo conſtantiores atque capreis ſimiliores, praeterquam quod ſaltus incolunt et cornua gerunt. Menſis maius, hiems gelida et niuoſa ipſis periculoſa
p. 205. ſunt. Quia ſubulae eorum vulgo martio menſe prius quam arbores progerminant, cornua non arboris ſucco, aere potius tinguntur. Eaedem, ſi molles ſunt,

ſunt, ſupra modum irritabiles. Matrix cornuum eſt index, quot annos egerint, quae creſcit quotannis cornuum altitudine et ramorum numero imminutis. Propter indolem feram cicures fiunt, minime obe- p. 208.
dientes et familiares. Catuli clamant *mi-mi*, voce tamen quaerula et iuuenili; qua audita accurrit mater ad eos nutriendos. Inter ea imitatur hanc vocem venator et capreolus traiicitur globo. Capitur etiam vere, ſi gemmas, frondes virides et germina decerpit, quae eum quaſi temulentum faciunt. Propterea eorum caro edulis eſt, ex quibus praeferenda eſt capreolorum, qui ſiccas et ſublimes terras, colles, ſaltus, noualia, ſata incolunt, ubi multum aeris, ſpatii, pabuli et quietis fruuntur. In America frequen- p. 210.
tiores ſunt, in primis in Braſilia capreoli cornibus carentes, et praediti reperiuntur, quorum illi *Cuiuacu-ete*, hi *Cuiuacu-apara* nominantur. Iam Cl. p. 213.
DAVBENTON deſcribere capreolum incipit, omnium primo ad cornua maris attendens, quibus a capro diſtinguitur, ad figuram externam viſcerumque ſtructuram internam, namque in his capreolus cum ceruo, quanta eſſe maxima poteſt, ſimilitudinem habet. Extrinſecus a ceruo differt tum oculorum angulis, quibus caret, tum cauda, quae ei propemodum eſt nulla. Cornua capreoli pluribus rimis et cauitatibus gaudent ac ceruorum, baccis tamen paucioribus, iisque in parte trunci inferiori poſtica tantum conſpicuis. Memoratu dignum eſt, ſitum inteſtini coe- p. 219.
ci in diuerſis capreolis non eſſe eundem, ſed modo in regione umbilicali verſus regionem hypogaſtricam recuruatum, modo a dextra ad ſiniſtram in regionibus iliaca et hypogaſtrica extenſum: id, quod etiam in ceruis interdum obſeruatur. In corde capreolorum, ut in ceruino, reperitur os grande, modo tamen unum, et loco alterius minoris cartilago dura. Sequuntur dimenſio partium externarum internarum- p. 223.
que et in theſauro regio repoſitarum ampla recenſio. p. 237.

Abſoluta

p. 246. Abſoluta capreoli deſcriptione Cl. BVFFON tranſit ad hiſtoriam naturalem leporis, qui idem ac leuipes denotat, vel iudice VARRONE, a graeco vocabulo antiquo ab Æolibus Boeotiis λεπορις appellatur. Hae beſtiae frequentes reperiuntur et valde multiplicantur, quia ſemper ad catuliendum aptae ſunt.
p. 253. Cauſſa eſt muliebris virgae glans, quae ſemper eminet, et tam firma, quam maſculae. Quoniam etiam vulua paene videri nequit, marium quoque iuuenum neque ſcrota neque teſticuli extrinſecus in conſpectum veniunt, mas a femina aegre diſcerni poteſt. Exinde inter lepores multos hermaphroditos ſeu androgynos dari dicunt, qui alternis vicibus tum mares tum foeminae eſſent. Qui naſcuntur, naſcuntur oculis apertis, et viginti diebus poſt a matre ſeparantur, ipſi cibum quaerentes. Sed non longe abſunt a loco partus. Magis noctu, quam diu edunt herbas, radices, folia, fruges, plantas ſucci mellei, hieme vero cortices arborum, exceptis tilia et alno. Non nulli ſcriptores lepores inter animalia ruminantia, ſed falſo referunt. Nam uno tantum gaudent ventriculo et conformatione inteſtinorum a ruminanti-
p. 255. bus prorſus diuerſa. Cum oculis quaſi laborare videntur, gaudent auditu ſubtili et praegrandibus auribus, etiam ad curſum proſequendum breuioribus pedibus anterioribus, et quia plantae piloſae ſunt, fugiunt ſine tumultu. Forſitan ſoli pilos intus in ore gerunt. Eorum vita ſuperat octo annorum ſpatium.
p. 256. Ob manſuetam indolem ad educandum apti ſunt et edocti ad tympanum pulſandum et motus ſecundum menſuram faciendos. A natura etiam praediti ſunt inſtinctu ad ſeſe conſeruandos atque aſtutia ad eludendos hoſtes, quae vero celeri curſu et flectendo eo conſiſtit, non vero ſecundum ventum, ſed ſecundum oppoſium latus: qua quidem mares feminas ſuperant. Horum ſunt duo genera, montani et campe-
p. 259. ſtres. Illi et ſeptentrionales hieme albeſcunt, Ame-

ricae

ricae ſeptentrionalis incolae pilorum nunquam deflu-
uium patiuntur. Etiam obſeruatu dignum eſt, va- p. 262.
porem ex ſuo corpore exiguum excitare fumum, coe-
lo ſereno aereque puro, ac lepore in ſuum cubile re-
deunte, quem venantes exercitati e longinquo anim-
aduertunt; quod etiam VIGNEVIL DE MARVIL-
LE obſeruauit.* Quod ad deſcriptionem leporis p. 264.
phyſicam attinet, lepus variis characteribus ſimul
ſumtis a reliquis quadrupedibus, praeſertim a cane,
fele et cuniculo facile diſcernitur. Labro utitur ſu- p. 457.
periori ad nares uſque fiſſo, auriculis admodum lon-
gis, pedibus poſticis valde longis, anticis breuibus,
caudaque breui. Mari nondum adulto nullum eſt
ſcrotum, quod ubi demum in conſpectum venit, du-
plum oritur, nempe ab utraque latere unum. Par-
tes genitales maris tam ſunt abſconditae, ut niſi pro-
pius inſpiciantur, obſeruari nequeant. Vterus fe-
minae collo caret. Inteſtinum coecum ad modum eſt
longum, ſingularemque in modum compoſitum. In
loco coniunctionis ilei cum colo orificium habetur
excurrens in aliud colon minutum, formam ſacculi
oualis repraeſentans. Maxima leporum pars ſtatim a p. 268.
natiuitate in fronte pilos aliquos albos gerit, macu-
lam repraeſentantes, qnae ſtella appellatur, quaeque
ab eo ſtatim tempore, ubi pili primum defluunt,
euaneſcit, quamuis in non nullis etiam remaneat.
Virga maris abdomini non adhaeret, quod in hoc
animali plane eſt ſingulare, ſed ab eo ſeparatur.
Sexus leporum difficulter quidem cognoſcitur, eius p. 280.
tamen certa habentur criteria: nempe ſi infra anum
peritonaeum adeſt, orificio preputii tunc quatuor aut
quinque lineis ab ano diſtante, maris id eſt indici-
um; in femellis autem vulua ab ano aliter non eſt ſe-
parata, quam per eius et inteſtini recti parietes, ſeptum
unius aut duarum linearum, qua craſſitiem conſtitu-
entes. Muſaeum regium, ad illuſtrandam leporis
cognitio-

* *Melanges d'hiſtoire et de literature* T. II. p. 457.

cognitionem varia ſeruat capita, ſceleta, foetus leporum, dentes, os hyoideum cet.

p. 303. Agmen tandem claudit cuniculus lepori ſimilis, qui cum eo num coeat, dubium quidem, ſed credibile eſt. Mira tamen fecunditas eius eſt, adeo ut unum par, unius anni ſpatio ſex mille procreauerit; id quod ex eo oritur, quoniam non tantum frequentior lepore et plures catulos pariat; ſed etiam quoniam ob efoſſa latibula hoſtibus, lupo, vulpi, rapacibus auibus non tantopere expoſitus eſt. Eſt vel fe-

p. 306. rus vel domeſticus. Illius color canus, huius vero varius. Si parit, foueam linea curua effodit. Pilos ex ventre vellicat, ex quibus lectum, ad catulos in eo deponendos ſternit. Primis duobus diebus catulos non deſerit, niſi neceſſitate pabuli coactus, quod celeriter aſſumit. Per ſex hebdomadas, nutriuntur, pater filios non conuenit; at quando oram foueae attingunt et a matre praebitas herbas deuorant, tunc pater eos agnoſcit, ſumit intra ungues, lambit eo-

p. 309. rum pilos oculosque. Inter eos regnat tum pietas erga parentes, quae etiam inter poſteros viget, ut ſemper etiam auum nepotes, quamuis patres ſint, ve-

p. 312. nerentur. Quae Cl. DAVBENTON in lepore notatu digna obſeruauit, ea maximam partem in deſcriptione cuniculi repetit, eiusque diſcrimen a lepore, quod ſane exiguum eſt, oſtendit. Ad quod conſtituendum vel in primis facit inſignis illa auerſatio, quae inter haec duo animalia intercedit. Cuniculi domeſtici feris plerumque maiores ſunt, quod pabulo largiori, motuque liberiori utuntur. Pupilla ipſis rotunda eſt, et in tenebris valde dilatata; ſuperueniente luce contrahitur, fitque inſigniter oualis li-

p. 316. neolae inſtar. Cuniculi angorenſes pilis longioribus atque criſpis ſtipati ſunt. Caetera, quae Cl. Auctor de inteſtinis cuniculorum, ad leporum inteſtina comparatis, accurate diſputat, lectorum ſtudio relinquenda putamus.

II.

II.

Die Natur - Geſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die Vierfüsſigen Thiere, welche lebendige Jungen zur Welt bringen, nebſt der Geſchichte des Menſchen, entworfen von IOHANN SAMVEL HALLER. *Mit Kupfern. Berlin, bey Chriſtian Friedrich Voſs.* 1757. 8. alph. 1. pl. 18. tab. aen. 11.

i. e.

IOANNIS SAMVELIS HALLERI hiſtoria naturalis animalium ſyſtematica. Animalia quadrupeda viuipara una cum hiſtoria hominis.

In praefatione, quam operi ſuo Cl. Auctor ipſe praefixit, inſtituti rationem reddit, rationes, cur in coordinandis animalibus quadrupedibus Cl. KLEINII methodum ſequutus ſit, affert, quosue auctores in conſcribendo hocce libro conſuluerit, poſthac exponit, atque tandem animalium quadrupedum ouiparorum, auium, animalium aquaticorum, piſcium, inſectorum conchyliorumque hiſtoriam promulgaturum ſe eſſe promittit.

Qui in praeſenti in manibus noſtris eſt, liber praecipuorum animalium, hominis nimirum, phyſice conſiderati quadrupedumque viuiparorum hiſtoriam tradit, cuius ſummam ſtatim exhibemus. In generali, quam de omnibus quibuscunque animalibus praemittit, hiſtoria Cl. Auctor primo oſtendit, qualem tria iſta naturae regna inter ſe alant connexionem, quo modo iſthaec ſe habeat, et quantopere organorum ſit ſimilitudo, quae plantis prae mineralibus cum animali genere eſſe ſolet. p. 1.

Poſtmodum de varietate animalium agit, quam non ſolum diuerſa animalium figura, eorundem modus p. 1.

dus

dus viuendi, mouendi victumque quaerendi, verum etiam aliae affectiones, ut locus habitationis, indoles ingenita, vox, amor, ferocitas, moroſitas, inuidia, voracitas, generatio atque tum interni tum externi corporis conditiones determinant.

p. 21. His praemonitis homo, omnium creaturarum praeſtantiſſima, primum inter animalia Noſtro ſuppeditat obiectum, cuius proinde partes externae et internae deſcribuntur, accurateque perpenduntur, ita, ut conſideratione rite facta Auctori noſtro ipſas partes hominis cum animantium partibus comparandi data fuerit occaſio. Hominis nimirum partes fere omnes animalibus ſimiles eſſe, huncque ipſum ſibi relictum, nec ab ineunte aetate, erecto corpore ſtare, ſtatim edoctum pari modo, ac animalia quadrupeda quatuor pedibus inceſſurum eſſe aſſerit, puerique iſtius polonici inferius deſcribendi exemplo illuſtrat.

p. 57. At vero, cum homo, ut animal, conſideratus ab aliis quoad corporis originem et conditionem vix quidquam differre videatur, Noſter ideo ſuccinctam nobis tradit hominis hiſtoriam, ita, ut omnium inſimul aut ad minimum magnorum animalium inde pateat hiſtoria. A generatione initium capit, atque ea propter partes generationi dicatas deſcribit, earundem functiones recenſet, ſimulque foetus primordia in maternis ouulis latitare oſtendit, ipſa vero animalcula ſpermatica ab aliis obſeruata, non absque ratione in dubium vocat, et corpuſcula in ſemine virili reperiunda et pro animalculis habita, in ouario feminarum pariter reperiri, neque ideo animalcula, ſed alia corpuſcula eſſe putat, nihilo autem minus negat, potius ſemen viri ad generationem abſolute neceſſarium eſſe, nec absque eo foetum generari unquam poſſe affirmat. Hominis haec rudimenta in uterum delata vixque conſpicua iam nunc perpendens, incrementum eius haud lentum, vitam

omnem-

omnemque in utero mutationem, mirandamque eius excluſionem deſcribit, atque recens nunc nati, vixque in auram miſſi hominis hiſtoriam proſequitur ulterius. Omnem igitur vitae mutationem omnesque corporis affectiones recenſet, externorumque tandem ſenſuum ſufficienter facit mentionem. Hos p. 104. nunc conſiderans, organaque eorum deſcribens Noſter pronunciat, omnes hoſce ſenſus non niſi ab uno dependere, omnesque nil niſi ſubtiliorem factum ac magis magisque elaboratum explicatumue eſſe ſenſum. Quo ſubtilius enim corpus eſt, quod ſentire debemus, eo minus id, quod ſentit, latet et abſconditur. Sic, Noſtro referente, oculus omnium ſenſuum ſubtiliſſimus eſt, cum lucis radii, ſubtiliſſimas illas in oculo expanſas nerui optici fibrillas tangentes, corpuſculorum omnium minima habeantur. Praecedentibus minus ſubtiliores ſunt radii ſonori, ideoque ad hos excipiendos tali etiam organo corpus donatum eſt, quod aurem nuncupamus, quae, licet valde etiam tenera, oculi tamen teneritudini omnino cedit. Tertium ſenſum, partes radiis ſonoris minus ſubtiles diſquirentem, naſus conſtituit, atque lingua, guſtus organon continens, ſi ſentire debet, particulas odoriferis craſſiores requirit, omniumque tandem craſſiſſimus ſenſus tactus ita latet et abſconditur, ut non niſi corpora craſſiſſima eo percipi poſſint.

In deſcribendi hominis naturalis hiſtoria Noſter p. 117. progrediens notat, magnas illas in orbe terrarum olim euenientes mutationes, v. g. gentium migrationes, bella diuturna, itinera, mores cet. omne hominum genus ita diſſeminaſſe et commiſcuiſſe, ut vera hominis naturalis notio neutiquam inde erui poſſit; ſolosque forſitan homines feros ad haſce diſquiſitiones adhuc aptos eſſe dicit. Cum autem et iſti ſocialitate iam immutati appareant, Noſter ideo ſuadet, ulterius regrediendum, hominemque eo tempore conſiderandum eſſe, ubi nullis adhuc vinculis

ſocietatis adſtrictus nulloque vitio contaminatus eos duntaxat animi affectus poſſidet, qui in naturali quodam, ad conſeruandum corpus propagandumque ſui genus abſolute neceſſario, inſtinctu poſiti ac ingeniti
p. 120. iſtum ſolum de ſe ſollicitum eſſe monuerunt. Talis homo ille eſt, qui a Cl. Auctore homo quadrupes nuncupatur. Ait, licet eius modi homo imaginarius videri tantum poſſit, ſiquidem primus omnium ſtatim ab initio erecto corpore donatus fuit, tamen, meram hanc poſſibilitatem non eſſe, quiuis omnino fatebitur, cui naturalium rerum hiſtoriam euoluere placuerit. Fuerunt nimirum, qui, inter animalia fera reperti, quatuor quaſi pedibus inceſſerunt, multaque cum iisdem, quibuscum hactenus vixere, animalibus communia habuerunt. Sic v. g. anno 1694. in ſyluis Lithuanis puerum inter urſos repererunt, qui manibus pedibusque cito inceſſit, cuiusque vox, quam edebat, nullam plane cum humana habuit ſimilitudinem. Hoc pluribusque aliis, quorum mentionem facit Cl. Auctor, hominem quadrupedem non ſolum poſſibilem eſſe, verum etiam dari, comprobare ſtudet, eumque hinc deſcribens aſſerit, omnes eius partes, ob inceſſum horizontalem, aliquam in ſitu et figura pati immutationem. Talis igitur, ſecundum Noſtri deſcriptionem, quatuor incedit pedibus, caput eius, figura aliquantiſper longa praeditum, naſum planiorem, aperturam oris maiorem, mentum elongatum, aures mobiles nec appreſſas gerit, hirſutum undique eſt, atque a ſuperiori poſteriori et inferiori parte crinibus, cum barba in ſexu potiori coniunctis, obtegitur. Brachia pedes eius anteriores conſtituunt, atque anteriorem partem corporis cum gerant, firmiora ideo fiunt; ſcapulae nunc immobiles coſtis ſe adſociant, axillae in cute ſe occultantes euaneſcunt, totumque brachium una cum manu eam figuram aſſumit, quam anteriores animalium pedes habent. Verum mittamus reliquas partes

eadem

eadem ratione deſcriptas, aliorumque pauliſper mentionem faciamus. Fructus v. g. arborei huic alimenta praebent, atque, ad illos colligendos, arbores ideo ſcandit: Vngues dentesque eius arma ſunt, atque nutritio ſui ipſius, generatio et ſomnus omnes eius affectus conſtituunt. Infantum amor erga matres, harumque erga infantes, tamdiu durat, donec adoleſcant, poſtea ſe inuicem relinquunt. Tale hominum genus, naturae tantum inſtinctum ſequens, nec virtutibus ornatum, nec et ullo vitio contaminatum eſt, nihilque etiam inuenit, cum nec ſocialitate, nec ſignis ad definiendas notiones communes gaudeat. Eiusmodi itaque homines nos et iam nunc eſſemus, niſi adorandus creator primum hominem erecto ſtatim corpore donaſſet, eique ita benedixiſſet, ut omnium animalium nunc dominus ipſam Dei imaginem repraeſentare debuiſſet.

Cum autem homines unius quamuis generis, quoad mores tamen diuerſos, diuerſum etiam partium corporis habitum externum, multum varient, diuerſitatem ea propter generis humani recenſet. Vnum igitur alterumque exemplum adduxiſſe ſufficiet. Deſcribuntur v. g. Iapani, homines facie fuſca plana et ampla, corporis habitu corpulento, oculis paruis, barba tenui, nec non coma nigra. Hoc hominum genus ſuperbum, bellicoſum atque peritum, valentioribus corporis viribus praeditum, urbanum, gratum atque verborum lenociniis plenum eſſe dicunt. Paruos pedes, ut Chinenſes, magni faciunt, mature ea propter infantum pedis digitos ſub planta reflectentes. Aliter rurſus Perſi ſe habent, hique corpore magno, macilento, aſt valido, colore in prouinciis borealibus albo, inque occidentalibus flauo, eſſe ſolent. Supercilia et barbam colore nigro obducunt, caputque abradunt. Comitas eorum atque iudicium gratos illos acceptosque reddunt, et ingenio viuaci, promto proficuoque gaudent. Magnopere ſtudia,

p. 129.

 artes

artes mathematicas, arma verborumque lenocinia amant; adulatorii, voluptuoſi ſunt, ſumtui non parcunt, amore valde affliguntur, neque bene rem familiarem adminiſtrant.

p. 148. Progredimur ad ipſam animalium hiſtoriam, a generatione iterum initium capientes, cumque Cl. Auctore annotantes, omnia animalia haud prius ad generationem apta fieri, quam partes generationi dicatae facultatem hanc adquiſiuerint, ſignaque pubertatis exhibuerint. Primarium, quod fere in omnibus et homine et animalibus obſeruatur ſignum, eſt vox mutata, quae eo tempore, quo animalia ad generandum apta fiunt, et in maribus et feminis mutationem patitur. Praeter hoc ſingulis animalibus propria etiam ſunt ſigna, ſic v. g. canis mas ad generationem nunc aptus pedem attollit, inque cane femina papillae intumeſcunt. In animalibus cornutis cornua creſcere incipiunt, atque pubertatis tempore citius incrementum capiunt, aliaque alia iterum ſigna exhibent. Certa etiam eis aetas eſt, ubi generare deſinunt. Ita de homine dicunt, eum ad ſeptuageſimum uſque annum ad generationem aptum eſſe, feminam vero circa quadrageſimum quintum annum iam ſterilem fieri. Elephantum circa vigeſimum annum pubeſcere, diuque ad generationem aptum eſſe, aliaque animalia, ut canes, tam diu apta manere, donec viuant, aliis autem multo breuius tempus conceſſum eſſe referunt. Quod vitae terminum concernit, ſingulis etiam definitus eſſe ſolet terminus. Sic homo raro ultra centum annos, elephantus uſque ad centeſimum et quadrageſimum annum viuere dicitur. Alia, ut inſecta breuius tempus in terrarum orbe conſumunt, vixque alterum annum attingunt.

p. 153. Hyeme exeunte ob aerem forte clementiorem plurima animalia coire ſolent, atque complura tempore tantum verno, nec ullo alio coeunt. Multa tamen et hoc non obſeruant, ſed omni fere tempore, ut

ut homines, coeunt, aliaque iterum, ut inſecta, tempore autumni hoc opus perficiunt, ſuaque ouula deponunt. Modus coeundi varius eſt, ſic animalia quadrupeda et aues a tergo feminam inſcendunt, alia v. g. echinus et hyſtrix, ut homines, veneream rem tractant, aliisque alius modus eſt. Ratione foecunditatis animalia etiam variant; ita homo, cetus, elephantus, equus cet. unum ut plurimum gerunt foetum, alia autem in primis parua animalia, ut feles, et canes, plures foetus edere, aliaque multo minora, ut inſecta, numeroſam prolem progignere ſolent. Alia ſunt viuipara, hocque tantum maioribus et quadrupedibus animalibus conceſſum eſt, alia autem ſunt ouipara, idque auibus et inſectis proprium eſt; interdum vero et exceptio valet, e. g. lacerta ad illud genus pertinet, quod ouiparum et viuiparum ſimul eſt: ouula enim habet, haec autem in utero fouens, viuos tandem foetus excludit. Quod conceptionem concernit, haec itidem variat. Sic columbinum et ouillum genus ter et quater coitum repetunt, priusquam concipiunt, alia animalia, ut ſues et canes, unico coitu hoc perficiunt. Amor animalium feruidiſſimus omnium affectus eſt. Mares nimirum ante coitum atque feminae poſt partum quaſi ferociunt. Sic equus periculoſe undique calcitrat, ſeque ipſos dentibus aggrediuntur. Geſtationis tempus etiam diuerſum eſt: Sic canes ſexaginta dies, ſues quinque, camelus vero undecim menſes, aliaque animalia plus minusue tempus foetum in utero gerunt. Quod foetus nunc formationem in utero concernit, Cl. Auctor ſtatuit, hanc in viuiparis uno eodemque modo perfici, cumque hominis formatione conuenire, hanc autem ſecundum rationem formationis foetus in ouo fieri, de qua proinde ſuccinctam nobis ſecundum optimos obſeruatores exhibet relationem. Modus pariendi itidem variat; Sic equa facillime pedibusque inſiſtens parit, atque alia, dum

p. 159. p. 160. p. 163.

iacent, partum edunt. Eodem etiam modo alia pedibus inſiſtentia, alia iacendo ubera praebent, atque omnium animalium feminae pullos ſuos defendunt, nutriunt et amant, potior autem ſexus eos relinquit, nec ullum amoris ſignum erga eosdem dare, imo interdum eos etiam occidere ſolet.

p. 165. Quodlibet animal talem victum quaerit, qui cum materia, ex qua conſtat, congruit, quiue ad partes, ex quibus maſticationis et digeſtionis organa conſtant, quadrat. Camelus v. g. plantis locorum arenoſorum contentus eſt, bouilloque contra generi opima relinquit prata. Alia, ut leo et canes, carnibus veſcuntur, aliaque, ut complures aues, grana de-
p. 167. glutiunt. Domicilium vel ad neceſſitatem, victum adquirendi, ſeſe adcommodat, vel animal hunc illumue locum inhabitat, quo pullos ſecure procreare, ſecurumque ipſum ibi eſſe poſſit. Ita non nulla in aqua, quaedam tantum in terra domicilia habent, ibidemque vitam tranſigunt, alia autem, ut ſic dicta amphibia, in terra et aqua ſimul viuunt, inque terra
p. 168. habitant, in aqua autem victum quaerunt. Et color animalium diuerſus eſt, hicque in primis a ſanguinis qualitate dependet, mutationemque patitur, prout regio annique tempus variat.

p. 169. Cuilibet animali propria etiam vox eſt, ita tamen, ut cuncta, quae organis ad edendam vocem deſtituuntur, muta, ut piſces, inueniantur.

p. 170. Dormiunt animalia, multaque, ut equus, bos, canis cet. ſomniare adeo videntur.

p. 171. Mouent ſe, animalia atque aliter quidem, quam homo. Ita multa quatuor pedibus incedunt, ut quadrupeda, alia, ut aues, volant, alia v. g. inſecta repunt, alia, ut piſces natant, atque ratione motus multum hic inter ſe variare ſolent, prout organa nimirum ad ſuſcipiendum motum apta ſe habeant.

p. 179. Quod actiones animalium concernit, Noſter animalibus cogitationes non derogat, ſed dicit, paſſeres

v. g.

v. g. alius vocis accentum edere, ſi grana tritici, neque ita, ſi hordei inuenerint. Atque ad naturalem inſtinctum quod attinet, cuilibet animali ſuas eſſe actiones, dicit, ita, ut e. g. urſa, ſi quis hanc perſequitur, pullos ore tenens ſecuritatem fuga quaerat, aut, ſi cedere nequeat, arborem confeſtim ſcandat. Praeterea et ideae rerum corporalium brutis adſcri- p. 183. buntur, ita, ut quid gratum quidue ingratum ſit, haec ſciant. e. g. canis baculum, quocum verberatus fuit, timet, atque priſtinus hominis irati geſtus ei terrorem incutit.

Tandem et ipſae animalium partes inſigniter va- p. 189. riant, v. g. non nulla capite rotundo, ut feles, aliaque in longum porrecto, ut ſues, gaudent. Alia eſt ſtructura oculi quadrupedibus, quam auibus, hisque alia iterum, quam piſcibus eſt, atque prout partes variant, ita etiam ad varias animalium actiones argumentari licet.

Progredimur ad ipſam quadrupedum hiſtoriam, breuius nos expedientes, cum multa, quae iam dicta ſunt, huc transferri poſſint. Secundum ordinem, p. 204. quem Cl. Auctor de diuerſitate animalium quadrupedum viuiparorum exhibet, omnia haec in ungulata et digitata unguiculata diuiduntur. Prior claſſis ungulata continens, in quinque iterum diuiditur ordines, quorum primus ſolidipeda ſiſtit. Equinum e. g. ge- p. 227. nus huc pertinens, pedibus quatuor, ungula rotunda, nec ſulcata ſuccinctis, iuba longa, cornibus nullis, auribus erectis paruis, cauda capillata deſcribitur. Alter ordo biſulca tradit. Horum pedes un- p. 252. gulis biſulcis terminantur. Omnia haec ſunt cornuta, excepto ſuum genere. Omnia cornuta ruminant, nec vice autem verſa. Omne animal ruminans ſtomacho multipliciter diuiſo gaudet atque dentibus inciſiuis ſuperioribus caret, leporum genere excepto. Vbera inter pedes locantur. In maxilla inferiori ſex vel octo dentes molares reperiuntur.

 Calci-

Calcitrant ut ungulata non ſulcata. Exemplo bouillum genus eſſe poteſt.

p. 368. Tertium ordinem triſulca conſtituunt, rhinocerosque unicus huius ordinis eſt: nudus hic, magnitudine bouem ſuperans, breue cornu coniforme in naſo gerit.

p. 372. Quartus ordo unicum tetrachelon hippopotamum ſcilicet ſiſtit. Animal hoc binis dentibus craſſis, prominentibus, in maxilla ſuperiori inciſiuis, in inferiori vero nullis; corpore nudo cancellato; figura ſuis; atque magnitudine bouis iuuenci ſeſe exhibet.

p. 374. Tandem elephantus, animalium terreſtrium maximum, pentachelon, proboſcide longa, cartilaginoſa; uberibus binis inter pedes anteriores locatis; cute nuda, non piloſa; dentibusque caninis longis, prominentibus unice quintum ordinem conſtituit.

p. 382. Poſterior Claſſis digitata unguiculata continet, atque in ſex iterum ordines diuiditur. De animalibus hiſce in genere notandum eſt, cuncta planta pedis nuda incedere, pedumque anteriorum digitos unguibus donatos eſſe. Omnia animalia digitata piloſa, quorſum etiam, ob immixtos pilos aculeata, loricata cet. referuntur, ſunt viuipara, omnia autem, quae
p. 383. non hirſuta, ouipara eſſe ſolent. Quod ordines concernit, horum primus monodactyla exhibet; huc e. g. ſpectat unicum animal tamandua ſiue coatus americana alba. Huius animalis pedum anteriorum pars extrema uno digito craſſo, lato, curuo et acuminato terminatur, cumque urſis formicariis iſthoc fere conuenit, capite tamen rotundiore et breuiore, auribus minoribus, oculis paulo maioribus, maxillaque inferiore prolongata, lingua pariter longa et gracili ad capiendas formicas apta, humeris amplioribus, pedibus poſterioribus pentadactylis, pilis albis quaſi lanuginoſis, atque cauda ſubſcriſpa deſcribitur.

p. 384. Secundi ordinis didactyla ſunt, hucque camelorum e. g. genus pertinet. Ruminans hoc non cornutum,

nutum, labra ſulcata, pedes in duos digitos diuiſos, caput paruum, collum longum, pedes nodoſos, gibbumque piloſum in dorſo et pectore habet.

Tertium ordinem tridactyla conſtituunt. e. g. p. 391. Ignauorum genus, Ai, ob lentum greſſum atque ob ſegnitiem in quibuscunque actionibus conſpicuam ita nominatum eo refertur. Foliis viuit arboresque ei domicilio ſunt. Pedes anteriores poſterioribus multo longiores, ſingulumque tribus digitis praeditum, nullisque auribus inſtructum.

Quartus ordo tetradactyla exhibet, haecque ſunt p. 395. vel loricata vel piloſa. Ad loricata v. g. pertinet tamandua cataphracta. Huic animali, nullos dentes habenti, ob alimentum, quod formicae praebent, atque ob linguam cum urſis formicariis conuenientem nomen iſthoc imponitur. Reperitur in regno Siam inque inſula formoſa. Capite longo, ore tenui, oculis valde pellucidis, auribusque planis et paruis incedit, atque ita ſe contrahere valet, ut figura eius diſtingui plane nequeat. Lorica ſquamoſa ob omni impetu hoſtili illud defendit. Piloſis vero tetradacty- p. 401. lis in primis familia cauiarum annumeratur, quarum aliae, ut cuniculus americanus ſ. mus indicus, pilis tantum, alia ſetis, inſtructae ſunt, ut cuniculus echinatus e freto Hudſoniano.

Quintus ordo pentadactyla continet. Huc v. g. p. 406. ſpectat leporinum genus, cuius pedes anteriores quinque poſteriores quatuor digitos habent. Aures graciles longae ſunt. Medium labii ſuperioris diuiditur. Oculi absque palpebris, cauda breuis, planta pedis piloſa, dentes maxillae ſuperioris inciſiui duplices, inferiorisque valde parui ſunt.

Sextus denique ordo animalia pedibus pinnatis, p. 564. horum ſcilicet digitis pellicula, ut in auibus aquaticis, coniunctis exhibet. Exemplo caſtor eſt; animal hocce paruum nec ponderoſum, pilis longis et paruis, capite et oculis itidem paruis, auribusque, ut in

 lutra,

lutra, paruis, rotundis, externe piloſis, interne nudis eſſe ſolet. In utraque eius maxilla bini dentes coloris fere crocei, fortes inciſiui inueniuntur, quorum pars ſuperior valde acuta atque, ut in muribus, ſerrata eſt. De reliquo ſedecim dentibus molaribus gaudet, ac in unoquoque pede quinque digitos habet, quorum poſteriores pellicula tantum coniunguntur. Anteriores enim ad arripiendum alimentum ei dati ſunt, hique rotundi, obtuſi, poſteriores vero caui eſſe ſolent. Cauda eius in ſuperiori parte glabra non piloſa, nigra craſſa, ſquamoſa, oualis ac valde pinguedinoſa eſt.

Finita hac animalium quadrupedum hiſtoria, librorum tandem a Cl. Auctore citatorum catalogus, ſimulque iconum ab eodem affixarum explicatio ſubnectitur; quarum quidem magnitudo cum pretio libri accommodanda eſſet, tanta non eſt, quae partes praecipuas diſtincte ſiſtere, et veras ideas excitare poſſit.

III.

Tentamen medicum de variis calculorum biliarium ſpeciebus diuerſoque ab ipſis pendentium morborum genere. Auctore IOANNE PETRO SABATIER et Praeſide FRANCISCO IMBERT. Monſpelii apud Ioannem Martel. 1758. 8. pl. 13. dimidiat.

Diſſertatio haec in octo capita diuiſa, in primo non nulla circa biliares calculos exhibet obſeruata et experimenta; ſecundo frequentem biliarium calculorum in humano corpore procreationem enarrat; tertio de characteriſticis felleorum calculorum attributis, quarto de quibusdam accidentalibus eorundem qualitatibus agit; quinto diſtinctionem inter vere biliares et inteſtinales calculos conſtituit; ſexto felleorum

leorum calculorum in variis cauitatibus ductibusque ſitus ac diſpoſitionis diuerſitatem ſiſtit; ſeptimo illorum petrificationis opus exponit, et octauo denique breuem morborum a calculis felleis oriundorum hiſtoriam tradit. Quod ad obſeruationes primo capite contentas attinet, non paucos calculos biliares, hosque in primis diuerſae magnitudinis in duodeno non ſolum, verum in ductu etiam cyſtico et veſicula fellea a ſe repertos fuiſſe, Cl. Auctor refert, quid? quod p. 7. lapidis meminit tanti, qui feminae cuidam, paſſione iliaca ob hanc cauſam affectae, poſthac ſanatae, per anum exiit, et figuram craſſitiemue oui gallinacei aequauit: De complurium poſt modum calculorum egreſſione p. 13. per anum mentionem facit, ultimaque tandem obſeruatione in aperto quodam cadauere veſiculam felleam, tertia parte grandiorem et longiorem, inque ea octoginta quinque calculos ſeſe reperiiſſe perhibet.

Cum calculis biliaribus experimenta Cl. Auctor p. 14. inſtituit, iſtosque in puluerem redactos, cum bile exſiccata, itidem in puluerem redacta, plenarie conueniſſe, pondere leues, cumque urinariis calculis comparatos, his multo leuiores fuiſſe, atque eorum plurimos aquae innataſſe, peneque omnes candelae admotos ignem concepiſſe, obſeruauit.

Ad biliarium calculorum in humano corpore ge- p. 16. nerationem Noſter accedens, complurium medicorum, qui in cadaueribus eiusmodi calculos repererunt, facit mentionem, atque ex crebris horum obſeruationibus colligit, frequentem omnino dari lapidum iſtorum generationem. Prae reliquis in hoc capite notatu digna legitur, a Cl. Auctore adducta obſeruatio * Ill. HALLERI, qua Gottingenſes raro cal- p. 23. culis urinariis, frequenter vero biliaribus eſſe obnoxios adnotauit, inde calculos hos habito reſpectu climatum populariter graſſari poſſe, et quod alii iam obſerua-

* Opuſc. pathol. Lauſan. 1755. 8. Obſ. 33. pag. 70. et Comment. noſtr. Vol. V. Part. I. p. 89.

obſeruarunt, in accolis nimirum fluuiorum ſaepiſſime reperiri eosdem, Noſter adſerit. Diſtinguunt ſe iſti calculi ab aliis, in corpore humano reperiundis, materie, ex qua conflati ſunt, biliosa, porro ponderis leuitate, tandemque ignem concipiendi facultate, hosque characteres nulli, niſi calculo biliari proprios eſſe, experimenta confirmant.

p. 28. Variant quodam modo lapides biliares reſpectu coloris, ſuperficiei, craſſitiei et figurae. Ita enim non nulli luteoli, ſubuirides alii, aliique rurſus atri deprehenduntur. Plurium horum lapidum laeuigata, aliorum inaequalis aliorumque aſpera eſt ſuperficies. Nec etiam omnes unam eandemque habent craſſitiem. Ita plurimi granorum milii et lenticularum magnitudine excernuntur, alii autem maiores fabam, oleam maiorem, imo et interdum ouulum gallinaceum aequantes cum faecibus exeunt. Triplex tandem, dictitante Noſtro, lapidum memoratorum figura eſſe ſolet: multi nimirum facie multiplici ſeſe oſtendunt, hique, ut Cl. Auctor obſeruauit, nunquam ſolitarii exiſtunt, ſed inter ſe inuicem conglomerati eſſe videntur. Alii facie hac deſtituti praelongi aut ouati, raro globoſi obſeruantur, hique ut plurimum craſſo aut mediocri volumine praediti, ſemper ſolitarii deprehenduntur. Tandem et calculi biliares viſi fuerunt, qui ſolitarii, nec multiplici unquam facie donati, ut canales perforati in conſpectum prodierunt.

p. 33. At vero cum et calculi reperiantur, quorum ortus in inteſtinis eſſe ſolet, quiue primo intuitu, ſiue in inteſtinis demortuorum inueniantur, ſiue a viuis excernantur, cum calculis felleis confundi facile poſſint, notandum id circo eſt, inteſtinales calculos, in aquam proiectos, huic non innatare, neque flammam concipere, nec etiam in puluerem redactos bili cyſticae ſimiles eſſe, nullumque praeterea deguſtatos amaritiei ſenſum excitare, atque morbos tandem a

calculis

calculis biliaribus ortos, alia aliaque a calculis inteſtinalibus inductos morbos concomitari ſymptomata.

Veſicula fellea, ductus cyſticus ac choledochus inteſtinorumque cauum loca ſunt, in quibus calculi iſti remorantur, horum autem conditio inde pendentium morborum ſiſtit diuerſitatem. Calculi e. g. longiores et ouati ſi tranſuerſim in cyſtide ponuntur, aegris plerumque mortem conciliant, atque eorum alii in inteſtina delapſi, ſi eum locum, ubi valuula illa coli eſt, occludunt, talia producunt ſymptomata, quibus haud raro confundi poſſunt medentes, atque paucis, prout ſuperficies calculorum eorundemque moles variat, ita etiam ſymptomata nec non morborum plerumque ſe habent exitus. p. 38.

Quod ipſum calculorum generationis opus concernit, Cl. Auctor ſtatuit, generari lapides in veſicula fellea, bilemque quidem ſpiſſam ac tenacem generationis huius cauſam ſuppeditare, ex hac ipſa autem ſola haud unquam procreari calculos. Largitur nimirum, ut Noſter putat, bilis ſpiſſae ac tenacis particula fundamentum, cui ſenſim ſenſimque ab aduenientе bile accreſcunt lamellae, quae ſi quotidie apponuntur, inſignis demum magnitudinis calculum ſiſtunt. Itaque bilem tenacem calculorum quidem nucleum, minime vero totius calculi compagem conſtituere, ex Noſtri ſententia ſtatuendum eſt. p. 42.

Finita hac felleorum lapidum theoria, morborum etiam inde oriundorum fit mentio, horumque tres conſtituuntur claſſes. Prima ſcilicet morbos a calculis in veſicula fellea habitantibus continet; altera morbos a calculis in veſiculae collo, ductu cyſtico et choledocho haerentibus exhibet; atque tandem tertia morbos a biliaribus calculis in inteſtina delapſis breuiter recenſet. Primae claſſis morbos quadruplices eſſe, icterum nempe, bilioſum veſiculae felleae hydropem, illius inflammationem, eiusdemque tandem membranarum rupturam a calculis in veſiculae p. 49.

cauo

cauo exiſtentibus produci, Cl. Auctor oſtendit. Icterus oritur, ſi calculi viam ad ductum cyſticum obturant, unde igitur bilis primo accumulatur, tandemque ad venam cauam refluens in exteriori corporis habitu diſpergitur. Cauſa hac diſquiſita, ſymptomata ictericis ſolemnia recenſentur, ſigna diagnoſtica exponuntur, atque huius mali curatio ſubnectitur; quam calculorum expulſio, urgentium ſymptomatum mitigatio, praecauendaque eorum generatio abſoluit.

p. 67. Sub veſiculae felleae hydrope bilioſo Cl. Auctor intelligit inflatam et a congeſta exſuperanteque bile praeter modum tumentem veſiculam, cuius mali ortum in calculis cauum veſiculae occludentibus ponit. Accedit et hoc, quod via ex veſicula ad duodenum penitus praecluſa, bilis interim maiori, ac in naturali ſtatu fieri ſolet, copia ſecreta per bibula vaſorum oſcula reſorberi ſufficienter nequeat, unde bilis continuo affluens, nec tamen ſatis reſorpta, ita coaceruatur, ut veſicula in immenſam ſaepe magnitudinem excreſcat, multaque ac ſingularia hinc ſymptomata producantur, quae eo maiorem attentionem merentur, quo magis veſicula haec extenditur, atque eiusdem membranae attenuantur. Ne igitur in curando hocce malo errores poſtea vix corrigendi committantur, Noſter ideo certum atque pathognomicon conſtituit ſignum, nimirum hypochondrii dextri tumorem, qui digitis prementibus facile obediat intropulſus et mobilis. Huius dein hydropis prognoſin Cl. Auctor exhibens, illum hydropem, qui veſiculae dilaceratione aut huius vicinarumque partium inflammatione finitur, periculoſum, qui vero, calculis in inteſtina delatis et excretis, diarrhoea clioſa terminatur, non adeo periculoſum eſſe, curationemque adhuc admittere exponit, ad quam proinde obtinendam remedia et auxilia non contemnenda commendat.

Cum

Cum antecedenti veſiculae felleae morbo ſaepe p. 74.
ſimul eiusdem veſiculae inflammatio, quae a Cl. Auctore *cyſtitis* nuncupatur coniuncta eſt, interdum autem et absque illa ſola haec deprehenditur, utrumque tamen malum ab aſperis anguloſisque calculis veſiculam irritantibus ortum ducit, inque arteriarum cyſticarum ac venae portarum ramificationum, veſiculam hanc perreptantium, extremis ſedem habet. Inter ſigna, quae huic inflammationi cum aliis communia ſunt, prae reliquis icterus tumorue hypochondrii dextri, calculos tactu manifeſtans et cum febre acuta coniunctus, inflammationis huius diagnoſin praebet, cuius euentus, ut in aliis inflammatoriis morbis, obſeruatur. Vel enim reſoluitur, vel in ſuppurationem abit, vel tandem gangraena ſphaceloque finitur, raro autem ſcirrhoſa fit inflammata veſicula, frequentius contra ſuppurationem mire hic variantem, atque ea propter multa, nec non mirifica ſymptomata nouosque ſaepe morbos producentem ſubit. Prout autem locus eſt, in quem pus euacuatur, ita etiam ſuppurationis deprehenditur exitus, illaque vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel denique mortem abſolute aduenientem tendit. Praeter conſuetam, inflammatorios morbos curandi, methodum, venaeſectionem nempe, diaetam tenuem, diluentem, refrigerantem, potum largum remediaque lenientia, hic in primis clyſmata emollientia atque neceſſaria illa externe applicanda fomenta relaxantia, leniſſimaque tandem, inflammatione mitigata, commendantur cathartica; quibus cunctis, fruſtra tentatis, morbo nimirum in ſuppurationem abiente, huius ideo ſubnectitur curatio, aut artificioſa demum, ad exteriora ſi vergit tumor, ſuadetur puris extractio.

Vltimus ipſius veſiculae ab intus contentis calcu- p. 87.
lis obortus morbus eſt eius ruptura. Cum autem ſecundum Noſtri ſententiam nulla huius mali haberi poſſit diagnoſis, iſtud tantum nominaſſe ei ſufficit,

atque

atque ad alteram horum morborum claſſem, morbos nimirum a calculis in veſiculae collo, ductu cyſtico et choledocho haerentibus ortos tranſit.

p. 89. Praeter icterum, hydropem cyſtidis bilioſum ac inflammationem, a calculis etiam in ductibus nominatis oriundam iamque pertractatam, ſolius duntaxat colicae hepaticae mentionem facit Cl. Auctor, quam duplicem eſſe, ſpuriam nempe, hancque mitiorem a calculis in cyſtide productam, nec non alteram atrociorem hancque veram a calculis in cyſtico vel choledocho ductu haerentibus oriri perhibet. Praeter ſymptomata multis aliis ſolemnia, bene autem hic collata, regionis veſiculae felleae dolor acutus, fixus, profundus, certis interuallis exacerbatus, ictero flauo ſaepiusque nigro ſtipatus certam huius colicae largitur diagnoſin. Peſſima ſemper colica iſta ominatur; plurimi namque ea vexati iugulantur, aut ſi mortem effugiunt, aliis tamen inde oriundis morbis v. g. hydropi aſciti cet. obnoxii ſunt, et tandem pereunt. Ad curandam hanc colicam praeter venaeſectionem, enemata internaque remedia lenientia, oleoſa et opiata, hic in primis externa, fomenta nimirum, linimenta ac balnea emollientia applicari, aperientia autem et actiua illa remedia omitti prorſus iubet.

p. 99. Tertia tandem ultimaque claſſis, morbos a calculis in inteſtina delatis ortos continens, breuiter commemorat, a calculis in inteſtina deductis vagos dolores colicos, inflammationes, choleram, dyſenterias pertinaces, haemorrhagias per anum, paſſionem iliacam, teneſmum faecumque remoram produci, ſolisque catharticis mitioribus enematibusque frequenter iniectis calculorum horum expulſionem tentandam eſſe praecipit.

IV.

GVILIELMI HENRICI KRAMERI Phil. et Medic. Doct. Elenchus Vegetabilium, et Animalium, per Auſtriam inferiorem obſeruatorum, ſiſtens ea in Claſſes, et Ordines, Genera et Species redacta. Viennae, Pragae et Tergeſti. 1756. 1 alph. 3 pl. tab. aen. unica.

Quae fuit induſtria plurium celeberrimorum virorum, qua plantas, aliasque res naturales per patriam, vel regiones, quas aut peragrarunt, aut inhabitarunt, obuias, et diſperſas, annotarent, atque ſedulo deſcriberent, quaeque eſſent priuati, publici iuris facerent, eam iam imitatus Cl. Auctor, Auſtriam inferiorem, in qua degit, *Leytaepontanae paruulae* Praef. *urbis*, uti fatetur, *nec neceſſaria ad rerum naturalium ſcrutatricem vitam prolongandam ſubminiſtrantis phyſicus* perſcrutatus eſt, Floramque ac Faunam illius regionis pari munere illuſtrauit: *non largiter effuſo a principibus aere, nec ſocietatis cuiusdam impenſis* ſe adiutum fuiſſe dolet quidem, ſed idcirco eidem tribuenda videtur laus et gloria maior, quod priuato zelo ductus id operis in ſe ſuſcipere voluerit. Illuſtri Nomini VAN SWIETEN dicatum opuſculum in parte prima ad methodum LINNAEI exponit genera plantarum quingenta quatuor, ſpeciebus, quas ibi vidit, ſummo ſtudio definitis; non vero indigenas ſolum plantas, ſed eas etiam, quae in hortis magnatum aſſeruantur, exoticas ſub ſe comprehendit; videas enim ibi recenſitas Cannam Indicam, Iuſtitiam, Ipomoeam, Aloen cet. Pars altera ſeptuaginta octo continet genera p. 308. animalium ſecundum idem ſyſtema diſpoſita, nec haec ſemper Auſtriae inquilina, ſed ſimias, leones cet. complectitur, quinimo Rhinocerotem anno 1750 p. 317. Viennae a Batauo allatum habet. De Aegagropilis p. 320. obſeruationem adiecit oppido raram: *genuinas ſiqui-*

dem eſſe figurae oblongae, intus fibroſas, fuſco uiridis coloris; externe pellicula nigra, inſtar vernicis ſplendente tectas; has in rupicapris, Alpes Athamanta ſiue Meo Officin. carentes inhabitantibus, nunquam inueniri, quae tamen in aliis, hac radice fibris obſita paſcentibus, ſaepe reperirentur: unde et harum pilarum originem, atque effectum emmenagogum declarat; *cum nec cruſta lapidea illis ſuperinducta ſit, verum ex meris fibris radicis Athamanthae (quod praeter dicta ſapor, ac odor proderet) mediante muco oeſophagi, et ventriculi rupicaprarum in formam farciminis, non pilae, ſicut adulterata, compactis conſtarent; non ad calculos animalium, ſeu regnum minerale referri, ſed Florae reſtitui debere* autumat.

p. 381. Animalium duo conſtituit noua genera, quorum primum ex auium claſſe, et ordine paſſerum, *pratincolae* nomine inſignitum, adiecta icone illuſtrauit, eiusque characterem genericum ſic definit: *Roſtrum ad latera parum compreſſum, maxilla ſuperiore apice adunco; femora ſeminuda, pedes tetractyli, poſtico anticis duplo minore, cauda bifurca. Alae longiſſimae, compli-*
p. 396. *catae, caudam fere eminentes.* Alterum ex ordine piſcium malacopterygiorum, quod cum cauernas ſubterraneas luce carentes potiſſimum inhabitet, *Vmbram* vocauit, eiusque characterem genericum adiecit: *Membrana branchioſtega oſſiculorum ſex. Dentes in maxillis, palato. Oculus in utroque latere unus, pinnae vertebrales duae, dorſi unica oſſiculis ſuffulta, in medio fere dorſi ſita, nec a capite ad caudam extenſa.* Optandum omnino eſt, ut filius, qui patris laborioſiſſimi veſtigia premit, melioribus ſubſidiis in colenda hiſtoria naturali ſuſtineatur.

V.

V.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, P. P. O. Lipſienſ. Inſtitutiones hiſtorico phyſicae Regni vegetabilis, praelectionibus Academicis accommodatae. Editio altera aucta et emendata. Lipſiae apud I. F. Gleditſch. 1757. 8. plag. 18.

Quos anno 1738 prima vice euulgauit Cl. LVDWIG aphoriſmos botanicos, breues admodum atque concinnos, mutatos, multumque auctiores, titulo Inſtitutionum an. 1742. edidit, nunc denuo typis mandauit. In qua editione ordinem tractationis, diu probatum, haud mutatum quidem retinuit, multa vero correxit, alia expunxit, alia, in primis, quae his diebus inuenta fuerunt, addidit, definitiones praeſertim partium plantae accuratiores concinnauit, ſimulque optimos fontes, citatis ſtudioſe Auctorum ſcriptis, hinc inde annotauit. Vt vero luculentius pateat, hanc auctam et emendatam eſſe editionem, quaedam ſigillatim annotemus. Contra fundamentum diuiſionis trium regnorum, a LINNAEO aſſumptum, bene monuit, vitam et incrementum plantarum in uno eodemque motu fluidorum per ſolida conſiſtere, et ſenſus, qui corporibus, quatenus ab obiectis externis mouentur, conceditur, ſimili ratione per definitas fluidi, in vaſis moti, mutationes declarari poſſe. Et licet, ut alii ſtatuerunt, fabrica ſimilaris in congregatione particularum mineralibus propria ſit, telaque cellularis motum ſuccorum in vegetabilibus, ac fabrica vaſculoſa eundem in animalibus dirigat perficiatque; mineralia porro igne, vegetabilia aere per ignem animato, animalia proprio ſpiritu moueantur, tamen cum hae differentiae cognitae partim difficillimae, partim in limitibus, conſtituendis vagae deprehendantur, antea propoſitum, fundamentum p. 4.

ſundamentum, in forma externa mutabili vel perſiſtente, ac loco motiua facultate poſitum, denuo aſ-
p. 6. ſumſit Noſter atque retinuit. Retinuit quoque conſuetum naturae regnorum numerum, et nec aqueo WALLERII, nec igneo DENSONIS illum augendum eſſe, exiſtimauit; obiecta enim huc relata vel ad congreſſum elementorum in mixtione perficienda, vel ad minerale regnum, vel ad arte facta optime reduci poſſunt, immo debent.

p. 20. Differentiam radicum mutata paulo ratione propoſuit; aſſumſit quidem et nunc radices dari caudice vel tenuiores vel craſſiores, ultimis autem generale nomen tuberoſarum dedit, harumque ſpecies, caufeſcentes et nodoſas, quae tuberoſis ſtrictiſſimo in ſenſu conueniunt, fibras in omni ſuperficie adnatas oſtendere, illas vero vel ex parte caudici oppoſita, ut in tranſuerſis et bulboſis*, vel ad caput radicis carnoſae ex nodo, inter caudicem et radicis craſſio-
p. 22. rem partem formato, eius modi protrudere, aſſumſit, hasque ſpeciali nomine comoſas, et a figura craſſioris partis teſticulatas, palmatas, et ſquamoſas ad-
p. 25. pellauit. Folia in primaria et acceſſoria diuidit, priora folii nomen retinent, poſteriora, quae vel petiolos ſuccingunt, vel colore viridi non conſpicua ſunt, bracteae, ſtipulaeque dicuntur. Nerui et venae no-
p. 26. men, minus accurate hactenus determinatum, ita forte determinari poſſe, docuit, ut coſtae folii eminens diuiſio neruus, pellucens vero vena nominetur.
Foliis

* Bulboſas radices Cl. Auctor denuo, ut antea fecit, in ſquamoſam, tunicatam et ſolidam diſtinguit, et Lilium, Tulipam, Crocumque exempli loco adducit. Verum dubitamus, an radix detur bulboſa ſolida; Crocus omnino eam tunicatam habet, id, quod non modo ex ſiccis externisque laminis, quae ſponte ſeparantur, eluceſcit, ſed et media, ſolida viſa ſubſtantia, in veras tunicas, craſſas modo, poteſt ſeparari.

Foliis articulatis, ubi unum ex altero producitur, diſtinctionis nota praeſente, pyxidata addidit, in quibus folium in foueam alterius quaſi immittitur; ſic et ab oppoſitis diſtycha ſeparauit, quae oppoſitis ſemper lateribus caudicis vel ramorum accreſcunt. Dentata, crenata, ſerrata, ciliata, et ſpinoſa ſeorſim conſiderauit, curatiusque definiuit. Pilos quoque et glandulas, quae tubercula humore exſudante conſpicua dicuntur, nunc adduxit; ſpicae ſubdiuiſiones tradidit, dum illam ſeminum, umbellae ſimilem, faſciculum, globoſam autem, florum capitulum adpellauit; Calicis ſpecies ſigillatim etiam expoſuit; ſpatha itaque eſt calix, vaginam longitudinaliter fiſſam referens, gluma autem calix rigidior graminum, amentum ſeries ſquamarum, filamento centrali adhaerentium; calyptram in muſcis, in fungis voluam pro calicis ſynonymo aſſumſit. Florem, qui ſtamina modo continet, a variis, minus recte, ſterilem nominari monuit, cum ille potius ſterilis dicendus ſit, qui corollam ſolam, nec ſtaminibus, nec piſtillis refertam, ſiſtit et eunuchus eſt. In capſulis praeter valuas, ſeptum quoque et ſuturam deſcripſit, prius eſt paries intermedius, qui cauum capſulae, ſemina ſuſcipiens, in caua minora ſiue loculos diſtinguit, ſutura autem linea vocatur, quae fiſſurae, in maturitate ſuccedentis, veſtigia oſtendit. Dubios tandem baccam inter atque drupam limites nouo forte fundamento determinare nos poſſe, docuit, dum drupae nucem, pomo cartilaginea loculamenta, baccae autem ſemina ſparſa tribuamus, verum et hic incertos eſſe limites, ipſe Cl. Auctor fatetur.

p. 28.
p. 31.
p. 36.
p. 41.
p. 51.

In Cap. II. de diuerſis plantarum methodis agens, Auctorum, quos excitauit, ſcripta, in notis accurate annotauit, fundamenta diuiſionum ſollicite, aſt ſtrictim recenſuit, et catalogum Auctorum auxit. Ex veteribus nunc etiam ZALVZIANSKIVM, ex illis, qui partim Raianam methodum ſecuti, partim in ea p. 60.

 perfectius

perfeƈtius elaboranda occupati fuerunt, HEISTERVM atque HALLERVM commemorauit; BOERHAAVII methodo inhaeſit MORANDVS et ERNSTINGIVS, Cl. Auƈtoris methodum Riuino-Linnaeanam adſumſerunt WEDELIVS et BOEHMERVS. Tournefortiana uſus quoque fuit VALENTINI, PLVMIERIVS, cum Riuiniana eam coniunxit KRAMERVS, auxit vero parum SEGVIERIVS. Inter illos, qui LINNAEI veſtigia preſſerunt, in primis excitatur GRONOVIVS, DALIBARDVS atque HILLIVS, qui in fungis, muſcis, plantisque ſubmarinis plura noua genera condidit. ROYENI methodum adſumſit GMELINVS. Nouas praeterea exhibuerunt WACHENDORFIVS, GLEDITSCHIVS et de SAVVAGES. Inter particulares methodicos, qui gramina, fungos et ſ. p. pertraƈtarant, MONTIVM quoque, GLEDITSCHIVM, BATTARRAM, KLEINIVM atque DONATI excitauit.

p. 72. In III. et IV. Capite, quibus de Generibus et Speciebus locutus fuit, ante ſtabilitas regulas fere ubique retinuit, ſeleƈtiora autem exempla hinc inde annotauit; de nominibus, quae generibus, ſi duo in unum coguntur, imponenda ſunt, aliter nunc ſenſit, et ne
p. 85. nimia nominum mutatio, dum ſemper tertium nouumque, ut Rumicis, Achilleae, eligendum ſit, moleſta inſtituatur, potioris generis primarium nomen ſtare et retineri poſſe, Lauendulae aliarumque exemplo docuit, ſimulque etiam monuit, ea nomina, quae graeca et latina lingua eandem ideam exprimunt, diuerſis generibus minime tribuenda, ſed ut ſynonyma conſideranda eſſe, ut auena et bromos, lentiſcus et
p. 98. ſchinus. Nouorum vegetabilium ortum, dum vel plantae diuerſi generis, vel congeneres ad nouum corpus vegetabile conſtituendum concurrunt, et hybridas plantas efformant, ex obſeruationibus in primis LINNAEI adſumſit; huius Cl. Viri compendiaria nomina, triuialia diƈta, in deſignandis ſpeciebus admit-

admittit, et in omnibus plantis euidentes dari chara-
cteres, ex quibus nomina ſpecifica compendiaria poſ-
ſint deſumi, aſſeruit, ac exemplis comprobauit. Ita
e. gr. dici poſſet Mollugo foliis oppoſitis, tetraphylla,
pentaphylla, verticillata.

Cap. V. de methodo plantarum propria inſcribi- p. 101.
tur, inque eodem floris monopetali compoſiti chara-
cterem accuratius determinauit, dum non ſolum com-
muni calici, ſed et thalamo communi plures floſculos
adhaerere poſſe monuit; corollas horum floſculo-
rum, lingulatorum et tubuloſorum ſpeciatim defini-
uit, thalami varias proprietates commemorauit, et re-
gularitatis characteres non tantum ex corolla, ſed
etiam piſtilli ſtaminumque declinato ſitu cognoſcen-
dos eſſe, Amaryllidis exemplo declarauit. In tabu-
lis, quas ut ſpecimen ſuae methodi denuo adiecit,
alios ſaepe characteres adduxit, ac in primis ad corol-
lae proprietates prius, quam ad fructum, reſpexit.
Plantas marinas ex vegetabilium numero eximendas,
et ut opus polyporum conſiderandas eſſe, de non p. 134.
nullis quidem, non vero omnibus conceſſit, hinc
corallia, madreporas cet. vegetabilibus adhuc adnu-
merauit.

In Partis ſecundae, qua Phyſicam vegetabilium p. 160.
pertractauit, Cap. I. easdem generales notiones, in
Cap. II. autem varias nouas ideas inuenimus. Ita
cuticulam animali et vegetabili corpori quidem con-
uenire, aſt pilos, glandulas, et alia, quae ſuperfi-
ciem inaequalem reddunt, ex profundiori ſede pro-
pullulare, affirmauit, ſimulque docuit, caua plan-
tarum, ut ſunt capſulae et fructuum loculi, ſimili
tenui obducta eſſe membrana, quae ad fabricam cu-
ticulae proxime accedit, et ab externa non adeo dif-
fert, quam in animalibus. Telae cellularis uſum et
dignitatem curatius expoſuit, illamque non tantum
mouendis, ſed et mutandis elaborandisque ſuccis in-
ſeruire, recte ſtatuit. Vaſcula vario modo inter ſe

coire, et anaſtomoſes efficere, in quibus contextus celluloſus, intus contentus, cum oppoſitis communicat, et ſuccorum progreſſui fauet, nunc oſtendit; ſpirales autem fiſtulas peculiarem quidem vegetationis mechaniſmum oſtendere concedit, an vero aereae dici queant, aerique tantum pateant, in dubio adhuc relinquit.

p. 174. Cap. III. de partibus vegetabilium fluidis diſſerens, nunc in primis contendit, humum, praeter terreas, ſalinas quoque et oleoſas partes continere, quae quidem ex variis corporibus motu inteſtino et putredine reſolutae, terraeque unitae, et mediante aqua extractae, unguinoſum ſuccum praebent, qui vero in crudo ſtatu a plantis ſuſcipi non poteſt, niſi in aerem eleuetur, nouas reſolutiones et mixtiones ſubiret, et ſubtiliſatus iterum in terram praecipitaretur; hinc fertilitatem terrae ex aere repetendam eſſe, concludit. Nullam quoque ſucci, in terra praeparati, differentiam agnouit, ſed alias radices in ſabuloſo, minus cohaerente, alias in lutoſo et tenaci ſolo melius diſponi, modo tradidit.

p. 180. In Cap. IV. de motu fluidorum per ſolida inſcripto, phaenomena accuratius determinauit, et rationes dilucidius explicauit, caeterum autem easdem
p. 187. propoſitiones retinuit. Cap. V. de ortu et deſcenſu fibrillarum ipſiusque radicis ſpecialius egit, medullamque copioſiorem fibras corporis lignoſi diſtendere, et minimum tuberculum efficere, in quo parenchyma copioſiorem ſuccum ſuſcipit, et in extenſione facta filum corporis lignoſi et medullae ſecum rapit, ac in terrae rimas diducit, aſſeruit; deſcenſum autem ex ſpongioſo parenchymate, quod, copioſo humore reſorpto, extenditur et fibram mediam deorſum ducit, nec non humida terra attrahitur, et ad maio-
p. 199. rem ſucci reſorptionem diſponitur, deduxit. Librum non modo lignoſis caudicibus tribuit, ſed eandem parenchymatis mutationem in annuis caulibus fieri,

Lini

Lini et Cannabis in primis exemplo declarauit. De
circulis ſic dictis annuis differens, etiam ad muta-
tiones, a plaga coeli introductas, reſpexit, idque in
directione arborum tranſplantandarum annotandum
eſſe, annotauit. De foliorum ortu quodam modo p. 206.
ſuam ſententiam mutauit Cl. Auctor, et dum olim
aſſumſerit corporis lignoſi fibras huc non accedere,
nunc potius docuit, id quidem interdum verum eſſe,
attamen etiam vel a libro, vel ex ipſis corporis lignoſi
ſtratis fibras prodire, et ad petiolum foliumque duci.
Praeparationem foliorum per macerationem plenius p. 213.
expoſuit, annotauitque laminas retis, ſi molles ad-
huc et humidae ſeparentur, telam celluloſam tener-
rimam interpoſitam, laminasque coniungentem,
oſtendere, eamque, ſi ſufficientibus ſuccis ſcateat,
ſeparationem laminarum admittere, ſi vero exſucca
ſit, retia coalita, nulla arte diſtinguenda efficere.
De foliorum uſu quoque, et quomodo ſucci ad fo-
lium dirigantur, in eodem moueantur, praeparati-
que ſucci, vel ad plantam retrogrado motu deferan-
tur, vel perſpirent, fuſiori doctrina uſus fuit. An
autem folia ſimul perſpirent et inſpirent, et an ſu- p. 218.
perficies ſuperior perſpiret, inferior autem inſpiret,
nondum, vel per experimenta, a Cl. BONNETO
facta, determinare potuit. Petala cum foliis apte
comparauit; ungues ſcilicet petioli, et corollae mo-
nopetalae folii vaginantis ideam referunt, ſuccosque
praeparatos ad interiores partes perficiendas dedu-
cunt. Nectaria nunc organa ſecretoria dixit, quae p. 497.
ſuccos ſpiſſiores, motum humoris ſubtilioris in vaſis
plantarum impedientes, ſecernant, et ita cum glan-
dulis conueniunt. Adſcenſum ſuccorum ad thala- p. 245.
mum, qui marcidis florum partibus ſemina ſuſcipit,
non modo denuo ſtabiliuit, ſed alia quoque, ad ſty-
lum directa vaſa, inuerſa ratione ab Auctore conſi-
derantur, ipſisque communicatio quaedam cum an-
theris tribuitur, qua fit, ut particulae, fertilitatem

ſeminis perficientes ad thalamum deferri poſſint.
p. 249. Denſitatem laminarum cartilaginearum, quae in non nullis fructibus pulpoſis ſemina cingunt, a preſſione ſucci, in pulpoſo et celluloſo contextu moti, olim deriuauit Cl. Auctor; hanc vero ſententiam veritati non reſpondere, cum ſemina abortiua tam denſum loculum habeant, quam perfectiora, poſtea cognouit, hinc in ipſa iam delineatione, denſiores eſſe nunc affirmauit.

Verum haec ſpeciminis loco annotata ſufficiant; plura enim et omnia, quae mutata curatiusque propoſita in hac noua editione inueniuntur, ſi nunc adducere vellemus, nimis longa fieret noſtra recenſio. Publice modo Cl. Auctori grates perſoluimus, quod, aliis negotiis fere obrutus, in commodum tamen et docentium et diſcentium haſce Inſtitutiones locupletiores reddere, et denuo euulgare voluerit.

VI.

IOANNIS GEORGII ROEDERERI, D. Med. et Anat. P. P. O. Societ. Reg. Gotting. Sod. de Vteri ſcirrho commentatio medica. Gottingae. Sumtibus Victorini Boſſigelii. 1756. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Sicut ad alia corporis humani viſcera, ita et ad uterum variae fieri poſſunt materiae morboſae me-
p. 5. taſtaſes. Duplicem iſtae agnoſcunt originem, vel enim a morbo in uterum aliquid maligni deponitur, vel externae, vulnerando nimirum et comprimendo, aut a partu difficili peruerſaque in eodem adhibita medicatione chirurgica illatae, violentiae ei perſaepe mali moris contrahunt vitia. Quae a morbis in illum fiunt depoſitiones, interdum inflammationem excitant, interdum autem lente tantum et absque inflammatione colliguntur. Externis contra laeſionibus

nibus ſemper ſubnaſcitur inflammatio, quam pari modo, ac illas a morbo factas depoſitiones, haud raro ſequitur ſcirrhus. Frequenter tamen iſte inflammationem non reſolutam nec ulceroſam excipit, pariterque fluoris albi, menſtruorum lochiorumue ſtagnationes.

Inflammationem excipiens ſcirrhus cognoſcitur, p. 9.
ſi ſymptomata inflammationis absque ſanitatis vigore corporisque refectione ceſſant, et ponderis in ſimul ſenſus in pubis regione animaduertitur. Fluxus menſtruus imminutus aut plane ceſſans, corpus extenuatum, appetitus interdum languens, interdum nimius, febris lenta, os foetens et ulceroſum, atque regionis pubis et hypogaſtricae in primis expanſio, grauiditatem mentiens, dura, reſiſtens, dolens, ne manus quidem tactum interdum ferens, ſigna ſunt, quibus ſcirrhus, a materia morbi eo delata ortus, et vel partem uteri vel totum illum occupans, cognoſcitur. Praeter haec pondus in peluim deſcendens, rara et moleſta lotii et foecum excretio, uteri duri tumentisque deſcenſus, vel et eiusdem prolapſus, rectique inteſtini aut veſicae compreſſiones, uteri ſcirrhoſi diagnoſin confirmant ulterius.

Sterilis manet, quae hoc laborat femina, in mi- p. 14.
tiori autem malo, ſcirrho nimirum, uteri duntaxat partem occupante, interdum concipit, dolenda tamen, ſi ad partum componitur. Vel enim ſcirrho, ceruicem uteri claudente, partus fieri nequit, vel idem ille efficit, ut partus tempore uterus rumpatur, fetusque in abdomen dilabatur. Si tandem ſcirrhus uteri extenſionem impedit, hic abortus etiam cauſa interdum eſſe poteſt.

Ne autem medici ab inflato abdomine, grauidi- p. 17.
tatem mentiente, decipiantur, ſigna ideo a Cl. Auctore notantur, lentumque in primis a ſcirrho abdominis incrementum, nec non morboſorum, eo increſcente, ſymptomatum augmentum; abſentem porro

porro mammarum eleuationem, lactisque defectum, nec non deficientem quoque embryonis motum, ab abdomine cito ob grauiditatem intumeſcente, cumque ſanitatis integritate coniuncto, ſatis diſtingui oſtendit.

p. 21. Nunquam ipſius naturae beneficio cedit ſcirrhus, idemque, ſi remediis minus aptis in carcinoma mutatur, ſponte in duriſſimam maſſam abit, omneque pariter reſpuit artis auxilium. Iſte vero, qui omni uteri ſenſu nondum plane caret, aliquam adhuc admittit curationem, ad quam ideo ſuſcipiendam martialia et mercurialia, interpoſitis euacuantibus, com-
p. 23. mendantur. Hactenus dicta binis obſeruationibus a Cl. Auctore illuſtrantur, quarum prior ſcirrhum uteri in diſſecto corpore concernit. In femina nimirum, viginti annos nata, venereo olim morbo laborante, phthiſicaque inde facta et tandem febre lenta mortua, praeter emaciatum corporis ſtatum, inteſtinorum in primis flexuras cohaerentes, inque anguſtum glomum collectas, et cum vicinis viſceribus coalitas; totum dein peritonaeum, quod abdominis cauum non ſolum amplectitur, verum etiam quod in abdominis viſcera producitur, ſcirrhoſis undiquaque corpuſculis obſitum obſeruauit. Glandulae praeterea meſenterii obſtructae, atque pulmones, ubiuis cum pleura concreti, hepar autem, lien et renes in naturali fere ſtatu reperti fuerunt. In diſquirendis partibus genitalibus, omnem fere peluis capacitatem, copioſis corporibus induratis occupatam, duram dein in fundo uteri ſubſtantiam, et ad eius orificium tumorem, interiorem vero illius ſuperficiem inaequalem, aſperam, peculiari ſubſtantia, cum ouis congelatis comparanda, tectam, annotauit. Tubae Fallopianae diſtinctae et conſpicuae non apparuerunt, pariterque ſiniſtri lateris ouarium diſcerni non potuit, dextrum vero, ſtatu naturali fere praeditum, medio in glomere, ex celluloſa quadam, craſſa, cum ſanguiferis vaſis, muſcularibus fibris et adipoſis globulis confuſa maſſa

maſſa compoſito ſitum obtinuit. Omnium horum p. 30.
viſcerum morboſum ſtatum ex colluuie venerea depoſita ſpiſſataque ortum, atque natam dein ſine ulcere phthiſin ſolis concretionibus ſcirrhoſis originem debuiſſe, Noſter coniicit.

Obſeruatio poſterior uterini ſcirrhi ſanati tradit p. 31.
hiſtoriam. Deſcripto igitur feminae, hoc laborantis, ſtatu, remedia chalybeata cum ingenti ſoluentium herbarum, beccabungae v. g. chaerefolii cet. copia cumque lactis ſero adhibita fuiſſe annotatur. Cum autem horum uſu continuato aegritudines iſtius feminae non ceſſarint, potius adauctae fuerint, mutato ea propter medicationis conſilio ad mercurialia confugiſſe medicum, legimus. Quo circa mercurio dulci, hunc in finem dato, et per aliquod tempus continuato, uterus non ſolum optimo cum ſucceſſu, egrediente ſcilicet e genitalibus lympha albicante, effuſoque poſthac ſanguine copioſo iterumque minuto, reſeratus fuit, verum etiam ſymptomata cuncta ceſſarunt, integraque demum huic feminae reſtituta fuit ſanitas.

VII.

Obſeruationum medicarum de partu laborioſo decades duae; prima et ſecunda. Auctore IOANNE GEORGIO ROEDERER, D. Med. et Anat. P. P. O. Gottingae, 1756. 4. Sumtibus Boſſiegelianis, pl. 11½.

Obſeruationes hae, quarum Cl. Auctor ſuam in arte obſtetricia peritiam plus quam ſimplici vice comprobauit, laborioſum ex brachio in primis et capite prolapſis iam tradunt partum, harumue prima partum ſiſtit difficilem ex prolapſu capitis cum extrema manu. Ad parientem feminam nimirum No- p. 1.
ſter accerſitus fetus faciem, ad ilia matris dextra verſam,

ſam, illiusque manum ſiniſtram, ſimili auri applicatam, ulteriori lapſui obſtantem obſeruans, faciem tenelli verſus os ſacrum conuertit, manumque ſiniſtram extraxit, quo facto partum tunc naturalem accelerauit, leuiſſimamque partus huius difficilis ſpeciem eſſe, hancque ſaepe ſolis naturae viribus abſolui annotauit.

p. 3. Secunda obſeruatione brachii prolapſi hiſtoriam exhibente Cl. Auctor oſtendit, qualem foetus partes obtineant hic poſitum, quaue tunc via manus obſtetricantis ſit ducenda. Morem igitur conſuetum, manum nempe ad corpuſculi ductum ducendi damnans ſuadet, eam trans medium corpuſculum promouere, quo pedes dein trahi, in abdomen flecti, eoque aptius ergaſtula aperiri poſſint.

p. 6. Obſeruatio tertia caſum continet, ubi manus, pes et facies prolapſi fuerunt. Partium igitur mortui ſub ipſo partu foetus male locatarum, pariterque hinc ſuſcipiendae foetus conuerſionis deſcriptione facta, nullam hic brachii prolapſi curam ſe habuiſſe Noſter refert, brachiique in uterum refuſionem ſuperfluum obſtetricum morem eſſe notat.

p. 8. Obſeruatione quarta partus ex prolapſo brachio ad modum laborioſus deſcribitur. Fruſtra illa neceſſaria foetus conuerſione tentata, ſignisque mortui eiusdem iam praeſentibus, ſectio foetus in utero ſuſcepta fuit, qua multo quidem, aſt felici, labore peracta, matris vita ſeruata fuit. Ad ſuſcipiendam hanc ſectionem non niſi neceſſitate urgente, verſione nimirum incaſſum tentata, aut utero ob continuatam dolorum atque ſpaſmorum vim rigente iamque indurato, confugiendum eſſe, Cl. Auctor praecipit, ſimulque operationem hanc iis, qui remediis mitioribus neglectis omni feſtinatione ad eam properant, optimo iure vitio vertit. Contra vero eos, qui deſperatis omnibus aliis remediis ad hoc auxilium compelluntur, monet, ſummam huic operationi cautionem

lentam-

lentamque moderationem adhibendam eſſe, hancque ultimam in primis non nocuiſſe, ſed potius profuiſſe expertus loquitur. At feſtinationem tamen non in uniuerſum reiiciens, ſigna ea propter ſubnectit, quibus ad properandam ſectionem certi fiant operatores.

Quinta obſeruatio brachii cum fune prolapſi par- p. 18.
tusque conduplicato corpore facti meminit. Brachii huius refuſionem fruſtraneo labore ſaepe tentans obſtetrix, id tandem cum alia femina ſeruiente attrahere conſtituit, quo facto femina mortuum quidem puerum enixa, at laborioſo tamen partu liberata, ſalua euaſit. Notabile hic fuit, quod foetus conduplicato corpore, dorſoque primo nato editus fuerit. Cum autem femina haec tribus vicibus talem partum unaque fetum, pedibus praeuiis, viuum ediderit, Noſter ideo, ampliſſimam huic peluim eſſe, indeque infantes facili opera in pedes conuertendos ſeruari potuiſſe colligit.

Obſeruatio ſexta partum quidem facilem con- p. 20.
tinet, matrem vero, ſtatim a partu ob ſanguinis fluxum nimium, obiiſſe refert. Mortuam hanc feminam Cl. Auctor ſecans, placentam violenter ab utero ſolutam, internamque uteri ſuperficiem laceratam, indeque ſanguinis fontes apertos reperit. Vtrum vero obſtetricis nimia feſtinatione, an infantis lapſu praecipiti placenta abrupta fuerit, diiudicare non audet, hoc tamen notans, obſtetrices nimis officioſas in attrahenda placenta ſe praebere. Quo circa multis obſeruationibus, ſuo tempore communicandis, Noſter confirmatus, ſpontaneam placentae ſolutionem expectari, ſolutamque trahi dein, iubet.

Obſeruatione ſeptima lentus propter foetus mor- p. 25.
tem deſcribitur partus. Ex conſuetae illius, qua foetuum corpora obducuntur, vernicis albae ſeu caſeoſae defectu, foetum hunc per aliquod tempus ante partum mortuum iam fuiſſe Noſter colligit, in-

que

que nota ob hanc rem adiecta quaerit, *anne vernicis caſeoſae defectus foetum ante partum mortuum a foetu, quem partus ſuffocauit, diſtinguat?* Ipſum autem foetus corpuſculum mollius factum et maceratum lenti huius partus cauſam fuiſſe, aſſerit.

p. 28. Obſeruatio octaua difficilem ob peluim anguſtam et uterum obliquum partum ſiſtit. Periit ſub ipſo partu foetus ante viuus, pariterque mater inflammatione uteri ſtatim a partu correpta, febreque malae indolis afflicta, paucis poſt partum diebus diem obiit ſupremum. In cadauere aperto, praeter malum reliquorum viſcerum habitum, ſummas peluis anguſtias, uterum oblique ſitum ulcusque inueteratum ad iſtius ceruicem reperit Cl. Auctor, atque mortis embryonis cauſam, capitis in inferiorem peluis aperturam defixi compreſſionem, fuiſſe, et uteri inflammationem ſecutamque gangraenam ab uteri ceruice inter caput et peluim diu preſſa deducendam eſſe, ulcus autem inueteratum inflammationis et gangraenae ortum faciliorem reddidiſſe, declarat.

p. 38. Obſeruatione nona partus deſcribitur, ubi cum latis humeris et abdomine caput prolapſum fuit. Cum lati foetus humeri, ut poſt partum obſeruauit Cl. Auctor, partui moram interpoſuerint, Noſter ideo arte ſuccurrit, cunctaque ita diſpoſuit, ut perfectum demum femina ediderit partum. Rariorem hunc partum eſſe, eumque ſemper ſerotinum fieri, aſſerit.

p. 42. Obſeruatio decima eius modi partus mentionem facit, qui ob obliquum infantis ſitum ad peiorem ſpeciem refertur. Poſterior nimirum capitis pars ex obliquo utero prolapſa fuit, ita, ut capite ad os ſacrum directo nucha cum occipite primo in conſpectum venerit. Partu igitur difficili ob hanc cauſam facto, dolorumque ſubſidio fruſtra expectato, verſio tentata fuit, qua magno cum labore ſudoreue perfecta, amiſſa quidem foetus vita, at optime tamen

poſt

poſt partum calente matre partus abſolutus demum fuit.

Obſeruatio undecima lenti tradit partus hiſtoriam. p. 47.
Cauſam huius lentoris capitis amplitudo, rigidus pudendorum ſinus et in primis uteri orificium, collum embryonis ſtringens, ſuppeditauit. Inſigni cum difficultate obſtetricantisque defatigatione operationem hanc factam, matremque ſeruatam fuiſſe, infanti vero vitam uteri ſtricturam ademiſſe legimus.

Obſeruatio duodecima partus deſcriptionem ex- p. 49.
hibet, ubi vecte opus fuit. Cum nimirum aliis remediis tentatis partus promoueri non potuerit, de vecte admouendo cogitare Noſter coactus fuit. Eo igitur admoto partum dein abſoluit, matrique vitam una cum prole ſeruauit. Cum facies foetus praeuia hic fuerit, atque puer ingrato aſpectu ſeſe praebuerit, Cl. Auctor ideo notat, tali ſtatu fieri, ut foetus varie vitietur, aethiopis formam aliaque acquirat; profluens autem meconium, quo etiam hic foetus conſpurcatus fuit, infantis quidem preſſi, mortui autem ſignum non praebere refert. Vectem in tali negotio Noſter laudat, cui autem tanquam uniuerſali inſtrumento in prolapſo capite non fidit, atque inde monet, interdum verſionis artificium praeferendum, alio tempore forcipe utendum, imo et alio iterum tempore ad perforatorium confugiendum eſſe

Obſeruatio decima tertia caſum ſiſtit, ubi facie p. 53.
prolapſa, forcipeque adhibita viuus, matre inſimul ſuperſtite, extractus fuit foetus. Inſtrumentum hoc temporibus foetus ſupra aures applicatur, eiusque preſſio cum integritate prolis fieri poteſt. Ad mitius inſtrumentorum genus id refert Cl. Auctor, anceps tamen eſſe, foetuique, ſi ſtrictiſſima preſſio diutiusque protracta requiritur, vim inferre notat.

Obſeruatio decima quarta partus meminit, ubi p. 56.
foetus in ipſo partu ob funem, collum bis ſtringen-

tem, mortuus, forcipe adhibita, excuſſus vitaque matris ſeruata fuit. Ad funis, collum cingentis, ſigna refertur lentus capitis progreſſus, foetus retractio, ſanguiniſque ex genitalibus iunctum ſtillicidium. Inter reliqua autem foetus mortui ſigna, peculiaris etiam laxi molliſque capitis oſſiculorum ſtridor, nec non tumor capitis, incrementi expers, annotatur. Tandem et hic caſus, placentam ob funem, foetus artui circumpoſitum, ab eo attractam ſponte ſaepius ſecedere poſſe docet.

p. 60. Obſeruatione decima quinta iterum forcipis uſus mentio facta eſt. Cum nimirum, uti poſt partum vidit Cl. Auctor, funis bis collo et ſemel brachio ſiniſtro arcte circumpoſitus, capitiſque moles magna, ſitus iniquus, ſinus anguſtiſſimus genitaliumque rigor partum ad modum difficilem reddiderint, atque foetus vita ſub ipſo partu, ob adductas cauſas, priuatus fuerit, forcipem ideo Noſter applicuit, qua ultra octo vices applicata foetus tandem ſolutus, ſalua matris vita, fuit. Perforatorio quidem hic opus fuiſſet, ſed ob crudelem huius viſum, adſtantes terrentem, atque ob ipſius operatoris euitandas contumelias, quibus ii hunc, ſi uſurpato perforatorio mortuus extrahitur foetus, haud raro afficere ſolent, inſtrumentum hoc non applicitum fuit. Optimo cum ſucceſſu ante partum foeminae huic venam ſecauit Cl. Auctor, atque opiata, peregrinos noxioſue in partu ſpaſmos abdominales ac uterinos compeſcentia, adeoque uterum roborantia, nec non parturientem reficientia exhibuit, horumque inde uſum ſedulo in eius modi caſu commendat.

p. 69. Obſeruatio decima ſexta partum commemorat, ubi perforatorio opus fuit. Ad parturientem nempe vocatus Cl. Auctor, partuſque regionem ſtatim explorans, funem propendentem, amplum atque obliquum, ad dextra ſcilicet dimotum oſſibuſque pubis infixum, caput obſeruauit. De mortuo igitur

foetu

foetu illico Noſter cogitans, aliis prius remediis mitioribus, ſed fruſtra tentatis, ad perforatorium confugere coactus fuit, hocque in delapſi occipitis hiatum, fontanellam poſteriorem alias dictam, artis lege deiiciens, factum dein foramen illud et digitis etiam dilatauit, membranas lacerauit, ipſisque digitis partem cerebri excuſſit. Quo facto capitis deſcenſum promouit, hocque in vaginam delapſum forcipe arripuit, atque huius ope in ſinum detractum ſolis tandem manibus extraxit, ſuperſtitemque matrem partu hoc feliciter liberauit. Cum ante ſuſceptam operationem enema parturienti iniectum fuerit, rectumque inteſtinum hoc retinuerit, Noſter ideo, enema ab inteſtino parturientis retentum, inter alia uteri obliqui ſigna refert, ſimulque illud in naturali partu a preſſo inteſtino recto non admitti notat.

Obſeruatio decima ſeptima partus meminit, ubi p. 74.
foetus mortuus forcipe extractus fuit. Notabile hic eſt, quod plures obſtetrices, ad parturientem accedentes, miſeram hanc ruditer vexarint, foetusque capitis cutem lacerarint, cranii oſſicula diffregerint, viam effluxuro cerebro parauerint, ita, ut accerſitus dein Noſter pudendorum ſinum cum tota vagina in inſignem durumque tumorem eleuatum, craniique oſſicula nuda, ſoluta paſſim vaginamque acuminibus laedentia, repererit. Gangraenam igitur uteri metuens, ei ſtatim promtiſſimo auxilio ſuccurrit atque ſeruauit.

Obſeruatio decima octaua gemellorum partum p. 77
deſcribit, quorum alter modo naturali prodiit, alter autem, cuius caput pelui infixum laborioſum reddidit partum, operatoris auxilio extractus eſt. Antequam Cl. Auctor acceſſit, chirurgus quidam uncino caput expellere tentauit, nihil vero praeter bina bregmatis oſſa ſoluit, matre interim inſtrumento hoc laeſa. Noſter poſthac adueniens, perforatoriique neceſſitatem cognoſcens, hoc ſtatim applicuit, eo

 caput

caput extenuauit, foetumque dein extraxit. Mater, uteri gangraena correpta, paulo poſt periit. Signa igitur gangraenae Noſter exhibens, de hiſce bene addiſcendis tirones monet, hosque matris in primis quiete, integram valetudinem mentiente, perſaepe falli, oſtendit.

p. 80. Obſeruatio decima nona partus ob faciem, alterutrum os iſchii reſpicientem, humerorumque alterum oſſibus pubis inhaerentem, laborioſi meminit. Cum miſeram feminam imperita obſtetrix male tractauerit, atque chirurgus poſthaec accerſitus illam uncino laeſerit, Noſter ideo de miſeris illis atque violenter illatis parturientium afflictionibus iuſtas querelas inſtituere commotus eſt. Dicit nimirum, admonitiones illas ad niſus edendos, operoſas et moleſtas, praeter neceſſitatem, obſtetricum manus, violentas ſecundinarum ereptiones, porro crudelem uncini applicationem, ſpiritusque vini et aliorum abuſum imprudentem tot matres immolare, quae aliter tractatae ſeruari omnino potuiſſent.

p. 85. Vltima tandem obſeruatio feminam ex gangraena uteri, a partu gemellorum violento, mortuam commemorat, Accerſitus Noſter ob mortem iam inſtantem ab operatione abſtinens, monet hic, manus non admouendas eſſe, ſi inter operandum mors metuatur, operationes tamen ipſi famae anteponere mauult. Atque cum ingenuus huius viri candor atque dexteritas ubique ex his obſeruationibus, quorum continuatiomem auide expectamus, eluceſcant, ipſiſſimis verbis, humanitatem eius praedicantibus, noſtram recenſionem finire malumus. *Praeſtat*, ait, *utique ſexcentas operationes, ut unica mater ſeruetur, facere, quam ſoli ſuae famae conſulendo, dubias operas reiicere. Ancipiti tamen triſtique prognoſi utique famam ſuam munire in ancipiti caſu operatori licet.*

VIII.

IOANNIS PETRI NORDMANN, Moeno-Francofurtenſis, Diſſert. inaug. med. de iſchuria grauidarum. Argent. 1758. 4. pl. 4½.

De grauiſſimo grauidarum ſymptomate, iſchuria, acturus Cl. Auctor, atque cauſſas huius mali explicaturus, primo non nulla de veſicae urinariae fabrica, de formatione et geſtatione foetus, de uteri habitu et ſtructura ex principiis anatomicis et phyſiologicis praeſtruit, quae cum ſatis nota ſint, lubenter praetermittimus. Velox embryonis in utero incrementum in ſcholio ad paragraphum nonum obſeruatione quadam Cl. FRIEDII comprobare annititur, qui ex utero feminae cuiusdam, quae ante tres hebdomadas abortierat, graui haemorrhagia accedente, neque tamen prohibitum rei venereae exercitium intermiſerat, eadem vero iterum uteri haemorrhagia laborantis, maſſam quandam carnoſam extraxerit, multis vaſculis adhaerentibus, ceu ſuae cum utero cohaeſionis veſtigiis, praeditam, quae diſſecta ouulum oſtenderit, quod intus nebuloſum quoddam corpus, in quo omnes foetus partes, praeſertim oculi, tanquam duo puncta nigricantia, et hepar per abdomen pellucidum diſcerni potuerint, in ſe continuiſſet. Vbi vero propius ad iſchuriam grauidarum conſiderandam accedit, praeter conſuetam illius cauſſam, compreſſionem nempe ab utero turgido, tanquam minus conſuetas ex Cll. FRIEDII et KVLMI obſeruationibus, prolapſum uteri verum, atque herniam veſicae urinariae adducit. Poſtquam de diagnoſi et prognoſi huius mali varia diſſeruit, ad auxilia tandem peruenit, optimumque, praeter decubitum ſupinum reclinatumue, in catheteris applicatione, uſque ad partum imminentem frequentius continuanda ponit, varias cautelas circa hoc negotium obſer-

[margin: p. 7. p. 9. p. 19. p. 22. p. 26.]

 uandas

uandas addit, atque omnia fere remedia interna, in primis diuretica, utpote, quae cauſſam morbi non
p. 27. tollant, non ſine ratione reiicit. In iſchuria a prolapſu uteri praeter catheteris uſum ante omnia de utero reponendo cogitandum eſſe arbitratur; atque in
p. 30. iſchuria, ab hernia veſicae urinariae orta, neceſſarium eſſe putat, ut primo tentetur, an tumor digitis ſenſim paullatimque reprimi queat; ſin minus, opus eſſe, ut vel cathetere per vices grauidae ſuccurratur, vel ſi incarcerata ſit hernia, ſectio inſtituatur, atque in his etiam circumſtantiis catheteris applicatio non
p. 31. negligatur. Sub finem diſſertationis, de illis iſchuriae ſpeciebus, quae grauiditatis termino ad finem properante, et partu quodam praeternaturali imminente, aliquando foemellas afficere ſolent, pauca proponit.

IX.

Diſſert. inaug. med. de viribus vitri antimonii cerati ad rationes ſuas reuocatis; Praeſide D. ANDREA ELIA BÜCHNERO, Reſp. Auctore *Io. Frid. Arnoldo Müller.* Hal. 1757. 4. pl. 4.

Cum Cl. huius diſſertationis Auctor animaduertiſſet, neminem huc uſque ita in vitrum antimonii ceratum inquiſiuiſſe, ut appareat, quid potiſſimum ſit, cui tantas in illo remedio vires adſcribere debeamus, laudabili conſilio apud ſe conſtituit, genuinas huius remedii vires ex ſingularum, quibus conſtat, partium natura ac indole eruere. Vt vero nihil eorum omiſiſſe videatur, quae ad remedii huius explorationem pertinent, primo hiſtoriam illius enar-
p. 8. rat, atque ex Ephemeridibus naturae curioſorum * docet, quod et ad dyſenteriam et alios quosdam morbos

* Integra hiſtoria legitur in Ephem. Acad. Nat. Cur. Dec. III. Ann. III. Obſ. 51. p. 58.

bos curandas, ſuperiori iamiam ſaeculo ipſum antimonii vitrum fuerit uſurpatum. Deinde methodum p. 11.
illud parandi docet, neque varias enchireſes in illius praeparatione utiles negligit. Quo autem ſententiam ſuam eo luculentius commonſtrare queat, omnem nimirum vim agendique potentiam antimoniale hoc remedium a vitreſcibili ſua parte, acido inflammabilique vegetabili cerae quodam modo temperata ac inuoluta, accipere, ante omnia docet, quid ſit antimo- p. 14.
nii vitrum, illudque partem mere regulinam, terream vitreſcibilem, omni ſulphurea acidaque portione penitus liberatam eſſe contendit, eamque arſenicali quodam principio impraegnatam eſſe variis argumentis comprobat, ex diuerſis vitreſcibilis huius antimonialis portionis erga acida mineralia relationibus concludit, vitreſcibili non ſolum cum arſenicali inquinamento commixto deberi, quod draſtica violentaque quadam vi polleant non nulla remedia ex antimonio parata, ſed illam quoque, ſi omnis ſubſtantia inflammabilis ex antimonio ablata fuerit, ab acido vitriolico et nitroſo figi, eiuſque vim infringi ac temperari poſſe. His demonſtratis ad ceram progre- p. 20.
ditur, atque ab hac, veluti ex inflammabili acidoque principio, quod ad nitroſum proxime accedat, plurimum participante, talem correctionem ac virium draſticarum mitigationem fieri poſſe arbitratur. Generales autem huius remedii virtutes a leni ſtimulo p. 22.
ac ſolidorum vellicatione deriuari poſſe autumat Noſter; quod cum in primis potiſſimum viis contingat, lenem emeticam ac purgantem vim in eo praecipuas eſſe aſſerit, diaphoreticam tamen, et rarius diureticam ipſi non plane poſſe denegari. Speciales vero, p. 26.
quas in dyſenteria, diarrhoea, colica, variis uterinis euacuationibus mitigandis, maniacis ac epilepticis, ac denique varii generis febribus poſſidere compertum eſt, ex non nullorum recentiorum Anglorum ſcriptis recenſet, atque exemplum viri cuiusdam in me-

 dia

p. 30. dia aetate conſtituti, et catarrho ſuffocatiuo affecti, ex medici cuiusdam ſibi noti obſeruatione commemorat, in quo quinque huius remedii grana hunc affectum lethalem non tantum ſuſtulerunt, ſed et quater repetita nouas illius acceſſiones praeuerterunt, omnibus aliis medicamentis fruſtra adhibitis. Eandem utilitatem et in peſte ſpondet Noſter, cum iam a ſolius vitri antimonii, nulla cera correcti, uſu laudabiles effectus viderint non nulli medici: e. g. FREYTAGIVS et KERNERVS. Sub finem methodum hanc medicinam adhibendi, variasque cautelas circa uſum illius obſeruandas docet.

X.

DOMINICI VANDELII, Phil. ac Medici, Diſſertationes tres. De Aponi thermis: de non nullis inſectis terreſtribus, et Zoophytis marinis; et de vermium terrae reproductione, atque taenia canis. Patauii 1758, ex typographia Io. Baptiſtae Conzatti. 8. pl. 12. et tabb. aen. 5.

Tres, diuerſae tamen materiae, diſſertationes in hoc continentur libello. Harum *prima* inſcribitur: *Obſeruationes variae de Aponi*, *montis Orthoni*, *montis Grotti et S. Petri thermis*; et in quinque diui-
p. 1. ditur capita. *Primum* agit *de Aponi loco*. *Aponi* thermae proſiliunt in agro Aponitano, qui quinque fere paſſuum milliaria Patauio diſtat. Ex ſummitate collis tophacea cum impetu erumpunt, et una cum fumoſis vaporibus per viciniam odorem ſpargunt ſulphureum. Has aquas Cl. Auctor *feruentes* nominat, reſpectu ſcaturiginis vicinae, quae tepidam tantum emittit aquam. Gradum caloris horum fontium emenſus quidem eſt thermometro, ſed arbitrario in 80

gradus

gradus diuiſo, quare hos cum aliarum thermarum gradibus comparare non poſſumus. Aſcendit autem mercurius in *feruentibus* ad 53 gradus, quum in *tepida* aqua ad 26 gradus tantum peruenit. In cauſam caloris thermarum inquirere non audet, quum *explicatis hypotheſibus egeat*, obiter tamen monet, non a fermentatione contrariorum ſalium et mineralium, ſed ab ignibus ſubterraneis calefieri. Quum multa huc et illuc hiant foramina, per quae una cum aqua calidiſſimi vapores exhalant, exſtructum eſt laconicum, ſeu balneum vaporis, in quod aegri, lue venerea praeſertim adfecti, intrant, in quo vero ultra 10, ad ſummum 16 temporis minuta non commorari poſſunt ob vehementem calorem. Occaſione horum vaporum de conſtruendo laconico ſicco, ut illud ſuper Baias, cogitauit, quod nobis non impoſſibile viſum fuit. Quando autem putat, ibi etiam exſtrui p. 11.
poſſe hibernacula, pro aſſeruandis plantis exoticis, ubi melius ſeruarentur, quam in hypocauſtis artefactis, merito de eo dubitamus, quia, niſi nos omnia fallunt, vapores calidi, quum ſimul ſint humidi, plantas citius perire facerent. Caput *ſecundum* de p. 12.
contentis aquarum feruentium Aponi diſſerit. In ea eſt opinione Cl. Auctor, aquas medicatas in ſua origine mineralibus carere, ſolumque illis imbui, dum per fodinarum ſtrata tranſeunt, ibique forſan etiam calorem accipere. Praecipuae partes, quas thermae noſtrae continent, ſunt *argilloſae* et *tophaceae*, has prope ſcaturigines deponunt. Quae autem de *herbaceo viridi* profert *ſedamine*, quod ex herbarum arborumque particulis, in itinere ſub terra abraſis, conſtare affirmat, intelligere plane, ut verum fateamur, non valemus. Rei enim natura nos cogit indolem *herbaceam* et colorem viridem ſub terra deſtructum nobis concipere. Aut fallimur, aut Cl. Auctor confundit herbaceum hoc ſedimen, cum virideſcente illa materia, quae tophos omnium thermarum, quas quidem

nos nouimus, tegit, et ad conſeruarum et tremellarum ſpecies, de quibus capite ſequenti agit, pertinet.
p. 15. Tophorum duas ſpecies deſcribit, *ſpumoſum* et *vermiculatum*, quem ultimum etiam depingi curauit. Hos ex particulis *tartareis*, quae aliis ſcriptoribus *calcareae* audiunt, et *lapideis* concreſcere, et ope caloris in tophum commutari autumat. Nos potius defectu caloris tophum formari credimus. Ope enim caloris, ſi recte quidem iudicamus, particulae tophaceae ſoluuntur, et ſolutae in terrae cryptis tenentur. Simul ac autem hae aquae prorumpunt, et aeri liber acceſſus conceditur, calor aquarum neceſſario decreſcit, et particulae terreae ſe praecipitant atque coeunt, ſeu formatur tophus. Alterum harum aqua-
p. 18. rum contentum, ſecundum Cl. Auctorem, eſt materia *calcarea lapidea*, quae, uti nobis quidem videtur, cum praecedenti conuenit. Obducit haec paucis diebus omnia his aquis impoſita, e. g. ſtamina, ligna, arborum folia, ouorum teſtas cruſta tophacea, ſeu lapidea, qua in re hae thermae multum ſimilitudinis cum thermis Carolinis, in Bohemia ſcatentibus, habent. Deponunt noſtrae thermae Aponitanae
p. 23. etiam puriſſimum ſulphur, quod, uti Cl. Auctor ait, *a nullis unquam fide dignis, qui de his aquis ſcripſerunt, inuentum eſt.* Hoc eo magis mirum nobis viſum fuit, quo certius Cl. Auctor affirmat, ſe *plus quam libram unam ſulphuris in duorum pedum ſpatio* reperiſſe, quod canalium lateribus, ad inſtar florum, eodem, ſine dubio, modo, ac in thermis Aquisgranenſibus, adhaeſit. Praeter ſulphur in eodem canali inuenit Cl. Auctor quoque ferrum puriſſimum, quod a magnete in experimentis ſtatim adtrahitur. Ad hoc detexit in terra ſubuiridi, quam aquae in canali deponunt, partes metallicas, quas cum borace veneto et nitro fudit, et puriſſimum pariter ferrum inde accepit.
p. 26. Mentionem quoque facit ſalis, quem aquae ſuper ſaxis reponunt. Hic ſal hoc peculiare habet, quod

tantum

tantum mane, antequam ſol oriatur, colligi poſſit, poſt meridiem autem a ſolis calore ſoluatur, et nihil aliud ſupra ſaxa remaneat, niſi albiſſima terra. Nobis in mentem venit, an non hic ſal, quod naturam et ſpeciem eius attinet, ſimillimus ſit ſali mirabili GLAVBERI, qui tam diu, quoad ſatis humiditatis habet, formam cryſtallorum retinet, ſed diſſipato, a ſolis vel aeris calore, humido, in terram albiſſimam dilabitur, quae tamen ſalis naturam ideo non perdit, ſed addito ſufficienti humido, lege artis in priores cryſtallos denuo conuertitur. Hoc nobis eo magis probabile videtur, quo ſales thermarum plus ad naturam ſalis mirabilis vergunt. Refert nunc Cl. p. 31.
Auctor quantitates et proportiones materiae illius reſiduae terreo - ſalinae, quam ex *Aponi* aquis, tam *feruidis*, quam *tepidis*, ex aquis *montis Orthoni*, et denique ex aquis *virginis* eiusdem montis, quos non ſolum ſole lente, ſed etiam igne citius exhalare fecit, acquiſiuit. Sale poſthaec a terra arte ſeparato, concludit, hanc ad terras calcareas et gypſeas pertinere, illum autem verum ſalem neutrum eſſe, qui, propter coniunctum ſulphur et nitrum, quod ultimum tamen in prioribus non probauit, non multum diſtaret a natura *ſalis polychreſti.* Si autem noſtram ſententiam adiicere debemus, perſuaſi ſumus, hunc ſalem ſimiliter ac priorem, ad naturam ſalium thermarum, quibus cum, ut modo monuimus, ſal mirabilis perfecte conuenit, accedere: id quod ex experientia tertia, mutatione ſcilicet ſolutionis mercurii viui, et ex experientia ſexta, materiae nempe luteae, ex ſolutione argenti viui, ope aquae fortis facta, praecipitatae, ſuſpicamur. Interim a vero parum vel nihil aberrat Cl. Auctor, quando, ad ſpeciem ſalis non attendendo, in fine capitis ſecundi in genere dicit: *aquae thermales Aponitanae continent ſalem, ſulphur, ferrum, aliquid gypſi et terram calcaream.* Caput *ter-* p. 35.
tium memorat *herbas, quae in aquis calidis et feruen-*

tibus

tibus viuunt. Quem ad modum lacus, ſtagna, riui, fluuii, et maria ſuas habent plantas, quae in iis creſcunt, florent et vigent: ſic thermae peculiares et ſpecificas habent; quae in calidis tantum aquis virent. Conferuarum generi eas adnumerauit, celeberrimum ſecutus LINNAEVM, qui conferuas ſub cryptogamiis Claſſe XXIV comprehendit. Obſeruauit autem quinque conferuarum ſpecies. Prima eſt, *Conferua Aponitana folio triquetro, fere algae marinae ſimili:* altera, *Conferua ramoſa Aponitana in fibra longiſſima capillari veſiculis donata:* tertia, *Conferua ramoſa alba St. Petri:* quarta, *Conferua capillacea ſimplex montis Grotti:* et quinta, *Conferua capillacea ramoſa montis Grotti ab herbacea membrana oriens.* Has omnes ſatis nitidis exprimit iconibus. Reperit quoque in cauitatibus ſaxorum, per quas aqua feruens excurrit, *Tremellae* ſpeciem. Hanc cum ea, quam Cl. SPRINGSFELD in thermis Carolinis obſeruauit, et in *Commentariis Berolinenſibus* * deſcripſit, comparat: diuerſam tamen ab illa, quum hanc ipſi vidimus, eſſe iudicamus. Adiicit tandem Cl. Auctor quasdam plantas ſponte circa thermas Aponitanas naſcentes, quas vero, quum non nouae ſint,
p. 49. praetermittimus. Caput *quartum animalia* refert *aquarum thermalium.* Sunt autem haec parua *buccina,* paruae *cantharides*, et quaedam *ſquillarum* ſpecies,
p. 61. quae omnia depingi curauit. Caput *quintum* pauca habet de *admirabili Aponi et montis Orthoni thermarum virtute.* Adhibentur eae externe et interne. Interne ſumtae aluum blande ſaepe ducunt, aquae vero montis *Orthoni* urinam praeſertim copioſe mouent, et perſpirationem augent. Gaudent in primis eximia virtute reſoluendi et aperiendi, quare craſſos et viſcidos humores hiſce attenuatos; flatus hypochondria-

* *Hiſtoire de l'Academie Royale des Sçiences, année* 1752. *à Berlin,* p. 104. et Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 688.

chondriacos et hyſtericos hiſce mitigatos atque correctos; viſcerum obſtructiones et infarctus hiſce ſolutos recenſet Cl. Auctor. Laudat praeter ea harum thermarum facultatem tonum roborandi, et ſolida laxata firmandi. Balnea externe uſurpata medentur praeſertim morbis cutaneis et tumoribus oedematoſis frigidis. Lutum thermarum ſimul adhibitum curat dolores arthriticos, et morborum reſolutiones. Memoratu autem dignum eſt hydrocephalon infantis hiſce balneis ſanatum. In fine huius diſſertationis prima adhuc addit Cl. Auctor D. IOSEPH. BERTOSSIVM de *Aponi* thermis proxime eſſe plura ſcripturum.

Sequitur nunc diſſertatio *ſecunda* de quibusdam p. 67. inſectis, balano et zoophytis marinis, quae ſex diuerſis capitibus abſoluitur. Horum *primum* probat, quod *ſcorpionum filioli non ſemper a matre occidantur*, ſicut multi eruditi, et nuper Ill. MAVPERTVIS perhibuere, ſed ſub terra a matris voracitate ſe defendunt. *Secundum* caput, quod de *ſubtiliſſimis equorum* p. 71. *vermibus* inſcribitur, docet, in equis extra inteſtina in abdominis cauitate, praeſertim prope hepar, reperiri vermiculos albos, ſubtiliſſimos et teretes, qui abdomen libere perreptant. Equorum laniones fidem fecerunt Cl. Auctori in omnibus equis eius modi vermiculos, minori aut maiori tantum quantitate, inueniri, quod Cl. Auctor eo magis miratur, quia neque Cll. RHEDIVS, neque CAROLVS RVINVS, qui de induſtria de equorum morbis ſcripſit, horum vermiculorum mentionem fecerunt: licet Cl. BERNARDINVS GALLEGARIVS in falconibus, et Cl. WELSCHIVS in alaudis iſtius ſpeciei vermiculos obſeruauerint. Vt igitur eo facilius in poſterum ab obſeruatoribus cognoſcerentur, eorum iconem adiecit. Sequentia capita de marinis, et caput in primis *tertium* de *balanis Venetiarum*, *quartum* de *uua marina*, p. 77. *quintum* de *cucumere marino*, et *ſextum* de *mentula marina*

rina litoris maris Adriatici agit. Horum ſtructuram examinat Cl. Auctor, eorumque figuras exhibet.

p. 98. Opuſculum claudit diſſertatio *tertia*, de *vermium ſeu lumbricorum terrae reproductione* controuerſiam mouens. Quatuor haec comprehendit capita. *Primum* narrat hiſtoriam, quae Cl. Auctori occaſionem dedit has inſtituendi experientias. Non nulli rerum naturalium ſcrutatores, praeſertim Ill. REAVMVR adſeuerarunt, vermes terrenos in multas partes diſſectos, aliquorum menſium ſpatio unamquamque eorundem partem reſtitui, perfectumque vermem denuo fieri, procreando ſibi omnes illas partes, quas in ſectione lumbrici pars amiſerat, eadem ratione, qua illud in quibusdam inſectis aquaticis accidit, et a Cl. TREMBLEY, polyporum exemplis probatum eſt. Aſt perpendens Cl. Auctor lumbricorum ſtructuram minime, ut polyporum, plantarum ſtructuram aemulari: potius lumbricos ſtructura gaudere mechanica, aliorum animalium non adeo abſimili, de aſſertae rei veritate dubitare coepit, ipſeque pericula fecit.
p. 105. Inuenit autem illam partem ſolum modo, quae os, oeſophagum, ventriculum, inteſtini et meſenterii principium, cerebrum, cor et ouaria retinebat, incrementum paulatim capere, amiſſasque partes rurſus producere, adeoque integrum lumbricum euadere; eodem modo, quo lacertae caudas, cancri deperditas chelas, cerui quotannis cornua, ſepia ſuos articulos amiſſos cet. recuperant. Si vero diſſectio ita facta erat, ut cerebrum, cor, aut ventriculus laederentur, illae partes abſciſſae, quia organis vitae et nutritionis carebant, perierunt: ut igitur ſuperiori opinioni non, niſi multum limitatis
p. 110. ſub conditionibus, adſentiendum ſit. Ad omnia autem melius capienda *ſecundum* caput *anatomiam lumbricorum terreſtrium* exponit, primariasque partes figuris illuſtrat. Quum vero dicta ſine adiectis figuris

ris intelligi nequeant, ad librum ipſum lectores ab-
legamus. Caput *tertium experimenta* ipſa recenſet, p. 132.
nosque docet, quanta cautione, quibusque ſub circum-
ſtantiis facta ſint, ubi Cl. Auctor ſimul affirmat, ſe p. 147.
ſimilia experimenta in aliis terrae inſectis, v. c. tere-
dine terreſtri, ſcolopendria, millepedibus et cochlea
nuda inſtituiſſe, et ſemper reperiſſe huius modi in-
ſecta, eorumque partes abſciſſas paucis diebus peri-
iſſe. *Qartum* et ultimum caput continet obſeruatio- p. 148.
nem de *taenia canis*, quam Cl. Auctor, dum viuum
canem alius experimenti cauſa publice, in praeſentia
non nullorum ſociorum, diſſecabat, in ieiuno inte-
ſtino reperit, viuumque extraxit. Vermicularem
ſuum motum per duo horae minuta continuauit, ſed
breui tempore poſt obiit. Examinauit deinde Cl. Au-
ctor, num compoſita ſit ex pluribus cucurbitinis, ut
multi putarunt. Sed omnia internodia ita harmoni-
ce erant diſpoſita, firmiterque inter ſe connexa, ut
nullum relinquerent dubium, hanc taeniam unum
atque continuum eſſe vermem. Magis autem illum,
praeter ſectionem anatomicam, conuicit extenſio
cum ſpecillo craſſiori immiſſo facta, et iniectio cera-
ceae materiae coloratae ultra annulos, absque eorum
disruptione, propulſae. Ex quibus ſimul ſumtis,
una cum Sociis praeſentibus, concludit, *taeniam non
ex aliis vermibus conſtare, ſed eſſe ex ſe verum atque
unicum vermem.*

XI.

Saggi di Medicina degli Accademici Conghietturanti di Modena Tomo primo in Carpi, nella ſtampa del Publ. per Franceſco Torri. 1756. 4to. pl. 11.

i. e.

Tentamina medica Academicorum Modenenſium coniecturas facientium Tom. I.

Licet in ſpeciminibus ab hac academia propoſitis nondum inueniamus diſſertationes, quae nouis inuentis placeant, tamen cum res paruae ſaepius creſcant et futura commoda promittant, initia eius breuiter indicare conuenit. Iuniores Medici Collegii Modenenſis in ſocietatem quandam coiuerunt, in qua noua inuenta in medicina facta diſquirerent, ipſique diſſertationes varias medici argumenti elaborarent. Menſe aprili anni huius ſeculi quinquageſimi primi Sereniſſimus Princeps FRANCISCVS III Dux Modenenſis, academiam hanc medicorum ſua auctoritate ſtabiliuit; Socii itaque in conuentibus ſuis intra anni ſpatium duodecim diſſertationes praelegunt, ex quibus quatuor prelo dignae iudicantur. Praeſes huius academiae electus erat Cl. MORANDO MORANDO Medicus principis haereditarii Modenenſis, qui vero eo ipſo anno, quo tentaminum horum primum volumen editum fuit, morte praematura ereptus, ſocietati eum non reddere potuit ſplendorem, quem ab eius cura expectabant. Praefationis loco ſermo additur, quem in conſeſſu publico primo recitauit Cl. MORANDO, in quo tamen, utpote breuiſſimo, non niſi generalis exhortatio ad labores acriter ſuſcipiendos continetur.

p. 7. *Diſſ.* I. D. IOSEPHI RAMAZZINI, Medici aggregati, et primi Cenſoris Sodalium coniecturas facientium, *an gutta ſerena ſiue amauroſis dependeat a para-*

paralyſi partium organi viſus principalium, diſquirit. Eſt vero *gutta ſerena*, ex mente Auctoris, *affectio praeternaturalis, quae oculum laedit, immediata potiſſimum ac principalia inſtrumenta viſus afficiens; unde viſio prorſus aboletur, licet extime in aegrorum bulbo nil morboſi animaduertatur.* Sedem huius mali ſiſtunt partes principales viſionis, ſiue neruus opticus, in plures ramificationes diſtinctus: cuius enim ab obſtructione et laxitate ſuam illud trahit originem. Quum autem paralyſis nerui optici a plerisque noſtri aeui medicis ſtatuatur princeps cauſſa amauroſeos, Cl. Auctor hanc ſibi multis rationibus infringendam re- p. 11. futandamque ſumit ſententiam, quae vero nobis obſcurae ſatis et mancae viſae ſunt. *Subtiliori* enim *magiſterio* adſerit Noſter formatum eſſe neruum opticum, quam alii nerui, ideo, ut fibrarum eius parallelismum haud aeque, ac alios neruos, laceſſere poſſit multiplex morborum agmen; neque etiam addit idem obſeruari in neruo optico reſolutionem ullam, neque ariduram. Quibus praemiſſis, veras p. 16. morbi iſtius cauſſas in primis quatuor idem fuſo ſermone comprobare annititur: nimirum 1) retinae inflammationem vel humorum in filamentis eius concretionem; 2) nerui optici, a thalamis ad bulbum uſque progreſſi, compreſſionem vel corruptionem; 3) cerebri medullam lue gallica affectorum ſimul, cum perioſteo baſis cranii vel oſſis cuneiformis, ſuppuratione vitiatam; 4) tetras denique et caliginoſas exhalationes, e ſanguine vel lymphatico humore in ipſo cortice cerebri extra vaſa effuſo, fines neruorum comprimente, eleuatas, luminis organum obtenebrantes. Quae quidem cauſſae propoſitae quonam fundamento nitantur, iam non diiudicamus, certe Auctoris mentem ob impurum obſcurumque dicendi genus, quo uſus eſt, non ubique capientes.

Diſſ. 2. Secretarium Academiae Cl. WOLFGANG p. 30. ANNIBAL LEPORATI, Med. Doct. et ſocietatis

 bota-

botanicae florentinae ſocium, Auctorem habet et lingua italica conſcripta eſt. Quaeſtionem mouet: *an potus Coffee, qui inter alios effectus menſtrua et haemorrhagias periodicas excitat, feminis grauidis periculum inferat?* Varia itaque generalia de nomine et virtutibus, nec non de examine chemico fructus Coffee, ex diuerſis auctoribus collecta praemittuntur, et inde ſpeciatim colligitur, hoc potus genus ventriculo hauſtum, aromaticis et volatilibus oleoſis particulis in ſanguinem abire, et dum minima corporis vaſa penetrat, motus oſcillatorios in fibris minimis excitare, ideoque etiam ad uterum peruenire, et in eius arterias violentius impelli, per venas vero valuulis deſtitutas, nulloque motu muſculari adiutas, celeriter recurrere non poſſe, ſed ſtagnando vaſa diſtendere et non raro perrumpere. Ex quibus omnibus, citatis ſimul praeſtantiſſimorum ſcriptorum teſtimoniis, incommoda, quae grauidis a potu Coffee ſuperuenire poſſint, recenſet, eiusque uſum damnat.

p. 43. *Diſſ.* 3. D. ANTONIVS MORANDI, Modenenſis, Academicus conjecturas facientium, *cognitionem anatomicam multum conferre medico, ſed eadem medicum non conflari, uſu potius, continua aegrotantium inſpectione, rerumque naturalium cognitione ipſum fieri,* copioſius comprobare ſtuduit.

p. 72. *Diſſ.* 4. *De utilitate ſanguinis miſſionis in pede in pectoris morbis inflammatoriis* diſſerit IOSEPHVS PAVARELLI, Med. Doct. In pectoris inflammationibus venam cubiti ſecandam eſſe aſſerit HIPPOCRATES et alii artis doctores eum hac in re ſequuti ſunt, cum autem non nulli venae ſectionem in pede proſpero cum ſucceſſu inſtituerint, et Cl. Auctor ad ſuam quoque prouocet experientiam, hanc argumentis adductis commendare intendit. Praemiſſa itaque differentia venae ſectionis euacuatoriae, deriuatoriae et reuulſoriae, euacuatoriam in brachio et in latere quidem affecto fieri debere ipſe concedit, reuulſoriam

autem

autem in pede praeſtandam eſſe porro aſſerit. Ad locum HIPPOCRATIS prouocat, quo quam longiſſime a loco affecto ſecandam eſſe venam urget, et licet PROSPER MARTIANVS hanc venae ſectionem praeſeruatoriam eſſe dicat, tamen Noſter de reuulſoria intelligendum eſſe contendit. Poſtquam itaque de deriuatoria quaedam propoſuit, oſtendit quoque ſanguinem non cum tanto impetu per aortae ramos aſcendentes ferri poſſe, ubi euacuatione in venis pedis facta celerius in eius arterias fertur, tandemque ad experientiam prouocat, qua apparet venae ſectionem in pede fluxum menſtruum accelerare, et ſanguiſugas, haemorrhoidibus tumentibus applicatas, dolores capitis ſedare.



XII.

Eſſays and Obſervations, phyſical and litterary, read before a Society in Edinburgh, and publiſhed by them. Volume II. Edimburgh; printed by G. Hamilton and I. Balfour, 1756. 8 mai. pagin. 436. tab. aen. 7.*

h. e.

Tentamina et obſeruationes medici et litterarii argumenti, coram Societate Edimburgenſi praelectae atque ab eadem in lucem editae. Vol. II.

Indicauimus alio tempore ** Volumen primum tentaminum et obſeruationum, quas edidit praeclara medicorum Edinburgenſium ſocietas, atque lubentes iam continuatos in Volumine ſecundo eorum labores egregios exponere noſtris lectoribus adgredimur.

p. 1. 1) *Deſcriptionem nouae* plantae dedit D. ALEXANDER GARDEN, medicus Charleſtonenſis, qui eam, haud procul ab Eboraco nouo Nouae Angliae inuentam, primo intuitu putauit eſſe Hypericum, ſed examinando accuratius omnino diuerſam ab Hyperico deprehendit: Id, quod etiam Cl. COLDEN, femina rei herbariae deditiſſima, cui eandem ad examinandum miſerat Cl. GARDEN, et qua etiam hanc et deſcripſit et nomine GARDENIAE inſigniuit, ſua ſententia confirmauit. Duplex autem hic legitur plantae

* Prodiit iamiam anno 1757. Altenburgi germanica verſio huius ſecundi voluminis, cuius priores ſex articulos Cl. KAESTNER, reliquos omnes vero Zuickauienſium olim, nunc Ptochodochii Waldheimenſis Medicus Ordinar. Lic. IOANNES ERNESTVS GREDING tranſtulit.

** vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 54 ſqq.

plantae iſtius deſcriptio; una, quam Cl. GARDEN, altera quam Cl. COLDEN exhibuit. Ex utraque praecipua momenta deſcriptionis huc transferamus: Radix eſt perpendicularis, ſimplex, mollis, in plures diuiſa fibras: caulis ſimplex fruticoſus, teres, rectus glaber, ex alis foliorum ramoſus: folia ſimplicia, ſeſſilia ex oppoſito alterna, integerrima, ouata, aurita, ſuperne viridia, inferne glauca, punctis lucidis hyperici foliorum inſtar perforata: pedunculus nunc alaris, nunc filiformis terminatrix: calyx pentaphyllus, foliolis linearibus, lanceolatis acutis: corolla pentapetala pallide rubra, bracteis lanceolatis: Stamina; Filamenta nouem filiformia, baſi in tria corpora coalita, inter quae tria nectaria ſtant obtuſa, craſſa; Antherae ſubrotundae, paruae luteae. Piſtillum germen trigonum: ſtyli tres reflexi teretes; ſtigma nullum. Pericarpium capſula oblonga, obtuſe triquetra, trilocularis, triualuis: Semina plurima, parua, obtuſe cylindrica, in duobus ordinibus filamento adhaerentia receptaculo ſuo. Differt adeo *Gardenia* ab Hyperico in primis numero ſtaminum et nectariis: haec enim deſunt in Hyperico, et ſtamina plurima habet Hypericum, nouem vero Gardenia.

2) *Matricem* ſiue *ouarium Buccini ampullati* deſcribit et delineat ROB. WHYTT, M. D. Societ. Reg. et Colleg. Reg. Medic. Sodalis et Prof. Medic. Edimburgenſ. Eſt vero longa ſatis congeries cellarum, e ſucco glutinoſo, quem purpurae et buccina ſolent verſus hyemem et vere primo excernere, conformatarum, in quibus latent recens natae purpurae, quarum tamen ſtructura admiranda non poteſt intelligi facile ſine iconibus. p. 8.

3) *Fragmenta oſſium aliquot vaſtae molis* depinxit GEORGE CLERK. Scapula fuit, coſta et fragmenta p. 11.

 coſta-

coſtarum fractarum prope urbem Drumfries in terrae margaceae fodina effoſſa, breuique poſt reliqua oſſa eiusdem animalis, ſed deſtructa, et putantur fuiſſe alcis vel alius animalis, quod iam non amplius habitet in iſtis terris.

p. 12. 4) *Obſeruationes de luce et coloribus* exhibet THOMAS MELVILL, M. A. qui decembri menſe 1753. anno aetatis 27, magno ſcientiarum damno obiit. Diſplicuit Auctori, quod theoriae lucis et colorum nihil plane poſt NEWTONVM additum ſit, nihil eorum, quae dubia vir ſummus reliquerat, propius ad certitudinem adductum. Igitur progredi ulterius in his diſquiſitionibus decreuit, et progreſſuum ſpecimina egregia hic exhibuit. Illa nunc enumerare longum nimis eſſet, ut eſt ab inſtituto noſtro alienum, igitur titulos ſectionum ſaltem indicabimus, unde intelligant harum rerum ſtudioſi, quantum ex ſcripti ipſius lectione proficere poſſint.

Sectio I. *de mutua penetratione lucis*, unde ſummam raritatem aeque ac tenuitatem particularum lu-
p. 18. cis colligit. Sectio II. *quo modo corpora calefiant a luce.* Cum certum ſit lucem in medio homogeneo nullas amplius mutationes pati, non niſi a ſuperficie corporis ad interiora calor a luce natus propagatur, lumen vero ipſum corpori iam immiſſum, illud non
p. 22. amplius calefacit. Vnde Cl. BOERHAAVE in Elem. Chem. Art. de igne cor. 5. poſt Exper. 14. et cor. 1. 7. poſt Exper. 17. de vehementiſſimo igne in foco ſpeculi cauſtici, dum focus ille cadit in liberum aerem, quaedam non ſatis vera protulit. Scilicet aer hic ipſe a foco non calefit, eo indicio, quod plumula immediate ſupra focum ſuſpenſa, aut fumi tabaci flumen ſupra eum emiſſum, non agitentur, ut fieri deberet, ſi aer in foco calefieret, cum tunc expan-
p. 25. ſurus ſe eſſet et adſcenſurus. Sectio III. *de guttulis pluuiae in foliis braſſicae aut aliarum plantarum, mercurii*

curii ad modum ſplendentibus. Ait Noſter illas non contingere folia, ſed vi quadam repellente ad exiguam a foliis diſtantiam in aere pendula ſuſtineri. Sect. IV. *quo modo mutentur colores corporum, varia* p. 31.
luce colluſtratorum. Colores principes, flauus, viridis, coeruleus, ad lucem ſpirituum ardentium perparum mutantur, varie vero, ſi ſpiritibus continuo ſales iniiciuntur. Sale ammoniaco, cineribus clauellatis aut alumine infuſis, rubicunda corpora ſordida veluti apparent; viridis et coeruleus iidem fere, ac ad candelae lucem videntur, ſed debiles et qui vix agnoſci poſſint, albus et flauus vix mutantur. Nitro aut ſale marino abunde ſpiritibus ardentibus immixtis, omnibusque violenter agitatis, corpora ſplendide rubicunda ad hanc lucem viſa, colore ſordide fuſco obducuntur, qualis eſt facierum, quas ſol aduſſit, et in quo nihil rubri detegitur: viridis color in alium fuſcum abit, qui a praecedente eo differt, quod ad liuidum oliuum inclinatur: nitro admixto adhuc reſiduum virideſcentis coloris cernitur, niſi maxima copia admiſceatur: color ſaturate coeruleus a nigro vix diſtingui poteſt, immo nigro ipſo profundius niger videtur: coeruleus minus ſaturus in fuſcum parum ſaturum (*very light brown*) ſui generis; albus ad liuidum ſubflauum vergit; flauus ſolus nihil mutatur, et valde ſplendet. Experimenta haec Noſter cum p. 33.
corporibus viuidis coloribus tinctis, textis ſericeis et picturis fecit. Cuprum politum, quod ab aere colorem flammae nactum eſt, in eadem luce orichalci ad modum conſpicitur, facies manusque ſpectatorum cadauera referunt. Sect. V. contra Cl. EVLE- p. 36.
RI ſententiam, opaca corpora non reflectere lucem acceptam, ſed vim illis propriam ad vibrationes in materia lucis excitandas, a luce immiſſa velut procurari, monetur nihil eſſe in rerum natura, quod vim talem corporibus tribuere iubeat. Sect. VI. *de cauſ-* p. 40.
ſis, cur radii diuerſimode ſint refrangibiles, agit, quam in

in diuerſa radiorum velocitate rectius, quam in denſitate diuerſa, poni oſtendit. Sect. VII. quam parum
p. 54.
p. 59. adhuc *inflexionem lucis* noſcamus, monſtrat. Sect. VIII. *dubia, difficultates et coniecturas de luce, coloribus* et *coloratis corporibus* continet. Inter haec multa ſunt, quae cum theoria colorum Newtoniana vix videntur conciliari poſſe. Id vero, ut Cl. Auctor exiſtimat, non indicat theoriam eſſe falſam, ſed illam non omnia, unde lucis phaenomena pendent, continere, futura phyſicorum induſtria detegenda.

p. 91. 5) *Anonymus facilem methodum computandae parallaxeos lunae* edit.

p. 105. 6) Cl. KEPLERI Problema *de inuenienda anomalia eccentrici ex anomalia media* ſoluit MATTH. STEWART, Prof. Matheſ. Edimb. Etſi plures problematis ſolutiones iam proſtent, hanc tamen utilem eſſe poſſe credit iis, qui in altiora matheſeos non multum penetrarunt.

p. 145. 7) *De frigore ab euaporatione fluidorum producto, nec non de aliis quibusdam frigus producendi auxiliis* diſſerit Cl. GVILIELMVS CVLLEN *. Mercurii deſcenſus, in thermometro Fahrenheitiano, ſtatim poſt eius extractionem ex ſpiritu vini, eiusdem cum ambiente aere caloris, vel parum frigidior, conſtanter obſeruatus, ſimiliumque Cl. DE MAIRAN experimentorum recordatio, Noſtrum induxerunt, ut ad indagandam huius phaenomeni cauſſam varia alia ad-
p. 146. huc experimenta inſtitueret. Repetita itaque hac cum ſpiritu vini facta obſeruatione inuenit, mercurium per iteratas immerſiones extractionesque thermometri, eiusdemque, quamdiu humidum manebat, in aere libero celeres commotiones, vel aeris follium ope afflatum, a gradibus 44 infra frigoris gradum,

* d. 1 maii 1755.

gradum, et ſi alia quaedam fluida adhiberet, longe magis adhuc deſcendere. Adhibuit vero ſpiritum p. 149. ſalis ammoniaci cum calce viua factum, aetherem FROBENII, aetherem nitroſum, tincturam ſulphuris volatilem, ſpiritum vini, ſpiritum ſalis ammoniaci cum alcali fixo paratum, ſpiritum frumenti, vinum, acetum, aquam, oleum terebinthinae, menthae et amomi. Et cum ordo, ſecundum quem *Cl. Auctor* haec fluida recenſuit, proportionatam inſimul fluidi cuiuslibet in producendo frigore virtutem indicet, qua, quodlibet priore loco nominatum, non ſolum proxime ſubſequens, ſed et omnia reliqua antecellat; potentiam horum fluidorum in producendo frigore p. 150. proportionatam fere eorum gradui volatilitatis eſſe concludit, atque hinc quoque colligit, frigus productum euaporationis effectum, admodumque proba- p. 151. bile eſſe, omnia fluida, miſcelam aeris immediate non afficientia, euaporando frigus producere. Licet enim thermometrum, acido quodam foſſili humectatum, conſiderabilem caloris gradum indicet, hunc tamen non ab ipſo acido, ſed ab aqua, quam acida haec ex aere attrahunt, huiusque cum acido miſcela, oriri, ex eo quoque probari arbitratur, quia acidum vitrioli duplae aquae fontanae quantitati mixtum, in thermometro, refrigerata hac miſcela humectato, maiorem ſane, quam aqua ſola, frigoris p. 152. gradum ipſi produxiſſe viſum eſt. Antlia pneumatica vero ipſum docuit, frigus in ante memoratis tentaminibus productum nequaquam effectum miſcelae variorum horum fluidorum cum aere eſſe, cum potius conſtanter inuenerit, euaporationem ſpiritus vi- p. 154. ni in vacuo maiorem adhuc frigoris gradum, quam in aere libero producere. Eadem quoque experi- p. 155. menta cum ſpiritu calcis viuae, cum ſale ammoniaco parato, et utroque aethere ſub antlia repetiit, atque mercurium eo tempore, qu o aer exhauriebatur, admodum celeriter et profunde, et quidem ſemel a

gradu 50 infra 20 deſcendiſſe inuenit. In alio cum aethere nitroſo inſtituto experimento, cum aer externus 53 graduum eſſet, vas aetherem continens in aliud aqua plenum poſuit. Recipiente vero exhauſto,
p. 156. vaſisque per pauca minuta in vacuo relictis, maximam aquae partem congelatam, et vas aetherem continens, craſſa firmaque glaciei cruſta circumdatum reperiit; et hunc, tantum frigus producendi modum, antea non cognitum, ulteriori examine dignum eſſe iudicauit.

p. 157. 8) *Experimenta cum magneſia alba*, *calce viua*, *et quibusdam aliis alcalinis ſubſtantiis* inſtituit Cl. IOSEPHVS BLACK.* Egregiam hanc diſquiſitionem Cl. Auctor in duas partes diuiſit, in quarum prima in magneſiae naturam inquiſiturus, et ſpeciatim eius proprietates cum aliarum abſorbentium proprietatibus comparaturus, harum ad modum diuerſa genera, licet ſub uno plerumque nomine comprehenſa,
p. 184. detexit. In altera vero naturam calcis ita explicare tentauit, ut facili modo plurimarum huius ſubſtantiae proprietatum rationes redderet, omniaque expe-
p. 161. rimentis ſaepius repetitis confirmaret. Ex defectu vero aliarum magneſiae ſpecierum, illam, quae ex ſale Epſomenſi, ſecundum praeparationem, a Cl.
p. 164. Auctore indicatam, obtinetur, adhibuit; et, medica eius virtute, purgandi nimirum facultate, diſquiſita, oſtendit, quaenam ſalia neutra ex coniunctione magneſiae cum quolibet vulgarium acidorum oriantur.
p. 166. Ex quo porro differentiam ſuae ipſius magneſiae ab illis duabus, Ill. FRID. HOFFMANNO cognitis, magneſiae ſpeciebus, nec non a terris calcariis, declarat, utpote, quae ſe non ſolum in coniunctione cum acido vitrioli, ſed et cum acido nitri et vegeta-
p. 168. bili facile manifeſtaret. Inquiſiturus poſtea, quemnam locum magneſia in Cl. GEOFFROY tabula electiuae

* d. 5 iunii 1755.

ctiuae attractionis obtinere queat, inuenit, alcali volatile magneſia fortius attrahere acida, lenem vero calorem hanc attractionis excellentiam ita ſuperare, ut alcali ſenſim eleuetur, et magneſia cum minus volatili acido relinquatur: Acidum terram calcariam p. 170.
derelinquere, ut ſeſe cum magneſia uniat: Paruam quoque magneſiae quantitatem, ſolutioni mercurii ſublimati corroſiui additam, ſtatim mercurii partem in forma obſcure rubri pulueris ſeparare, ipſamque diſſolui. Similitudinem igitur quandam inter magneſiae et alcalium proprietates percipiens, Cl. Auctor experiri voluit, quamnam mutationem huic ſubſtantiae addita calx viua induceret, atque inuenit, magneſiam calcem ex aqua calcis viuae ſeparare, aquamque calcis inſipidam puramque reddere; cum calce viua p. 172.
paruaque aquae quantitate bene tritam, calcem viuam leniorem reddere. Magneſiam poſtea in calcem viuam reducturus, illam per horam calcinauit, ita, ut $\frac{7}{12}$ de pondere ſuo amitteret, quo facto, antecedentia experimenta repetens inuenit, hanc magneſiam ab acidis absque ullo efferueſcentiae gradu diſſolui, mercurium ſublimatum corroſiuum in forma nigri pulueris praecipitare, ſeparare alcali volatile ab acido in ſale ammoniaco, neutiquam vero acidum quoddam a terra quadam calcaria, nec aquae calcis viuae minimam inducere mutationem. Volatilem p. 174.
vero iſtam partem, quam magneſia in igne de pondere ſuo amittit, quoad maximam partem aerem eſſe per experimenta cognouit, id, quod ex eo etiam apparuit, quod calcinata magneſia in ſufficienti p. 176.
quantitate ſpiritus vitrioli diſſoluta, et hinc, addito alcali, ſeparata, non ſolum proprietates ante calcinationem praeſentes, ſed et pondus amiſſum fere totum recuperaret, et praeter ea quoque cum acidis rurſus efferueſceret, quum contra alcali ad ſeparandam magneſiam additum, cum acido ſeſe absque ulla p. 177.
efferueſcentia iungeret, manifeſto indicio, aerem in

alcali

alcali praeſentem ex hoc in magneſiam rurſus tranſiiſſe. Addidit dein experimenta quaedam, ex quibus cognoſceret, quaenam aeris quantitas ex alcali quodam ſeu ex magneſia per acida expellatur, et hac de-
p. 187. terminata, inter alia quoque oſtendit, Cl. HOMBERGII aeſtimationem ſalis ſolidi, in acido quodam contenti, per admixtionem alcalium inueſtigatam, ideo haud ſatis accuratam eſſe, quia alcali additum aeque de pondere ſuo quidpiam amittere, ac nouum pon-
p. 181. dus ex acidis acquirere debeat. Trium denique abſorbentium terrarum, cretae nimirum, terrae ex oſſibus animalium paratae, et terrae aluminoſae proprietates quasdam per experimenta elicere anniſus eſt.

p. 184. In parte vero ſecunda explicationem naturae calcis Cl. Auctori dedit, quae facili modo plurimarum proprietatum huius ſubſtantiae rationes redderet. Cum enim ſatis certum ipſi videretur, terras calcarias in ſtatu natiuo, nec non alcalia et magneſiam in ſtatu ſuo ordinario, largam fixi aeris quantitatem
p. 185. continere, qui ipſis tanta vi adhaereat, ut vehemens ignis neceſſario requiratur ad illum a magneſia ſeparandum, vehementiſſimusque non ſufficiat ad illum prorſus ab alcalicis fixis expellendum; hinc concluſit, relationes, inter fixum aerem alcalicasque ſubſtantias, ſimilitudinem quandam habere, cum relatione, inter has et acida, ita, ut, quem ad modum terrae calcariae et alcalia, acida fortiter attrahunt, cum iisdemque ſaturari poſſunt, ſic quoque illae fixum aerem attrahant, et in ſtatu ſuo ordinario cum illo ſaturatae ſint, qui aer vero tunc, ſi acidum cum alcali quodam ſeu cum terra quadam abſorbente miſceatur, ideo rurſus liberetur et cum violentia erumpat, quia alcalinum corpus aerem debilius quam acida attrahat, et quia acidum et aer ſimul eidem corpori eodem tempore iungi nequeant. Sibi ipſi itaque perſuaſit, terras calcarias, quando actioni ignis violenti exponantur,

tur, atque hac ratione in calcem viuam conuertantur, nullam aliam mutationem in compoſitione ſua ſubire, quam quod paruam aquae quantitatem et fixum aerem ſuum perdant: acrimoniam vero, qua p. 186.
poſt hunc proceſſum gaudeant, non ab addita quadam atque in igne recepta materia dependere, ſed eſſentialem quandam purioris terrae proprietatem eſſe videri, dependentem ab attractione quadam diuerſarum harum ſubſtantiarum, quas tunc corrodere ſeu diſſoluere capax eſt, quaeque attractio, ut ipſi videtur, tamdiu inſenſibilis fuit, quamdiu aer terrae adhaeſit, ſeque poſt ſeparationem demum manifeſtauit. Id, quod ex compoſitione aliorum corporum, et praecipue ſalium neutrorum ante et poſt compoſitionem ex alcali et acido illuſtrare conatur. Secun- p. 188.
dum hanc igitur theoriam relatio terrae calcariae ad aerem et aquam ipſi conuenire videtur cum relatione eiusdem terrae ad acidum vitriolicum et vegetabile. Terra enim calcaria aere ſuo priuata ſeu in ſtatu calcis viuae magnam aquae quantitatem auide abſorbet, in hoc fluido ſoluitur, et tunc calx exſtincta dicitur, quam primum vero aeri fixo occurrit, aquam derelinquit, ſeque cum aere fixo iungit. Quando igitur calx exſtincta cum aqua miſcetur, fixus aer in aqua a calce attrahitur, paruaque eius portio ſaturatur, quae p. 189.
dein rurſus diſſolutionis capax non eſt, pars vero remanentis calcis extinctae diſſoluitur et aquam calcis componit. Quodſi igitur hoc fluidum aeri libero exponitur, particulae calcis viuae ſuperficiei proximae ſenſim particulas fixi aeris in atmoſphaera, vel ſub forma ſubtiliſſimi pulueris, vel, quod magis probabile, ſub forma elaſtici cuiusdam fluidi, fluctuantes attrahunt, cum aere fixo ſaturantur, reſtituunturque natiuo ſtatui inſolubilitatis, et cum tota haec mutatio in ſuperficie accidat, ſenſim quoque omnis calx in ſuperficie, ſub originaria ſua forma inſipidae calcariae terrae, cremor ſeu cruſta aquae calcis dictus, colligitur.

p. 190. colligitur. Hinc explicat quoque, cur magneſia aquam calcis puram inſipidamque reddat, eadem vero, aere ſuo priuata, aquam calcis nequaquam mutet. Porro oſtendit, calcem viuam, alcali diſſoluto mixtam, hoc aere ſuo fixo priuare, ipſam vero hac ratione extinctam reddi, cum alcali magis corroſi-
p. 191. uum euadat. Cum ex hac vero explicatione variae concluſiones primo intuitu minus probabiles deduci queant, v. g. 1) ſi qua aeris quantitas a calce et alcalicis ſeparatur, quando illa cauſtica reddimus, ſequitur, haec partem ponderis in operatione perdere, eandem tamen, quam ante operationem, acidi quantitatem ſaturare debere, ſaturationemque ipſam absque
p. 192. ulla efferueſcentia peragi; 2) ſi calx viua nil, niſi terra calcaria aere ſuo priuata eſt, quae aerem fixum fortius, quam alcali attrahit, ſequitur, calcem viuam, ſi ipſi ſufficiens quantitas alcali aere ſaturati addatur, omnem aerem ſuum recuperare, et originario ſuo ponderi atque conditioni reſtitui: ſequitur porro, terram ex aqua calcis viuae per alcali ſeparatam, nil niſi calcem in aqua antea diſſolutam, nunc vero originario leni et inſolubili ſtatui ſuo reſtitutam eſſe. 3) Hinc inſuper ſequitur, ſi aqua calcis nil niſi compoſitum uniforme ex aqua et calce eſt, et ſi pars calcis ſic in aqua diſſolui poteſt, procul dubio quoque omnem calcem viuam in aqua diſſolui poſſe. 4) Lixiuium ſaponariorum quoque nullam calcem continere debet, niſi forſitan quantitas calcis ad aerem
p. 193. ex alcali extrahendum iuſto maior adſumta ſit. 5) Si alcali cauſticum aere deſtitutum ſit, tunc magneſiam ab acido quodam ſub forma magneſiae ab aere liberatae, ſeu quae cum acidis non efferueſcet, ſeparabit; idemque alcali cauſticum ſeparabit quoque terram quandam calcariam ab acidis ſub forma terrae calcariae aere deſtitutae, at cum aqua ſaturatae ſeu ſub forma calcis extinctae. Has, inquam, concluſiones omnes, utut minus probabiles videantur, per

experimen-

experimenta ſaepius repetita, deſcriptaque, veritati quam maxime conſentaneas inuenit. Experimenta p. 218. quoque a Cl. Auctore ad cognoſcendam vim relatiuam, qua diuerſae alcalinae ſubſtantiae aerem fixum attrahunt, inſtituta, ipſum docuerunt, quod in Cl. GEOFFROY tabula electiuae attractionis quaedam p. 224. mutari, eidemque noua columna addi debeat, ſecundum ſequens additum ſchema, in quo alcalinas ſubſtantias omnes, tanquam in ſtatu puro et a fixo aere liberatas conſiderauit. Monet tamen ſub finem pri- p. 225. mae columnae alcali volatile et magneſiam ideo in eadem linea poſita eſſe, quia eorum vis attractiua fere aequalis eſſe videatur, haec ſequi poſſe varia metalla, et tandem terram aluminis. En ſchema! *

Acida.	Aer fixus.
Alcali fixum,	Terra calcaria.
Terra calcaria,	Alcali fixum.
Alcali volatile et magneſia.	Magneſia
	Alcali volatile.

9) *De analyſi et uſu turfae* exponit ALEXANDER p. 226. LIND. Primo quidem loco, quod ipſe cum turfa prope Edimburgum effoſſa inſtituit, examen chemicum enarrat Noſter, dein Cl. DEGNERI cum turfa germanica facta tentamina recenſet, eaque cum ſuis comparat

* Cum egregia hac diſquiſitione omnino conferri merentur, quae Cl. GEOFFROY Hiſtoire de l'academie royale des ſciences année 1746. Pariſ. 1751. pag. 284 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 292. 293. item Cl. DV HAMEL, Hiſtoire de l'academie royale des ſciences année 1747. Pariſ. 1752. p. 59 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 204 ſeq. nec non Cl. ROBERT. WHYTT, in Eſſays and Obſervations, Phyſical and Literary. Read before a Society in Edinburgh. Vol. I. 1754. p. 372 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 67. ſeq. de calcis viuae, et aquae huius calcis natura propoſuerunt.

comparat, ut ſi qua detur, turfae ſcoticae a germanica inde pateſcat differentia. Obtinuit vero Noſter ex turfae ſiccioris, obſcure fuſcae, unciis quinque, deſtillationis ope, primo unciam unam et ſemiſſem aquae inſipidae limpidae, dein liquoris acido oleoſi, flaueſcentis, et ſenſim obſcurioris facti, empyreumatici drachmas tres, cuius parua copia tandem alcalini quid proderet, denique calore intenſiore facto olei empyreumatici picei drachmas duas et ſemiſſem; atque in fundo vitri remanſere carbonum unciae duae, quae igne libero combuſtae exhibuere drachmas undecim et aliquot grana cinerum flaueſcentium, e quibus extraxit ſal ruſeſcens impurum, ſalſum magis, quam alcalicum, in aere tamen facile fluens. Noſter liquorem magis acidae indolis, Cl. DEGNER contra illum alcalino volatilem e turfa ſeſe obtinuiſſe profitentur; quam etiam DEGNERI ſententiam confirmant duorum virorum D. SCHMIDBERG Phyſici Hagenſis, et OTTMANNI Pharmacopolae Stuttbergenſis, experimenta cum turfa facta, quae Noſter ipſe
p. 231. allegat. Quibus de analyſi turfae expoſitis, non nulla de uſu eius ſubnectit Cl. Auctor. Varias vero turfae differentias, ratione loci, e quo effoditur, et materiae ipſius, e qua conſtat, itemque praeparationum variarum, quas adhibere diuerſis in locis ſolent, adnotandas ſibi ante ſumſit idem, quam ad ipſum uſum ſeſe conuerteret. Quem quidem principem conſtat ſatis inter omnes in eo conſiſtere, ut ligni in modum ignis pabulum praebeat, et huius loco etiam ad comburendum adhibeatur: alium tamen eius Noſter commendat eumque duplicem uſum. Suadet nimirum et multis rationibus demonſtrat, turfam magno cum commodo, ad fundendam mineram ferri non minus, ac ad agros foecundandos adhiberi poſſe. Ferro enim ipſam inter fundendum aliquam phlogiſti ſui partem praebere, indeque eidem malleabilitatem conciliare; cineres vero eius optimam copioſamque

pioſamque materiem agris fimi loco ſuppeditare, comprobat. Vltimo loco addit Noſter, forte etiam turfam alio modo eoque duplici ſuam praeſtare poſſe utilitatem, ut vel puluis eius agris pratisque inſtratus plantas et ſemina á frigore defendat, vel etiam in ſtagnis et piſcinis aquarum impetum coerceat et oppilet.

10) *Effectus ſeminis Hyoſcyami* recenſet D. ARCHIBALD. PITCARNIVS, Medicus Edimburgenſis *. Iuuenis viginti annorum, tenerioris corporis habitus, medicinae cultor, ante duos annos conſueuerat ſibi, ſeminis hyoſcyami albi parua adſumta doſi, ſomnum inducere, idque ſine ullo malo effectu; ſed quum aliquando, a meridie, duplam portionem eius, circiter 25 granorum, ſumſiſſet, hora una poſt multâm in ſomnum propenſionem, totiusque corporis laſſitudinem inde ſenſit. Quae ſymptomata ſenſim increuere, aliaque acceſſere peiora, nimirum ſiccitas faucium et conſtrictio, dolores colici, conuulſiones et deliria, ut adſtantes neque diſtinguere, neque mali ſui cauſſas explicare poſſet interrogatus. In tam triſti ſtatu Noſter vocatus vidit iuuenem, oculis apertis et fluctuantibus, tremore conuulſionibusque agitatum, varias corporis ſui partes et lectuli vellicantem, pulſum autem obſeruauit paruum et debilem cum tendinum ſubſultu, nullum vomendi vel deſidendi conatum. Datum bis vomitorium ſtatim iterum reiecit; ſolutionem vitrioli albi deglutiit, ſed ſine optato effectu. Clyſma etiam cum vino ſtibiato bis iniectum, et veſicatorium capiti, et ſinapiſmi plantis pedum applicati fuere. Noctem tranſegit ſine ſomno, conuulſionibus ſaepe agitatus, ſed mane altero mentis conſtantia et vox rediit, caput vero adhuc fuit graue et perturbatum, ut iam ipſe, quid adſum-

p. 143.

* lecta fuit d. 1 maii 1755.

adſumſiſſet, enarrare poſſet. Pulſus quoque paullo fortior. Infuſum purgans datum cum effectu optimo. Cum autem adhuc dolor et grauitas capitis ſupereſſet, ſanguinis unciae duodecim miſſae fuere poſt meridiem, ſed ſudore et ſomno tranquillo refectus, ſequenti mane bene iterum valuit iuuenis.

p. 247. 11) *Effectus ſtramonii* tradit D. ABRAHAM SWAINE, Medicus Brentfordenſis *. Senex ſexaginta nouem annorum, robuſtus, qui integra ſemper uſus ſanitate, calculo aliquot annos ante laborare coepit, ex amici conſilio bardanae vulgaris fructus colligere quum vellet, ut decoctum inde ſibi pararet ſalutare, ex errore collegit poma ſtramonii, et horum cum lacte factam decoctionem bibit: mox vertigine tactus tentat plurium colligendorum fructuum cauſſa e domo egredi, ſed non longe progreſſus reuertitur lectumque petit, multum conqueſtus de linguae fauciumque ſiccitate inſigni et anxietate praecordiorum; vox perit, et ſenſus; inquietudo ſumma et murmura frequentia; pulſus paruus et celer; extrema frigentia; oculi torui obſeruabantur, cum delirio feroci, ut duo robuſti homines ipſum tenere vix poſſent. Tandem quietus factus veſperi, eodem die adhuc conualuit, ſumtoque purgante totam noctem bene dormiit, et mane aliquoties aluus ſoluta fuit. Notari meretur, ſenem hunc intra quatuordecim horas neque dormiiſſe, neque ullam euacuationem vomitu, per aluum, urinamque expertum fuiſſe, licet alias calculo laborans frequens urinae experiretur ſtillicidium.

p. 250. 12) *Effectus moſchi in tollenda arthritica ventriculi affectione* exponit IAMES PRINGLE, nobilis et olim chirurgus legionis tertiae pedeſtris **. Femina quadraginta tres annos nata, tenerioris texturae corporis,

* lecta fuit d. 1 maii 1755.

** lecta d. 3 april. 1746.

ris, multos annos hyſterico malo affecta cum aſthmate ſicco, frequentes inſultus arthriticos experiebatur, eosque violentiores in capite et ventriculo non minus, ac in extremitatibus, totam fere aeſtatem anni ſaeculi huius quadrageſimo quinto. Menſis nouembris ſub initium iterum vehementiores ventriculi ſpaſmos patiebatur et conuulſiones, inde per ſpinam ad fauces tendentes, quae ſuffocationis inferebant periculum, et ipſam erecto ſitu corpus tenere noctu atque interdiu cogebant. Femora intumeſcebant, et tumor ſubſidebat iterum, ſi in ſedili decumberet, ſed tum mox aſthma reuertebatur. Nihil vero praeter hauſtum vini generoſi vel tincturae ſacrae * et regimen calidum, tentabat aegra adhibere auxilii. Cl. PRINGLE, moſchi de virtute in neruoſis affectionibus perſuaſus, bolum aegrae miſit, e cinnab. natiu. et antimon. ana gr. 25. moſchi opt. gr. 16. cum ſyrup. balſam. q. ſ. paratum, dimidiamque partem mox, et ſexta hora poſt alteram ſumendam praecepit. Sequenti mane ſe melius habuit aegra, conuulſionibus parcius tentata, et poſt adſumtos aliquot bolos cum moſcho, ſecutumque inde ſudorem largiorem et ſomnum, iam in lecto decumbere potuit, ceſſantibus ſenſim ſymptomatibus reliquis. Stomachi iteratos dein ſpaſmos, mox bolo laudato ſumto coercuit, beneque iam valet.

13) *Inſolitos effectus vini antimoniati* refert D. IAMES WALKER, Chirurgus et rei nauticae negotiorum Edimburgi adminiſter **. Febriles aliquando p. 254.

F 2 ſentiens

* Tinctura ſacra paratur ex Aloes ſuccotr. uncia una, cardamomi min. et ſerpentar. virgin. ana drachma una, cochinillae ſcrupulo uno, vini albi Hiſp. ſeſqui libra. conf. Pharmacopoeia Collegii medic. Edimburg. 1746. 8. pag. 58.

** lecta d. 5 febr. 1756.

ſentiens motus, mature lectum petiit, pota ante ſeri lactis, cum vino hiſpanico facti, libra una, ſed totam noctem inſignem ſoporem ſenſit aeque, ac primo mane, cum multa laſſitudine et debilitate; equo dein vectus non diu, domumque redux eundem ſoporem et torporem percepit, ac duos famulos eodem affectos inuenit malo. In cauſſam effectus huius inſoliti inquirens tandem reperit Noſter, loco vini Vlyſſiponenſis, vinum benedictum ad ſeri lactis praeparationem, ex errore, adhibitum fuiſſe; nullos vero inde vomendi conatus et ſe ipſum et famulos duos expertos valde miratur. Ipſe poſt quatuor dies, uterque famulus poſt duos, iterum conualuere, unicumque illud adhuc adnotat, pulſum in ſemet ipſo eodem die, quo biberat vinum memoratum, multo debiliorem fuiſſe, ac nocte praecedente.

p. 257. 14) *Dyſenteriam pertinaciorem, aquae calcis viuae ope curatam* tradit IAMES GRAINGER, M. D. et Medicus Londinenſis. * Dyſenteria, quae Maryburgi prope arcem a Wilhelmo dictam (Fort-William) epidemice per autumnum plerumque graſſatur, malignis ſtipata ſymptomatibus et ſaepe mortifera, militem quendam, mediae aetatis, ſed diſſolutae vitae, inuaſerat, et integrum fere per annum, fruſtra adhibitis medicamentis omnibus, excruciauerat, tuberculis haemorrhoidalibus, vermibus, fluxuque nunc cruento, nunc mucoſo, nunc ichoroſo comita-
p. 262. ta. Tandem vero aquae calcis viuae libra una ſemis cum tertia parte lactis ſingulis diebus epota mox ſymptomatum remiſſionem effecit, libraeque tres per diem, continuato per tres hebdomadas uſu, adſumtae, omnem mali adeo diri curationem abſoluerunt, aluum autem ſimul reddiderunt ſtrictiorem, ut doſis eius diminui, clyſmaque emolliens deberet iniici.

Sex

* lecta d. 3 maii 1753.

Sex hebdomadas poſt aeger e noſodochio dimiſſus fuit, integrae ſanitati redditus.

15) *Epiſtola* PETRI DVGVID,* Chirurgi olim in Iamaica, *ad Cl.* ALEXANDRVM MONRO, *Seniorem*, M. D. et P. A. *de anthelmintica virtute corticis Palmae*, the wild Cabbage *ſeu* Bulge-water-tree dictae**. Refert autem Cl. DVGVID, incolas inſulae Iamaicae, praeter alios morbos, vermibus plerumque, iisque longis et teretibus e lumbricorum genere, vexari, ipſumque in diſſecto infantis cadauere, aliquando duodecim eorum inueniſſe, quorum unus appendicem vermiformem, tres valuulam coli, reliqui inteſtina occuparant; ſed addit naturam illis quoque tamquam ſpecificum ad hos depellendos dediſſe corticem arboris laudatae, cuius decoctione cum ſucceſſu utantur, nulla quidem determinata doſi. In qua iam per repetita tentamina determinanda occupatus, pollicetur alio tempore ſe communicaturum accuratiorem et doſeos medicamenti huius et naturae indolisque ipſius corticis expoſitionem. p. 264.

16) *Foetum monſtroſum* deſcribit IOHN MOWAT, *Chirurgus Langholmenſis*, *in epiſtola ad* ALEXANDRVM MONRO, *Sen. data****, additaque icone illuſtrat. Fuit foetus iſte duplex coalitus, quem mater ſexto menſe grauiditatis enixa eſt, horam ſemis vitae fruitus uſura. Vterque foetus femella, communi funiculo inſtructus umbilicali, omento, pancreate et diaphragmate ſimplicibus, reliquis partibus quisque ſuis gaudebat diſtinctis. Vnicum cerebrum, duo p. 266.

 cerebella

* lecta d. 1 maii 1755.

** Eſt vero haec *Palma altiſſima non ſpinoſa, fructu pruniformi, minore, racemoſo, ſparſo.* SLOAN. Voyage of Iamaica. Vol. II. London. 1725. fol. pag. 115. tab. 215.

*** d. 1 maii 1755.

cerebella viſa ſunt. In capitis poſteriore parte aures duae externae coniunctae apparuere, duobus meatibus auditoriis inſtructae, alioque in medio praeditae ductu, qui ad oeſophagum ducebat. Reliqua ex iconibus diſtinctius intelliguntur.

p. 270. 17) *Eiusdem foetus continuatam anatomen* tradit ALEXANDER MONRO iunior, M. D. et Prof. Anat. Edimburgenſis.* Quum ipſi non licuerit foetum diſſecando accuratius perluſtrare, pauca tantum adnotat Cl. Auctor in capite memoratu digniora viſa. Cranium in naturali ſtatu antica parte ad ſellam turcicam uſque obſeruatum fuit, inde duo proceſſus cuneiformes oſſis occipitalis coniuncti, in duo diſtincta oſſa occipitalia, quorum utrumque foramine magno inſtructum erat, extendebantur; duo oſſa petroſa, ſquamoſa parte deſtituta, et inter haec, loco oſſis ſphenoidei et ſquamoſi temporum, paruum os triangulare interpoſitum, occurrebant. In ore vero alterius foetus perfectioris rite formatae fuerunt partes, larynx, pharynx, reliquae, pone has alius larynx cum trachea deſcendit, cuius glottidi adhaeſit parua excreſcentia linguae inſtar, et e naribus canalis cum alio ex auribus, ut ſupra dictum, egrediente, in unum confluens communem canalem, alterum dedit oeſophagum.

p. 275. 18) *Oſſa in ouario feminae reperta* deſcripſit D. GEORGE YOVNG et cum Societate communicauit per D. IOHN BOSWELL, Membrum Collegii reg. medic. Edimburg. ** In feminae, quinquaginta circiter annorum, poſt menſtruorum ſuppreſſionem hydrope defunctae cadauere diſſecto, inuenit abdomen cruore multisque plenum hydatidibus, quarum aliae pomi, aliae oui columbini magnitudine erant, et in maiori

* d. 1 maii lecta.

** d. 1 nou. 1737.

maiori communi continebantur omnes. Viſcera reliqua ſana, ſed tuba fallopiana ſiniſtra ſolito amplior, ouariumque ſiniſtrum nihil, niſi hydatis maior, illudque dextrum caput recens nati infantis aequans, continebat materiam viſcidam albam ſeroſam, cum fragmentis maxillae, cui dentes tres molares inhaerebant, hic depictis.

19) *Pulmones et pleuram ſibi contiguos eſſe* demonſtrat ALEXANDER MONRO, ſenior.* Licet experimentum ab Ill. LIEBERKÜHN et HALLER hunc in finem factum adſerti huius veritatem euincat, alium tamen eumque faciliorem illud demonſtrandi iam docet modum. Separatis enim caute a pleura integumentis et intercoſtalibus muſculis in mortuo animali, ſi tunc alternatim attollas ſternum et coſtas, contiguos pulmones videbis, ſed pleura laeſa ſtatim oculos fugiunt collapſi pulmones. Porro in viuo animali idem ſi feceris, pulmones quoque arcte applicatos pleurae, et hanc inter inſpirandum concauam, et inter exſpirandum conuexam, ob atmoſphaerae molem incumbentem, videbis. Facilis etiam frequensque pulmonum cum pleura concretio idem probat. Noſter tandem quaerit, quae quantaque vis ſit, quae attollat ſternum, quando pleura in experimento concaua facta fuerit, quo inde vis atmoſphaerae incumbenti renitens determinari poſſit. Addit alias quaeſtiones, num vis organorum inſpirationis minor ſit vi atmoſphaerae? an illa ſuperent reſiſtentiam organorum exſpirationis? an denique coſtae arcuatae anguſtaque earum interualla ideo facta ſint, ut ab atmoſphaerae inter inſpirandum defendant nos impetu? p. 276.

20) *Experimenta cum opio in viuis et moribundis animalibus facta* recenſet ROBERT WHYTT.** Plu- p. 280.

 ribus

* d. 7 febr. 1754.

** d. 7 aug. 1755.

ribus ranis ſolutionem opii aquoſam in os infudit Cl. Auctor, alias integras vel aperto abdomine et thorace, vel corda earum in ſimilem ſolutionem immiſit, et canibus aliquot per anum et abdominis vulnus opium aqua ſolutum applicauit, indeque inſequuta ſedulo adnotauit phaenomena, quorum praecipua ex additis corollariis huc transferamus. Opium ventriculo, thoraci abdominique iniectum, et partes has, quas tangit, et totum corpus ſenſu motuque priuat, illudque non tranſeundo cum ſanguine ad cerebrum, ut plures affirmant, ſed immediate in affectas partes operando efficit: agit vero potiſſimum in cerebrum totumque ſyſtema neruoſum, neque tamen ſolum in fines extremos neruorum in corde vaſisque ſeſe terminantes; neque a reſorpta ſubtiliori parte opii haec pendet eius efficacia; neque cor ab actione opii liberum manet, ſed eandem, ut reliqui muſculi, quamuis paullo tardius, experitur. Porro opium vim muſculorum motricem tollit, non ſolum intercipiendo fluidi neruei influxum, ſed ipſas fibras eorum debilitando, atque hinc irritabilitatem eorum infringit aeque ac ſenſibilitatem. Illud quidem ſomnum inducendo agit, ſed ſomnum tamquam effectum deſtructae prius neruorum ſenſibilitatis producit: Eidemque cauſſae tribui debent euacuationes nimiae ab opio coercitae, vel impeditae ab eodem liberae redditae. Tandem mortem animalium ab opio ſumto Noſter deriuat ab eadem cauſſa, quae nimirum organa eorum naturali ſuo ſtimulo priuet, unde ceſſaret non modo motus periſtalticus inteſtinorum et chyli tranſitus, ſed et in vaſis minoribus primo, ac maioribus poſt fluida ſtagnare inciperent.

p. 317. 21) *Hiſtoriam luxationis verae femoris* tradit D. IAMES MACKENZIE, Medicus olim Worceſterienſis,* in epiſtola ad D. IOHN RVTHERFOORD, Praeſidem

* d. 6 martii 1755.

Praeſidem Collegii Regii Medicorum et Profeſſorem medicinae Edimburgenſem data. In noſodochium Vigornienſe quum deferebatur vir robuſtus et vegetus, quinquaginta ſex annorum, lanio, quem equus, quo vehebatur, in terram proſtratum per aliquod ſpatium ſecum traxerat, et in cauſſam ſublati inde femoris motus chirurgus quum inquirebat ſedulo, inuenit ille femur ex acetabulo extractum et in inguine caput eius oculo tactuque conſpicuum, idemque pluribus medicis primum de re ipſa dubitantibus oſtendit. Dein de reducendo in articulum femore ſolliciti diu, et apud auctores chirurgicos conſilia haud inuenientes conuenientia, tandem extenſionis et ſi haec non ſuccederet, percuſſionis vim hoc in caſu tentare decreuerunt. Apparatu, qui hic deſcribitur fuſius, utrumque in finem rite diſpoſito, primum extenſionem, ſed incaſſum, moliti fuere; breui poſt percuſſionis adplicata vi, femur ſubito cum multo ſtrepitu in acetabulum reducitur. Atque aeger poſt tres hebdomadas reſtitutus ſanitati integrae, iam incedere et longum ſatis ſpatium per diem ſine incommodo abſoluere valet, licet affectum femur adhuc ſit paullo longius altero.

22) *Obſeruationes non nullas ſuper noua ſanandae* p. 324
per extractionem lentis cryſtallinae cataractae methodo, proponit THOMAS YOVNG, Chirurgus Edimburgenſis.* Quamuis infelix aliquando depoſitae cataractae ſucceſſus ab operatione hac iterum peragenda diu Noſtrum deterruerat, tandem tamen amicorum precibus commotus, noua Cl. DAVIEL methodo operationem iſtam ſexies ſuſcepit, atque nunc modum et inſtrumenta, quibus uſus fuit, et ſucceſſum operationum ingenue expoſuit. Exemplo Cl. SHARP ductus, ſimpliciorem, ac Cl. DAVIEL, inſtrumentorum adhibuit Noſter apparatum, cultello paruo cor-

** d. 4 mart. 1756.

neam, ſemilunari amplaque plaga diſſectam, ſpathula minori dein eleuauit, lentemque, inciſa prius eius capſula, vel acu conſueta vel ſola preſſione extraxit.
p. 327. Succeſſus operationi non in omnibus ſemper idem reſpondit, in plerisque tamen ex voto fuit. In viro quodam mediae aetatis bis peracta fuit diuerſis temporibus in utroque oculo operatio, primum in ſiniſtro, cuius inter operandum laeſa iris eandem intercepit, nulla ſequente inde noxa, dein in dextro felicius, ita, ut iam diſtincte iterum utroque oculo obiecta videat. In alio viro cataracta, ob contractam nimis et immobilem pupillam aliis chirurgis inſanabilis viſa, a Noſtro extracta eo cum euentu fuit, ut pupilla quidem adhuc immobilis, oculus tamen clarior factus lucis ſplendorem facilius, ac olim, ferat. Vtroque in oculo alius viri Cl. YOVNG operationem ſuſcipiens, e capſula lentis lacteſcentem humorem et lentem ipſam obſcure fuſcam euocauit, paruaque obiecta iam diſtinguere valent eius oculi. Tandem in femina ob palpebras anguſtiores tuſſemque excitatam difficilius quidem, cum ſucceſſu tamen abſoluta fuit operatio. Ex quibus dictis colligit Noſter, oculos, ampliori bulbo corneaque magis conuexa inſtructos, melius admittere extractionem, quam paruos planioresque in primis feminarum; reliquam vero curationem abſolui venae ſectione, diaeta parca, et repetitis laxantibus, pannique aceto et aqua imbuti ad oculum iterata applicatione. Quamuis autem ipſi peractarum operationum nondum ſufficere videatur numerus, ut comparare earum ſucceſſum cum iis in Gallia * frequentius peractis, indeque nouae methodi huius excellentiam comprobare poſſit, eidem tamen omnino ex experientia propria praerogatiuam tribuens ſpem alit, fore, ut alii exemplo ipſius excitati plura repetitaque operationis laudatae, faciant pericula.

23) *Epi-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 620.

23) *Epiplocelem in ſcrotum deſcendentem* deſcribit p. 333.
THOMAS LIVINSTON, M. D. et Medicus Aberdonienſis.* Poſt ſumtum mane vomitorium vir quidam, viginti octo annorum, teneriorisque corporis habitus, verſus veſperam acutis imi ventris tentatur doloribus, qui dato anodyno et clyſmate per noctem ſedati, primo mane redeunt, in primis in ſiniſtra umbilici parte ſiniſtroque teſticulo acutiores redditi. Hernioſo ibidem iam nato tumori duro et dolorifico applicantur fotus emollientes, manuque tentatur reductio; venae ſectio repetita febrem imminuit et clyſteres crebrius iniecti, quin et infuſum purgans antiphlogiſticum datum foeces copioſas induratas ſecum euocarunt; ſed hernia non mutata, pulſu debili facto, ſingultuque accedente, aeger tandem moritur. In cadauere dein aperto ſtatim apparuit omentum valde diſtentum et prolapſum, ventriculus et zona coli e ſitu ſuo naturali inferiora verſus tracti, ieiunum et ileum inflammata aereque diſtenta; in ſcroto autem diſſecto ſeſe obtulit ſaccus hernioſus tenuis, tenſus rigensque, ac in eodem omentum gangraena corruptum, ileique inteſtini gyrus in annuli abdominalis apertura haeſit gangraena itidem affectus, cuius pars altera intus adhuc remanens et coli caput inflammata, anguſtiora, putridum chylum viſcidum continebant. Tunica vaginalis amplo foramine ſeu cauo ſuſceperat omentum, ſex et dimidiam uncias pondere aequans, teſticulo illaeſo relicto.

24) *Partus per rupturam abdominis facti hiſtoria* p. 338.
traditur ab ALEXANDRO MONRO, Seniore.** Femina doloribus ad partum tres dies iam tentata, ſubito facta ingenti cum ſtrepitu ventris imi ab umbilico ad pubem ſiniſtri lateris ruptura ita, ut viſcera intus conſpici potuerint, infantem per hanc rimam enixa

* d. 5 febr. 1755.
** d. 1 mai. 1755.

enixa fuit feliciter cum ſecundinis; vulnus vero ſolo butyro cum ſaccharo applicato facile coaluit cicatrice clauſum parua; cuius admirandae rei in fidem teſtes Noſter allegat, qui coram iudicio iureiurando rem
p. 339. confirmarunt. Addit ſimilem, ſed minus felicem Cl. MONRO *caſum, quo infans e rupto utero in abdomen tranſiit.* Femina nimirum mediae aetatis, inter dolores ad partum veros per dies duos continuatos, fluentibus iam aquis, ſubito e ſella reſiliit, acutiſſimo ventris affecta dolore, infans amplius tactu non potuit explorari, ſed mater, mentis quidem compos, tertio die vita defuncta fuit. In aperto dein cadaueris abdomine mox apparuit foetus perfectus cum ſecundis integris, cruore multo circumfuſo, uterique fundus antrorſum integer, mollis, et ad umbilicum prominens, ſed verſus oſſa pubis circa ceruicem ruptus. Quam rupturam diſſecto utero, ab orificio interno oblique dextrorſum ad quatuor digitorum longitudinem factam fuiſſe, ceruicem vero diſtentam communem cum fundo formaſſe ſaccum, anguſtiore reddito ſimul uteri orificio, patuit.

p. 342. 25) *Praeternaturalis aquarum cum gemellis in utero facta collectio*, *a* STEPHEN FELL, chirurgo Vluerſtonenſi deſcribitur. * Sub initium octaui grauiditatis menſis dolores ad partum ſenſit femina, primo ſpurios viſos, poſt veros cum delirio ſitique magna, abdomine eius in immenſam molem diſtento; ſedatis clyſtere et opiato ſymptomatibus, tactu caput infantis in aquis fluctuans quum percepit Noſter, ſtatim ruptis membranis extraxit gemellos, maſculos, perfecti infantis dimidiam vix aequantes molem, quorum alter fuit mortuus, tumens et liuidus, alter vita uſus ſexaginta quatuor horas, absque ullo ſumto alimento, ullaue per aluum aut urinam facta excretione. Aquae ſimul effuſae copia quinquaginta librarum

* d. 6 febr. 1755.

brarum fuit. Vtero autem, poſt ſecundinarum excluſionem, in naturalem contracto magnitudinem, aegra, adhibitis aptis medicamentis, ſenſim conualuit.

26) *Tophacearum concretionum, in canali alimentorum repertarum hiſtorias* tradit ALEXANDER MONRO, Senior.* Quae quidem quo rariores ſint, eo digniores omnino memoratu nobis ipſae videntur calculorum in primis viis obſeruationes. Atque horum exempla aliquot ex propria experientia in aegris facta adducit, alia ab amico Cl. STEPHENSON communicata, alia denique ex animalibus brutis petita, deſcribit Cl. Auctor. Puer, duodecim annorum, doloribus colicis, borborygmis, vomituque frequenti emaciatus, nullumque a variis adhibitis medicinis expertus auxilium, tandem, ceſſantibus illis ſymptomatibus, teneſmo et iſchuria vexatur, tumore ſimul duro in inguine ſiniſtro nato, valde dolente, in quo tactu percipi duo corpora dura potuerunt. Haec vero dein in rectum inteſtinum cum tribus aliis protruſa, forcipe extracta cum ſucceſſu fuere, quorum maximum quinque digitos volumine aequauit, globoſae et anguloſae figurae, cruſta tartarea ſplendente obductum, intus ſpongioſum, rubellum; reliqua minora, figura coloreque diuerſa fuere; in uno diffracto paruum oſſiculum planum veluti nucleus latuit, indeque cognita mali cauſſa eſt: Deglutiebat enim ſaepe una cum carne ouilla teneriora etiam oſſicula. Puer iterum poſthaec conualuit et incrementum laetius corporis cepit. In alio viro intumuit abdomen in dextra inguinis regione et induruit, nunc diarrhoeis et vomitu, nunc obſtructione alui ſuccedentibus: Cl. MONRO ſuſpicatus calculum in colo haerere, clyſmate iniecto crebrius et preſſione manuum ope tentata, ſed incaſſum, eius extractionem molitus eſt, et aeger emaciatus mortuus.

p. 345. p. 348.

* d. 6 febr. 1755.

tuus. In quo dein aperto tophus, ſeptem digitorum mole, caput coli occupans nulla cruſta tartarea obductus, nucleo calcareo inſtructus, deprehenſus fuit, inteſtinum vero circum circa adeo contractum, ut diſcindi deberet ante, quam tophus eximi potuerit. A Cl. STEPHENSON e tribus aegris Noſter ſimiles tophaceas concretiones obtinuit, quarum aliquot nucleo pruni inſtructae, clyſmate e pueri ano euocatae fuere, reliquae e ſtratis pluribus formatae, cinerei coloris, nulla cruſta tartarea praeditae. Symptomata aegris eiusmodi ſolemnia eſſe maciem corporis, ſine appetitu laeſo, borborygmos frequentes ventrisque inde mutatam formam, addit idem ex relatione Cl. STEPHENSON.

p. 353. 27) *Obſeruationes de procidentia ani, intuſſuſceptione, inflammatione et voluulo inteſtinorum* exhibet IDEM,* et icone addita illuſtrat. Quando pars interior inteſtini recti cum foecibus protruſa non retrahitur, ſed a ſphinctere ani conſtricta intumeſcit, rubet mucoque viſcido madet, procidentia ani oritur, frequens infantum, ſenum, debiliumque poſt morbos hominum morbus, plerumque non funeſtus, aliquando tamen, ſi altius deſcendat duplicata inteſtini pars, lethalis viſus in puero, in quo nec reductio inteſtini, nec iniecto lactis calidi, nec ſpecilli cum ſpongia oleo imbuti immiſſio, locum habuit, ſed in mortuo apparuit meſocolon diſruptum et inuerſio recti a flexura ſighmoidea coli deriuata. Curatio huius morbi omnis abſoluitur reductione inteſtini, quam vero non uno impetu, pannisque calidis, ut ſolent mulierculae, ſed ſenſim ſenſimque digitis, oleo imbutis vel butyro non ſalito, ſuſcipiendam eſſe recte monet Noſter: neque opus eſſe fomentis calidis partes relaxantibus, nec ſi nimis tumeat inuerſa pars, ſcarifatione idem addit, parumque tribuit externo adſtringentium

* d. 6 febr. 1755.

gentium uſui, commendans potius tincturas calidas aromaticas, ut iis tangantur partes relaxatae, et ad arcendam inflammationem venae ſectionem diaetamque refrigerantem.

Alius morbus, neque adeo infrequens eſt *intuſſuſceptio*, quando inteſtini alicuius pars duplicata in canali alimentorum expanditur, nullo externe in ano apparente eius ſigno: Exempla aliquot hominum hoc morbo defunctorum adducit Noſter, qui fere omnes conqueſti diu de doloribus colicis, diſtenſione abdominis, vomitu, teneſmo, tandemque emaciati diem obierant ſupremum. In duobus magna pars coli duplicata, obſcure rubens et anguſta fuit inuenta; in alio vero pars ilei, coecum et appendix vermiformis a colo intusſuſcepta ad duodecim digitorum altitudinem, atque haec duplicata portio inaequalis, fuſca, altero fine coeca, ſed a latere aperta, anguſta quidem nimis, caua tamen obſeruata fuere. p. 358.

Tandem ex alio puero communicauit cum Noſtro Cl. CVLLEN admirandum intuſſuſceptionis exemplum, quod etiam delineatum hic exhibetur. Diu vexatus puer iſte doloribus colicis et diarrhoea, emaciatusque excreuit per aluum liuidam membranaceam ſubſtantiam, quae accuratius perluſtrata, conuolutio inteſtini alicuius fuit tredecim digitos longa, cum meſenterio annexo, et poſt haec plures minores particulas cum ſcybalis reiecit; in mortuo vero dein aperto inteſtina et omentum inuicem coalita, ileique inteſtini pars, circa ingreſſum in colon, contracta, et cicatrice notata, intus craſſa et anguſta apparuerunt, hic quoque delineata. In quibus et aliis ab Auctore adductis exemplis illud omnino admirationem mouet, quo modo adhuc vita frui tali morbo affecti per longum ſatis tempus potuerint. Quum vero plerumque ad colicos dolores ſpirituoſis calidis uti ſoleant homines, illudque in colica flatulenta cum p. 361.

ſucceſſu

ſucceſſu faciant, haec ipſa, tamquam nociua ſaepius et in inflammatoria diſpoſitione exitioſa, vitanda caute monet Noſter; et venae ſectionem largam vel repetendam in imminente inteſtinorum inflammatione, ubi plerumque medicos decipit virium languor et pulſus debilitas, ſi modo dolor acutus et fixus adſit, prudens ſuadet idem. Sub finem verum voluulum ſeu complicationem inteſtini nodoſam vel impoſſibilem vel certe rariſſimum eſſe pronunciat Noſter.

p. 368. 28) *Veri voluuli inteſtinorum hiſtoriam* tradit ALEXANDER MONRO, dignus parente magni nominis filius.* In ſenis colica demortui cadauere diſſecto inuenit partem inteſtini ilei, quatuordecim digitorum longitudine, e ſinu quodam in peluem dependentem, nigram ſphaceloque corruptam; ſinum autem iſtum formarunt partes ilei ſuperiores, ab appendice vermiformi arctius conſtrictae, qui quidem pone has ipſas haeſit, ſed fine ſuo trans easdem antrorſum deſcendit in plicam meſenterii, atque ex hac difficilius potuit extrahi; finis enim eius coecus a liquore gelatinoſo diſtentus, in cauo quodam meſenterii latuit, cuius oſtium anguſtius fuit nimisque conſtrictum.

p. 370. 29) *Deſcriptio febris bilioſae, Americanis flauae dictae,* (Yellow Fever) proponitur a D. IOHN LINING, Medico Carlſtonenſi in Carolina meridionali, in epiſtola ad D. ROBERT WHYTT, Prof. Med. Edimburg. data.** Morbi maligni, qui anno ſaeculi huius quadrageſimo octauo Carolſtouni graſſatus fuit, et frequentius in meridionalibus Americae prouinciis peſtis inſtar graſſari ſolet, hiſtoriam ſolam cum prognoſi addita Noſter exhibuit, miſſis et cauſſarum inueſtigatione et medendi methodo; quae quidem quum fidam

* d. 6 febr. 1755.

** d. 7 mart. 1754.

fidam plenioremque phaenomenorum omnium complectatur recenſionem, vel ipſa ad formandum de natura morbi et curatione iudicium ſufficere videtur Cl. Auctori, adnotationes tamen, e defunctorum morbo iſto diſſectionibus factas, ſe caſu quodam perdidiſſe valde dolet. Eſt vero haec febris, flaua dicta, maligna, duos tresue dies durans, ſine ulla critica terminata excretione, relinquens aegrum valde debilitatum cum pulſu paruo, a leui cauſa magis deprimendo, ſtipata mox flauo colore albugineae oculi et cutis, vomitu, haemorrhagiis, calore tamen pulſuque febrili deſtituta, atque ita per tria ſtadia diſtincta curſum ſuum abſoluit, quae ſigillatim Noſter conſiderauit, fuſiorique ſermone expoſuit. Ex his praecipua hic adnotaſſe ſufficiant. Contagioſa eſt febris iſta, ſed a ſingulari aeris conſtitutione aut tempeſtatum viciſſitudine haud pendet: Subiecta eidem opta in primis ſunt albi homines, utriusque ſexus, et e frigidiori climate aduenae; ſed infantes, et qui ex eadem ſemel euaſerunt, et Nigritae, biliosa alias febre affecti, ab hac prorſus immunes manent. Auguſti ſub finem plerumque incipit graſſari et ad medium octobrem durat, donec frigidior facta tempeſtas eius impetum infringit. Febrem praecedunt capitis et extremitatum, in primis genuum et ſurarum, dolores, appetitus proſtratio et virium debilitas: febris ipſa ſubito inuadit cum leui horrore; pulſus eſt frequens, plerumque plenus et durus, in aliis paruus et durus, in aliis mollis et paruus, ſub finem morbi durior factus et rarior; calor variat ſaepe et 102 gradus thermometri Fahrenheit. nunquam excedit. Sudor profuſus, mox temperatior, cutisque ſicca eſt; lingua humida rubet et albeſcit; ſitis haud ingens; frequens nauſea et vomitus; anxietas praecordiorum, inquietudo et virium proſtratio; ſanguis floridus, ſine cruſta inflammatoria, a ſero non ſeparandus; deiectiones foetidae, nigrae; mox obſtipata aluus; urina

limpida, copioſa, ſaepe turbida cum ſedimento;
p. 382. Febris iam ſecundo tertioue die ceſſat ſine ulla facta criſi, paucos ſi excipias, ſudore largo leuatos, et incipit alterum ſtadium in peiora plerumque ruens: ſymptomata enim memorata perſiſtunt vel augentur, aliaque ſequuntur. Pulſus eſt durus, et ſaepe mollis fit; vomitus niger, e moleculis flocculentis nigris bilis cum muco ventriculi abraſo conflatus; inquietudo maior; delirium; icterus; maculae cutis purpureae, liuidae in pectore et collo; menſtrua in feminis nimia; ſanguis reſolutus per ſputa, nares, oculos, aures, et urinam reiectus; aluus obſtipata, nunc liquida, nunc nigra et tenax; urina copioſa, interdum flaua, interdum ſanguinea, et turbida cum ſedimento viſcido; atque haec per octo dies perdurabant, et aegrum vel interficiebant, vel ſanitati reſtituebant.
p. 388. Tertium tunc ſtadium incipiebat vel remiſſione omnium ſymptomatum, ſi in ſanitatem vergebant omnia, vel augmento eorum ſubito, ſi in mortem ruebant. Pulſus tunc inaequalis paruus; extrema frigida liuida; facies et maculae liuidae; palpitatio cordis; reſpiratio difficilis et anxia; ſudor colliquatiuus; ſanguis ex ore, naribus et auribus fluens; ſingultus, tendinum ſubſultus; conuulſiones vitae finem faciebant. Ex quibus vero iam facile intelligi poſſunt deriuarique ſigna prognoſtica a Noſtro ſubiuncta, quorum plurima malignitatis notam prae ſe ferentia nihil omnino boni portendebant, pauca ad modum ſalutis ſpem excitabant.

p. 396. 30) *Ad obiectionem, contra inoculationem variolarum factam, reſponſionem* dedit EBENEZER GILCHRIST, M. D. Medicus Dumfregenſis.* Obiectio haec in ſocietate quadam eruditiſſimorum virorum mota illud in primis urgebat, quod variolae a natura ad purgandos ab impuritatibus humores praecauendosque inde

* d. 5 febr. 1756.

inde morbos excitentur, variolarum vero inoculatione excitatarum ſuppuratio huic fini obtinendo impar ſit et minus ſufficiens, et totidem moriantur ante virilem aetatem infantes, qui inoculati ſint, ac ante, quam haec inualuit operatio. Sed Noſter experientia viginti annorum felicem inoculationis ſucceſſum edoctus, reſpondet aliorum quoque virorum, qui eandem adminiſtrarunt, confirmatus teſtimonio et auctoritate, pauciores omnino ex infantibus inoculatis, et vix duos vel tres e centum diem obiiſſe ſupremum, et varioloſum pus inſitione corpori applicatum deſtruere ac expellere multa morborum ſeminia ante, quam euolui aetate adultiori poſſint, adeoque, quo maturius inſtituatur operatio, tanto inſignius inde in corpus redundare emolumentum.

31) *Nouam methodum medendi obſtructis menſtruis* p. 403. proponit D. ARCHIBALD HAMILTON, Medicus Edinburgenſis. * Commendatam ab amico D. HVNTER ad remouendam menſium obſtructionem iliacorum externorum vaſorum compreſſionem mechanicam in femina felici cum ſucceſſu adplicauit. Quae quidem femina viginti circiter annorum, a refrigerio ſuppreſſionem menſium paſſa, iam pallida et emaciata, appetitum proſtratum, digeſtionem laeſam, et vomendi conatus, pulſum languentem et laſſitudinem inſignem ſimul experiebatur; Noſter poſt balneum purgansque aloeticum adhibitum, torcular arteriis cruralibus caute applicauit, et iam hora ſemis praeterlapſa aegra ſentiit pondus in regione uteri, et pectoris capitisque leuamen, breuique poſt redit ipſe menſtruus fluxus, ceſſans a remota faſcia, ſed eadem applicata iterum bene fluxit per tres dies, atque proxima periodo rediit, ſalua vegetaque femina.

* d. 1 maii 1755.

p.407. 32) *Hydropis praeter ſpem atque exſpectationem ſanatae hiſtoriam* enarrat THOMAS LIVINGSTON, Medicus Aberdonienſis.* In noſodochium delatus fuerat pauper homo, viginti circiter annorum, qui inter labores frigori nimis expoſitus, tandem ventrem et extremitates intumeſcere ſentierat, cum ſiti ingenti, urina pauca, appetitus viriumque proſtratione; quae ſymptomata, nullo ante adhibito auxilio, breui adeo increuerant, ut iam omnis ſalutis recuperandae ſpes deeſſet, et aeger ſuo fato relinqueretur, pauco tantum vino aqua diluto ſuſtentatus: anaſarca enim corpus totum et in primis ſcrotum, femora et crura occupauerat, cum veſiculis gangraenoſis hinc inde conſpicuis, dyſpnoea tantoque defectu virium, ut pulſus nullus percipi digitis poſſet, cordisque non niſi tremula videretur ſupereſſe vibratio. Verum altero mane aegrum Noſter viuum adhuc et paullulum leuatum quum inueniret, iſtas in femore et crure veſiculas et ſcrotum lanceola hinc inde incidit, multumque ſeri cruenti e veſiculis, ſed limpidi e ſcroto euocauit, applicatis dein e decocto aromatico fomentis, dedit aegro iulapium diureticum et vinum aqua dilutum pro potu ordinario. Repetitis inciſionibus uſuque continuato iulapii et vini, ingens copia ſeri effluxit non modo quotidie tandemque ceſſauit, ſed ſymptomata etiam ſenſim diſparuerunt omnia, et aeger perfecte conualuit, et adhibitis prius ad ventris tumorem fugandum ſquilliticis cum rhabarbaro atque pilulis mercurialibus laxantibus, integrae ſanitati reſtitutus e noſodochio exiit.

p.412. 33) *Hiſtoriam aegri periodicis nephriticis conuulſionibus affecti* exhibet CORNWELL TATHWELL, M. D. Medicus Stamfordienſis.* Femina vegeta, ſeptendecim annorum, a menſe iulio ad nouembrem, per interualla

* d. 6 febr. 1755.

** d. 1 maii 1755.

interualla tres inſultus ſpaſmodicos experta fuit, quorum prior ſubito inuaſit totum corpus violentis conuulſionibus, delirio ſtipatus ingenti, et poſt ſex horas ſomno ſolutus eſt, relicta ſimul vertigine, et aegra poſt uſum venae ſectionis et veſicatorii adhibitum iterum conualuit. Sed quatuor hebdomadibus praeterlapſis praegreſſa diarrhoea, redit alter inſultus eodem modo, ac prior, incipiens terminatusque, ſed lingua obſcure fuſca, pulſus celer, urina pallida et pauca obſeruantur. Venae ſectio repetita, emplaſtrum foetidum ventri applicatum, pilulae aloeticae cum ſapone, et valerianae radix cum liquore ſalino, ſetaceum nuchae admotum, amara et cortex chinae, balneumque frigidum adhibita fuerunt. Vltimo auguſto accedit tertius poſt diarrhoeam, cum vertigine, propenſione in ſomnum leuique delirio, nullis tamen ſtipatus conuulſionibus; aegra poſt ſomnum captum diu de doloribus ventriculi et dorſi conqueſta, nec a venae ſectione, nec a balneo, nec ab opiato leuata, vomitu quoque et dyſuria tentatur; poſt balneum vero repetitum, pillulasque e ſapone et martis ſale datas, urina copioſa cum ſedimento albo reddita fuit, doloresque prorſus ceſſarunt. Menſtrua ſemper rite fluxerunt, et una hebdomade poſt ſingulos inſultus praeterlapſa acceſſerunt. Vſus pilularum ſaponatarum et aquae ſpadanae et balnei frigidi continuatus illud effecit, ut nouembre menſe leuis admodum dolor reuerteretur, fomentis applicatis facile diſſipatus. Iam bene iterum valet aegra. Ex quibus omnibus dictis dein Noſter quaeſtionem mouet, an ſpaſmi iſti fuerint conuulſiones nephriticae periodicae? illudque omnino vel ex eo affirmat, quod in aliis feminis ſimiles obſeruauerit dolores nephriticos, ante menſium ingreſſum a turgentibus magis et diſtentis eo tempore partium utero vicinarum vaſis oriundos; et quamuis nullum adfuerit ſymptoma nephritidi proprium, et p. 414.

 dyſuria

dyſuria tertio demum inſultu acceſſerit, diarrhoea vero per conſenſum ab irritatis urinariis viis nata ſit, vel inde tamen illud patere Cl. Auctor colligit, medentes nimirum in morbis, in primis in neruorum affectionibus, vel ad leuiſſima ſymptomata, et potiſſimum ad iuuantium laedentiumque effectus attentos eſſe debere.

p. 417. 34) *Febris poſt partum hiſtoriam* tradit IDEM.* Femina, quae duobus abhinc annis poſt refrigerium ſemper ſub menſium acceſſionem inſultus hyſtericos experta fuerat, iam partu feliciter peracto, lochiisque bene fluentibus, febre lactea corripitur quarto a partu die, languore, vigiliis, purpura comitata; acceſſit delirium, lingua fit ſicca et nigra, pulſusque paruus et celer. Diaphoreticis mitioribus datis et antiſpaſmodicis, veſicatorioque capiti applicato, multum inde ſeri euocatum fuit; nono die febris ſe remiſit et aegra paululum dormiit, melius ſe habens, ſpiritumque MINDERERI cum diluentibus perſpirationis ſuſtinendae cauſſa ſumſit, lateribus calidis ſimul pedibus applicatis: Sed duodecimo die increuit delirium, acceſſit coma perpetuum et conuulſio, reſpiratio difficilis, inquietudo, pulſusque vix perſentiſcitur: ſtimulans clyſma non retinetur, veſicatorium non attrahitur, urina inuoluntarie effluit: tandem ſinapiſmi in pedibus veſicam cient humoresque alliciunt, quorum affluxus, cataplaſmate emolliente et unguento ad veſicatoria applicatis, largiter promouetur. Quum ore nihil ingeri poſſet, cortex peruuianus in decocto capitum papaueris albi clyſmatibus bis per diem repetitis iniectus fuit cum optimo ſucceſſu, ut ſenſim ceſſarent dira illa ſymptomata, et poſt continuatum clyſmatum dictorum uſum, iam ore corticem et cibos iterum adſumeret aegra, priſtinasque vires recuperaret.

35) *Fe-*

* d. 1 maii 1755.

35) *Febris malignis ſymptomatibus ſtipatae hiſtoria* recenſetur ab EODEM.* Virum mediae aetatis animi affectu vehementiore agitatum inuaſit febris, atque vomitorio et diaphoreticis, venae ſectioni veſicatoriisque adhibitis pertinax haud ceſſit, ſed increuit potius, exanthematibus, delirio, vigiliisque ſtipata, et a dato moſcho et cortice peruuiano nihil mutata, per integrum fere menſem perdurauit: Tandem Noſter in auxilium vocatus, continuos tremores et ſubſultus tendinum, pulſum paruum, vix digitis percipiendum, linguam muco obductam, auditum grauem, ſudorem fere colliquantem, delirium, inquietudinem, puſtulas rubellas in pectore, purpureo liuidas in dorſo obſeruauit. Aluo primum clyſmatis calidi ope libera reddita, dein tinctura antimonii cum vino rubro, elixirium vitrioli et tinctura volatilis cort. peruuiani cum liquore ſalino vel tinctura roſarum tam exoptato cum ſucceſſu exhibita fuerunt, ut poſt tres dies ſudor ſenſim parcior flueret, puſtulae rubellae bene ſuppurarent, liuidaeque cum tremoribus, ſubſultu, delirioque prorſus diſparerent, et morbus abſceſſu in aure dextra formato ſolueretur. Cuius abſceſſus, veſicatorio pone aures applicato, ſuppuratio larga cum ſuſtineretur, omnia in melius mutata, pulſus fortior et plenior, urina ſaturata cum ſedimento, linguaque naturali colore conſpicua poſt aliquot dies fuerunt. Tandem tincturae ſimplex chinae corticis et breui poſt eius decoctum ſaturatum, cum interpoſitis rhabarbarinis, omnem curationem perfecte abſoluerunt. p. 420.

36) *De inſolitis aquarum in variis Britanniae ſeptemtrionalis locis motibus, terraeque Dunbartoni ſentito tremore relationes* a non nullis viris exhibitae leguntur, quas quidem ipſa ſocietas iudicauit non adeo ſingulares eſſe notatuque dignas, aliquam tamen ad p. 423.

 pleniorem

* d. 1 maii 1755.

pleniorem tanti phaenomeni unitis doctorum laboribus formandam hiſtoriam praebere materiem. Ex his, quas ſigillatim recenſere iam haud licet, illud omnino memorari meretur, vehementiſſimas aquarum agitationes, calendis nouembris ipſis, quibus Lisbonae contigerat dirus ille terrae motus, in continenti terra non ſentitas, in variis tamen lacubus et ſtagnis et in primis in profundiori palude, *Lochneſſ* dicta, quae vel diriſſima hyeme non congelata umquam fuit, obſeruatas fuiſſe, ad plurium pedum altitudinem eleuatis aquis et vicinos agros inundantibus.

XIII.

De Bagni di Piſa poſti a pie del monte di ſan Giuliano Trattato del Dottor GIOVANNI BIANCHI, Medico primario di Rimino. Firenze 1757. à ſpeſe della ſtamperia Paperiniana. 8 mai. pl. 6. c. icon.

h. e.

De balneis Piſanis, ad radicem montis St. Iuliani poſitis, Tractatus Auctore D. IOH. BIANCHI.

Breuem balneorum Piſanorum deſcriptionem expetebant non nulli Cl. Auctoris amici, quam in epiſtola quadam exhibere ſecum conſtituerat, ſed increſcente eius mole, melioris ordinis gratia in capita quinque diuiſit, et ita praeſentem libellum conſcripſit, qui minus neceſſarius videbatur, cum Cl. COCCHI paucis ante annis ampliorem tractatum de iisdem conſcripſiſſet. Noſter vero opuſculum hoc iis utile eſſe ſtatuit, qui aquarum harum naturam et indolem ex ſuccincta quadam deſcriptione cognoſcere cupiebant

bant, paſſim etiam non nulla, quae a Cl. COCCHI ſententia recedunt, proponit.

Opuſculum in quinque capita diuiſum eſt, in quorum primo *ſitus balneorum* deſcribitur. Cum in alia parte territorii Piſani balnea quoque deprehendantur, antiquitate et aquarum bonitate celebria, minus tamen ab aegris frequentata, quam ea, quorum aquae ad radicem montis St. Iuliani ſcaturiunt, ea ſedulo diſtinguit Noſter, tractum huius montis curioſius deſcribit, et ſimul aliarum aquae ſcaturiginum, ex eodem monte promanantium, mentionem iniicit. Saxum montis St. Iuliani durum eſt, flaueſcente et coeruleo colore conſpicuum, impreſſionesque arbuſculorum, dentritas vocant, oſtendit; ipſum vero ad aedes exſtruendas aliaque vitae commoda adhibetur. Huic vicinus eſt mons ex ſaxo albido compoſitus, et inter utrumque hunc montem aqua medicata nunc deſcribenda erumpit. Cum in his montibus veſtigia rerum marinarum petrefactarum non inueniantur, quae tamen in colliculis vicinis copioſa deprehenduntur, illos primigenios eſſe aſſerit, et arbores, ſitum terrarum vicinarum earumque culturam ſtudioſe deſcribit. p. 1.

Caput ſecundum de *antiquitatibus balneorum Piſanorum* exponit. PLINIVS iam eorundem mentionem iniicit, eaque cum balneo Paduano, d'Abano dicto comparat, fragmentum etiam inſcriptionis, in iis locis repertum, antiquitatem earundem declarat, immo ex columnis earumque capitellis, ad architecturam etruſcam pertinentibus, vere colligitur, ante tempora imperatorum haec balnea frequentata fuiſſe. Ab antiquiſſimis his temporibus uſque ad ſeculum decimum tertium, nulla veſtigia deſcriptorum horum balneorum inueniuntur, eo autem tempore Piſis leges ſtabilitae fuerunt, de bono ordine, in his balneis p. 9.

conſeruando. De varia inſtauratione horum balneorum, ac de ſcriptis, qui eorum mentionem iniiciunt, poſtea agit Noſter et non tantum editiones citat, ſed varias res, quae hiſtoriam horum balneo-
p. 16. rum illuſtrant, excerpit. Monet inter alia Tractatum MERCVRIALIS de balneis Piſanis non Francofurti 1602 primum editum fuiſſe, ſed in eius praelectionibus Piſanis Venetiis 1597. in fol. impreſſis, ſimul exhiberi.

p. 23. Caput tertium *inſtaurationem recentiſſimam horum balneorum* conſiderat, quae a FRANCISCO I. Imperatore Romanorum et magno duce Hetruriae, anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo, ſuſcepta fuit, opus dirigente Ill. Comite de RICHECOVRT. Aedificia igitur, quae ad balneum orientale et occidentale pertinent, balnea varia nominibus deorum gentilium inſignita et diſtincta, cameras, in quibus embrocha, ſcilicet flumen aquarum per tubos verſatiles ad varias corporis partes validius applicatur, nec non alias, in quibus balnea laconica per calorem ſiccum et ſudorem excitantur, ſuccincte deſcribit. Icon addita elegantiam aedificiorum et ſitum balneorum non nihil adumbrat.

p. 32. Caput quartum *praecipuas qualitates aquarum balnei Piſani* recenſet. In calore aquarum definiendo uſus eſt thermometro Fahrenheitiano, quod inter punctum glaciale et aquam ebullientem ducentos et duodecim gradus, et in nonageſimo ſexto gradu calorem circiter ſanguinis naturalem ponit. Maximus calor aquarum in balneo orientali, ſpeciatim in ciſterna magna eſt graduum 106, decem igitur gradibus ſuperat calorem ſanguinis naturalem. Magis temperatus itaque eſt in reliquis balneis, ſcilicet in ciſterna laterali grad. 105 et in puteo, ex quo bibitur grad. 103, in balneis reliquis grad. 100 vix excedit, qui

igitur balnea intrant, refrigerium admittunt viri ad grad. 98. foeminae ad grad. 94. In balneo occidentali calor ad grad. 100 non accedit, balnea lateralia longe temperatiora ſunt, et a Cl. Auctore accurate definiuntur.

In cauſas caloris aquae breuiter inquirit Noſter, p. 43. et eas ſupra mineras ſulphuris et ferri progredientes incaleſcere cum aliis affirmat. Porro quoque aquas ſua natura calidas citius ebullire, quam frigidas, experimento inſtituto contra aliorum ſententiam aſſerit.

Praeter calorem, cremorem et ſal harum aqua- p. 47. rum deſcribit Cl. Auctor, in ſuperficie enim materia calcarea ſiue cremor albiſſimus et ſplendens coit, et collectus ſubſidet, id, quod etiam ſub euaporatione cognoſcitur, diuerſimode tamen in diuerſis aquis: in ciſterna enim magna duodecim librae grana 113 dederunt; haec ſatis calida eſt, in fonte Neptuni utpote frigidiore ſex ſcrupuli et gr. 14 inuenta fuerunt, in occidentalibus balneis ex ſimili quantitate aquae gr. 109 materiae calcareae collectae fuerunt, in frigidioribus minor ſemper quantitas. Si calcarea haec materia in aquis deprehenditur, inſtillato oleo tartari per deliquium lacteſcunt, acido vero vitrioli vel nitri ſuper addito iterum pellucidae fiunt. In acidulis Aſciani fontis, in quibus pauca materiae calcareae veſtigia deprehenduntur, oleum tartari per deliquium aquas non turbauit. Materia calcarea inſipida quidem eſt, calcinata tamen ſalis, arcano duplicato ſimilis, exiguam partem exhibuit.

In balneis orientalibus, ſpeciatim in balneo Ne- p. 50. ptuni, libra aquae tria grana ſalis amari Epſomenſi ſimilis exhibuit, occidentalia vero balnea, ſpeciatim balneum reginae, vix unum alterumque granum ſali marino ſimillimum dedit, nulla vero aluminis indicia praebuit, quae his aquis a multis adſcribuntur. Fons Aſcianus vix granum ſemis in libra aquae continet.

His

p. 53. His de caloris, terrae calcareae et ſalis praeſentia in balneis Piſanis demonſtratis, ad qualitates quasdam, ſenſibus quidem non ita obuias, ſed tamen ſat certas enarrandas progreditur, cum in his ipſis vis
p. 56. aquarum magis nobilior reddatur. Adducit ideo primo loco ſpiritum elaſticum mineralem, qui in aqua calida non tantum, ſed in aqua frigida quoque Aſciani fontis deprehenditur, et quem in perſanandis morbis per uſum harum aquarum praecipue cognoſcunt medentes. Simili etiam modo ferri particulas aſſumit, quae quidem poſt euaporationem magnete vel alio experimento chemico deteguntur, ſed ex virtute roborante innoteſcunt; illis itaque aliquam volatilem indolem adſcribit, quam non nulli quidem negabant, ipſe autem ex aquis martialibus arte factis demonſtrat, quae ferro candefacto immiſſo vim martialem recipiunt, licet martis particulae inde reduci nequeant. Addit et alia argumenta, quibus martis praeſentiam euincit, v. c. dentritas lapidibus impreſſas, quae non niſi a tinctura ferri oriuntur, rubrum colorem in quibusdam montis partibus a marte tingente deducendum, maculas flauas in linteis eorum relictas, qui balneis utuntur. Porro quoque his aquis ſulphureum vaporem adſcribit, licet nec odore nec ſapore diſpliceant, eumque potiſſimum ex aquis Aſciani fontis demonſtrat, in quibus ferrum politum nigreſcit, et odor ingratus ſulphuris ſpargitur, tandem etiam acidum volatile ſpirituoſum, ſiue ſpiritum volatilem aluminoſum, immo nitroſum, euincere tentat, et inde etiam ad vim earundem ſolida roborantem concludit, qua de cauſa in morbis chronicis potiſſimum egregios effectus producunt.

p. 69. Caput quintum *morbos particulares recenſet, quibus aquae balneorum Piſanorum medentur;* declarat itaque, quomodo apoplecticis, paralyticis, epilepticis, vertiginoſis et conuulſiuis inſultibus, doloribus capitis aliarum-

aliarumque partium, aſthmati in primis conuulſiuo, tuſſi inueteratae et laeſionibus pulmonum, tanquam praeſtantiſſimum remedium opponi poſſint. Et aneuryſmatibus pectoris eiusque hydropi opponi poſſe contendit, non tantum ob diluentem et roborantem virtutem, ſed quoniam ſanguinem liberum reddunt a particulis corroſiuis, quae tunicas aortae arrodunt, et ideo dilatationi praeternaturali anſam praebent. Qua in re aliisque non nullis Cl. Auctor magis ſubtili theoriae, quam fidae experientiae inhaerere videtur. In anorexia, diarrhoea, dyſenteria, lienteria et colicis periodicis ceu vitiis primarum viarum, nec non in morbis renum et veſicae praeſtantiſſimos interdum effectus expectari poſſe lubentius concedimus. Tandem quoque non nulla de podagra et morbis venereis ſubnectit.

In Appendice *regulae generales de uſu harum aqua-* p. 81.
rum adduntur. Equidem vix dari poſſunt regulae generales, cum morborum et aegrorum differentia ſatis oſtendat, et uſum internum et balnea et ſtillicidia et vapores vel coniunctim vel ſeparatim adhiberi poſſe, et haec omnia a medico rerum perito diiudicari debere, interim de victu, ſomno, quiete et motu breuiſſimis agit, et quantitatem, tempus et locum ſimul definire ſtudet.

XIV.

Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici e filologici, Tomo L. in Venezia, 1754. 12. 21 pl. 2 tabb. aen. Tomo LI. in Venezia, 1757. 1 alph. 2 plag.

i. e.

Collectio Opuſculorum ſcientias et philologiam illuſtrantium. Tom. L. LI.

Cepimus in antecedentibus Tomos huius ſylloges priores indicare, et eorum argumentum, pro inſtituti Noſtri ratione, qua phyſicam et medicinam, breuiter enarrare. Eadem nunc veſtigia prementes, Tomos huius operis ultimos recenſebimus, ſiquidem continuatio eius nacta nomen nouae collectionis Opuſculorum, noua tomorum ſerie ab anno inde 1755 editur; de qua alibi nobis ſermo erit.

Tomus L. continet, primo quidem loco STEPHANI M. FABRVCCI, I. C. Florentini Opuſculum XI ſuper hiſtoria critica Piſana Vniuerſitatis, ex quo, cum in plerisque ad noſtrum ſcopum non facit, hoc tamen unum decerpere licebit, quod de ſchedis Duumuirorum illuſtrium GALILAEI et TORRICELLII ibidem refertur, phyſicis praeſertim gra-
p. 44. tiſſimum. Dignus eſt locus, quem ipſis FABRVCCI verbis huc tranſcribamus. *Superſtes eſt* IO. BAPTISTA *Florentini Senatoris* IO. BAPT. NELLI *poſthumus filius, qui celeberrimo* GALILAEO *ex teſtamentaria* VINCENTII VIVIANI *diſpoſitione, obſtrictus, in eccleſia Florentina S. Crucis PP. Minorum, elegantiſſimam epigraphen, ſubſidiario calamo, adhuc adoleſcens*, et *pene potius puer appoſuit, et nunc* I. V. *Laurea donatus et decenti connubio iunctus haereditaria quaedam praelaudati* VIVIANI, *et exiguo impendio forte fortunae emtas ipſius* GALILAEI *et* IO. EVAN-

GELISTAE

GELISTAE TORRICELLII *pretioſiſſimas ſchedas hactenus ſquallore ac puluere obſitas, in rempublicam literariam, obſtetricio munere, inuecturum ſeſe recepit; et utinam tam lautae ſuppellectilis, hac vel alia ratione, aliquando compotes efficiamur.* Huic FABBRUCCI voto, ut pio et rei phyſicae perquam profuturo, exhortationem noſtram addimus et Conſultiſſimum NELLIVM vel publico nomine rogamus, huius promiſſi, niſi iam facti, aliquando immemor ne fiat.

Hoc opuſculum excipit IOSEPHI ANTONII p. 127.
PVSATI ad filium ANTONIVM GAETANVM epiſtola, *de cauſa motus animalis in corpore humano;* in qua Cl. Auctor contra STAHLIVM eiusque ſequaces docet, animam non adeo influere in corpus, ut huius motus animales ab ea deduci proxime debeant, neque functiones animales, ſecretiones et excretiones, motus ſanguinis et liquorum ab anima immediate
regi. Corpus enim, ut complexus plurium ordi- p. 161.
num mirabilium, ab anima tanquam a cauſa primitiua vitam et ſanitatem remote mutuat, attamen anima non pro cauſa immediata et proxima motionum naturalium, multo minus pro cauſa motionum irregularium, ſanitatem turbantium, habenda eſt. Adiicit Auctor hanc STAHLII opinionem minime nouam, ſed antiquitus non nullis iam uſitatam eſſe, quorum meminit GALENVS Cap. I. libri *de plenitudine.* Et hoc quidem loco Doctiſſimi SAVVAGES examinat argumenta, pro confirmanda Stahliana hac de re ſententia in medium adducta: Neque hos praeteruehitur Auctor, qui naturam quaeuis dicunt in corpore noſtro operari, aut viribus animalibus omnia ibidem abſolui, ante quam explicent, quid per naturam viresque animales velint intelligi. Tandem argumentis aeque ac experientia euincit, non opus eſſe operatione animae immediata ad actiones mere animales producendas, ſed ſufficere mechaniſmum,

quo

quo ad motum ſollicitato omnia reliqua perfici facile poſſunt.

p. 245. Sequitur *hiſtoriae foſſilium in agro Piſaurienſi locisque vicinis reperiundorum pars ſecunda;* Auctore IOAN. BAPTISTA PASSERI, cuius partem primam in antecedentibus iam indicauimus * continet haec ſecunda pars praeter relationem de conchis montium Piſaurinorum aliorumque locorum, ubi forte occurrunt, breuem explanationem modi, quo huius modi foſſilia a natura huc repoſita et conſeruata fuerint. Quo ipſo Auctor examinata eorum ſententia, qui teſtaceorum in montium viſceribus exiſtentiam a diluuio repetunt, eam cum recenſitis aliis opinionibus non ſolum reiicit, ſed aliam quoque ſubſtituit, partim ex terrae motibus, partim ex aquis naturaliter et ſucceſſu temporis ſubſidentibus, nouam terram continentem, colles item, ac montes producentibus: id, quod Auctor, ſi non de omnibus foſſilibus, ſaltim de corporibus marinis ſub iugis montium latentibus, probari poſſe ſibi perſuadet.

p. 301. Poſthaec Ill. Comes MVCIVS MVZANVS *modum* exponit *detegendi varios motus macularum ſolis veros et apparentes, uſu earundem ſimul declarato;* ad quod efficiendum Ill. MVZANVS utitur arcu in diſco ſolis apparente ab ſolis ortu ad eius uſque occaſum per motum maculae deſcripto; cuius demum ope verus maculae ſitus quauis diei hora deſignari atque reperiri poteſt.

p. 455. Poſtremo BONAVENTVRA PEROTTI, *obſeruationes non nullas* ſiſtit *medico-anatomicas*, de ſplene humano ſolito quinquies maiori et ex parte in ſubſtantiam oſſeam commutato; de inſolito renum ſitu, et vaſorum in iis ſanguineorum, diuerſa conformatione;

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 654.

tione; ſiniſtro nempe tribus arteriis et una vena, dextro contra una tantum arteria et duabus venis inſtructo: de quibus omnibus in praeſens plura diſſerere nolumus, alia et prolixiora, ubi ad nouos huius ſylloges tomos deuenerimus, prolaturi.

Tomi LI pars prior complectitur opuſculum duodecimum ſuper Hiſtoria Vniuerſitatis Piſanae STEPH. MARIAE FABBRVCCI; cui tandem ſuccedit pars tomi poſterior, indicem continens perſonarum et rerum maxime notabilium, quarum in his quinquaginta ſylloges tomis aut aliqua facta ſit mentio, aut plenior tractatio occurrat.

XV.

Noua Acta Phyſico-Medica Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum. Tomus I. acced. Appendix et Tabb. aen. 13. Norimbergae. Impenſis Wolfgangi Schwarzkopfii. Anno 1757. 4. alph. 2. pl. 14½. Append. c. Indice alph. 1. pl. 16.

Quae per integrum ſaeculum floruit Academia Caeſarea Leopoldino-Carolina, haecce nouum iam ſaeculum ingreſſa datis ſtetit promiſſis, primumque nunc nouorum edidit Actorum tomum. Cum a praecedentibus actis noua haec quodam modo differant, mutationes ideo ſuſceptas breuiter annotamus. Solam nempe exteriorem iſtas concernentes formam, in maiori nitidiorique ornatu atque iconibus magis artificioſis et accuratis conſiſtere, ipſiusque operis inſcriptionem ſub Actorum Nouorum nomine, a prioribus diſtinguendorum, mutatam, atque ſectiones eorum non amplius Volumina, ſed Tomos ob euitandam, in prioribus citandis, confuſionem, inſigniri, ipſa praefatio refert.

In recenſendis, quibus Tomus hic abundat, obſeruationibus, earum tantum rerum, quae ſingularem attentionem merentur, mentionem facere, ſtatutum habemus.

p. 1. 1) *Haemoptyſin hypochondriaco - haemorrhoidalem periodicam, per XL. annos, ſine phthiſeos labe durantem, maraſmo tandem ſenili terminatam* Cl. ALBRECHT deſcripſit. Mirandum hic fuit, quibusnam viis ſanguis, ob fluxum haemorrhoidalem haud procedentem, verſus ſuperiora tendens, progreſſus ſit. Malo enim hoc, primo circa os ſacrum, dein in dorſo et inteſtino recto, tandemque in hypochondrio dextro, ſentito ſanguis, qui nec inſignis rubedinis, nec adeo ſpumoſus, uti haemoptoicis ſolemne alias eſt, ex faucibus exiit. Ad ſeptuageſimum uſque annum hac labe afflictus vixit, tandemque ſine ulla phthiſeos nota periit.

p. 6. 2) IDEM *Polypos binos cordis latentes variorum grauiſſimorum ſymptomatum et tandem mortis cauſas* obſeruauit. Graui hoc morbo laborantis atque difficili et anxia reſpiratione, interpoſitis lypothymiis, ſummisque anxietatibus cruciati, mente hinc interdum alienati, tandem mortui corpus diſſectum, inter alia, cor magnum huiusque ventriculos ſanguine vacuos, nec non magnum ex dextro ventriculo in arteriam pulmonalem decurrentem polypum, omne huius vaſis ſpatium occupantem exhibuit. Ex ſiniſtro autem ventriculo polypus trium quidem linearum, ſed ultra pedem longus repertus fuit. Notatu dignum hic videtur, quod aegrotantis, dum in viuis fuit, pulſus ad modum quidem debilis, ſed nunquam intermittens, polypi ſuſpicionem alias excitans, obſeruatus fuerit.

3) Cl.

3) Cl. G. C. MATERNI DE CILANO deſcriptio *hydrocephali, poſt imperitum corticis peruuiani uſum repente exorti atque lethalis.* Ruſticus febre tertiana correptus fuit, ad quam profligandam ſine praeuia praeparatione ſtatim corticis peruuiani uncias tres tonſor quidam exhibuit. Febre hac propulſa, inſignis languor relictus fuit, atque in inſignem tumorem excreuit caput, ita, ut hoc duplo maius factum vere hydropicum euaſerit. Faciei poſtea cute rupta, ſero emanante, tumoreque dolorifico facto, totum corpus magnus inuaſit calor, atque tumor ipſe rubicundus apparuit, hicque tandem in ſphacelum mutatus aegrotantem vita priuauit. p. 10.

4) *De delirio periodico, ex alui obſtructione, alternis ſemper diebus recurrente,* mentionem facit IDEM, atque, haec ſcribens, foeminam hac calamitate afflictam, cunctaque remedia abnuentem, ad alterum iam annum malo hoc vexari, perhibet. p. 12.

5) Non nulla *de empyemate in vera pleuritide ſubnato, poſtea ſponte rupto, cuius materia purulenta, una cum urina excreta eſt,* annotauit IDEM. Notabile hic eſt, quod puris deſcenſum ex pectore in abdomen, illiusque progreſſum ad dorſi longitudinem in infimum ventrem ſe diſtincte ſenſiſſe perhibet aeger. p. 14.

6) Ab EODEM *ſpaſmus opiſthotonus lethalis, ex nerui plantaris laeſione ortus,* deſcribitur. Homo quidam pedem dextrum clauo impacto laeſit, paulo poſt violento opiſthotono per viginti ſex dies correptus, conuulſionibusque quotidie inſimul cruciatus periit. Miſerandam huius figuram aeri inciſam hic animaduertimus. p. 16.

7) *Calculi veſicae praegrandis, inſueta hactenus via, inciſa ſcilicet vagina uteri, ex veſica feliciter extracti,* p. 18.

tracti, hiſtoriam tradit Cl. SPRINGSFELD. Calculum in foemina nobili ſuſpicatus, notum illud medicamentum lithontripticum IOANNAE STEPHENS per tres menſes, incaſſum vero, exhibuit. Sectione igitur in auxilium vocata, atque veſica cum vaginae membrana ſuperiore et interiore recto vulnere inciſa, calculus trium unciarum ſexque drachmarum pondus, nec non oui gallinacei magnitudinem aequans, extractus fuit. Vtraque huius extremitas rara, mollis, friabilis cauernulisque diſtincta fuit, tertioque inter deligandum die ſuper linteolo membrana lata carnoſa reperta, quae, utrum pro ſacculo, cui calculus incluſus fuit, haberi poſſit, non determinatur. An etiam iſta raritas remedio illi uſurpato tribuenda ſit, itidem affirmare Cl. Auctor non audet. Foemina ſeruata, bis deinde partum enixa eſt. Tabul. 1. fig. 2 et 3. calculi figuram repraeſentant.

p. 28. 8) *Animaduerſiones quaedam botanicae a* IOANNE CHRISTOPH. BVXBAVM, Profeſſore *Petropolitano, conſignatae, nondum vero publici iuris factae, nunc autem editae a Cl.* SPRINGSFELD. Cum non nullae a b. BVXBAVM collectae plantae et exſiccatae, tam marinae, quam terreſtres, in primis muſci, lichenes et gramina, pariterque animaduerſiones quaedam botanicae ab eodem conſcriptae, in manus Cl. SPRINGSFELD venerint, iſtas publici iuris facere, non dubitauit.

p. 29. Animaduerſio prima *Chenopodium* concernit. Ab auctoribus nimirum plerumque confundi Chenopodii ſpecies, aſſeruit b. BVXBAVM, ad quem ideo tollendam ſequentia notauit: Chenopodium, quod a TABERNAEMONTANO ſub Pedis Anſerini, rubros fructus proferentis, nomine deſcribitur, idem eſt cum Chenopodio, folio laciniato, coma purpuraſcente, vel et coma vireſcente variante. Chenopodium

dium vero latifolium, minus ramoſum, florum petiolis longiſſimis, ex foliorum alis confertim naſcentibus Cat. Hall. illi non adiungendum, ſed pro Chenopodio ſpicato, folio triangulari, dentato, Botan. Pariſ. habendum eſt. Ab hoc aetate tantum differt Chenopodium ſylueſtre Opuli folio Botan. Pariſ. quod ad Chenopodium coma purpuraſcente IVSS. refertur. Chenopodium vero ſtramonii folio Pes Anſerinus II TABERN. eſſe dicitur. Tandem Chenopodium humile, calycibus purpureis, inſtar ſtellae expanſis; porro Chenopodium maritimum, quod et Blitum maritimum dicitur, atque demum Atriplex maritima pro nouis ſpeciebus a b. BVXBAVM habitae traduntur.

Animaduerſio ſecunda *Muſcorum quorundam minus cognitorum* mentionem facit. Nuncupantur 1) Muſcus minor, lanuginoſo ſimilis, capitulis erectis; 2) Muſcus arboreus, apocarpos foliis pennatis; 3) Muſcus paluſtris ad Fontalem I. B. accedens minor. p. 31.

Animaduerſio tertia in manus Cl. SPRINGSFELD non venit.

Animaduerſio quarta *Fungos lac acre manantes* commemorat. De his antiquiores botanici unam ſpeciem, fungum ſcil. album acrem, recentiores vero plures praeter neceſſitatem conſtituiſſe dicuntur. Dari tamen fungos, lac acre manantes, a fungo albo acri diuerſos, horumque duas eſſe ſpecies aſſerit b. BVXBAVM. Prior nimirum fungum minorem, lacte acri turgentem, liuidum, ſolidioris texturae, fungum mediae magnitudinis, coloris liuidi, interdum ad coeruleum, interdum ad rubrum vergentis, ſiſtit. Poſterior ſpecies fungus eſt capitulo maiore, minus circinato, coloris lateritii, et pediculo breuiore. p. 32.

Animaduerſio quinta *fungorum poroſorum* meminit. Horum licet a recentioribus plures conſtituantur ſpecies, tamen non niſi duas eſſe idem dicit. Eos enim pro diuerſa anni tempeſtate variare refert. p. 33.

p. 35. Animaduerſio ſexta *fungorum* iterum mentionem facit. Magna, opinante eo, fungorum hic regnat confuſio, eorumque plures, ac vere ſunt, enumerantur ſpecies. Diſtinctio in eſculentos et noxios nullo fundamento nititur, ſiquidem multi apud non nullas gentes eſculenti ſunt, qui ab aliis pro noxiis habentur. Praeter conſuetudinem igitur nullas dari notas, quibus fungi noxii cognoſci poſſint, idem affirmat.

p. 37. Animaduerſio ſeptima *Lunariam* concernit. Plantulam hanc, quae Lunaria botrytos I. B. dicitur, cuiusque nomen retinetur, falſe Oſmundae adnumerari, nouamque huius ſpeciem in Ingria collectam et a b. BVXBAVM Lunariam minorem, folio cicutae, dictam fuiſſe, legimus.

p. 38. Animaduerſio octaua *Graminum Cyperoideorum* deſcriptionem exhibet. Gramina haec ſequenti ordine traduntur. 1) *Cyperoides altiſſimum, gracile, ſpicis exiguis, aculeatis, longe diſtantibus.* Culmi tenuiſſimi, debiles, triquetri, intra faſciculos foliorum longiſſimorum naſcentes, iſtud a congeneribus diſtinguunt. 2) *Cyperoides elatis ſpicis, rotundis, ſpadiceo viridibus.* Hoc ſumma ſpica interiore parte florifera, ſuperius ſeminifera ab aliis differt. 3) *Cyperoides humile, ſpicis habitioribus hirſutis.* Hoc diſtinguit ſpica in ſummo culmo unica, florifera ex integro, una vel duae proximae ſuperiore ſaltem parte floriferae, ſeminibus ſubiectis. 4) *Cyperoides minus anguſtifolium, ſpicis paruis globoſis, fuſcis,* in ſummo culmo ſpicas communiter tres rotundas, e ſquamis ſpadiceis conflatas habet.

p. 39. Appendicis tandem loco ſequentes ab EODEM deſcriptae traduntur plantae. 1) *Rubus humilis flore purpureo.* 2) *Alſinaſtrum T. I.* 3) *Fungus ramoſus niger, compreſſus, apicibus albidis* RAII. 4) *Stachis minor valde tomentoſa, ſpica Veronicae.* 5) *Gramen pratenſe purpureum, ariſtatum, purpuraſcente ſpica.* 6)

Agaricus

Agaricus ſquamoſus marginibus luteis. 7) *Fucus minimus roſeus.* 8) *Planta paluſtris ad Potamogeton accedens, ſeminibus umbellatis.* 9) *Muſcus ſtellaris humilis, capitulis nudis, ad apocarpos accedens.*

Ad finem harum animaduerſionum ſpecimina aliquot plantarum a b. BVXBAVMIO exſiccatarum, hic vero aeri inciſarum, in addito ſcholio egregie illuſtrauit Ill. TREW. Quae enim a Cl. SPRINGSFELD communicata acceperat Buxbaumianarum plantarum, in primis e Lunariae et Rubi genere, ſpecimina ſicca cum aliis e ſuo herbario inſtructiſſimo additis, non ſolum tabulis aeneis depicta exhibuit, ſed etiam haec cum figuris et deſcriptionibus eorundem a multis optimisque botanicis datis ſtudioſius comparauit, atque varietates, an nouae ſpecies conſtituant, accurate docteque definiit. Sunt vero ex his praecipue nominandae aliquot varietates Lunariae vulgaris et noua ſpecies cicutae folio dicta a BVXBAVMIO, atque a nullo adhuc deſcripta botanico, itemque Rubus humilis flore purpureo. p. 43.

9) *Pomeraniae ulterioris fons medicatus Polzinenſis* deſcribitur a Cl. D. G. THEBESIO. Huic fonti principium martiale volatileque ſulphureum, limpidiſſima aqua dilutum, ineſt. Praeter haec et terram alcalinae indolis in eodem reperiri, experimenta oſtendunt. Fontis huius, aquis Lauchſtadienſibus aequiparati, uſus externus tantum eſt, et in morbis chronicis, neruoſi in primis generis affectibus, ut contracturis, paralyſi cet. Deinde etiam in morbis ab atonia viſcerum neruoſique generis debilitate ortis, ac malo hypochondriaco, hyſterico cet. magnarum depraedicatur virtutum. p. 60.

10) *Superfoetationis* caſum annotauit IDEM. p. 65. Foemina duos uno diei ſpatio edidit foetus, quorum prior ſanus atque perfectus prodiit, poſterior vero

aliquot elapſis horis editus, flaccidus et trium aut quatuor menſium iudicatus fuit. Ex incremento huius minori et infirmiori corporis habitu caſum hunc veram ſuperfoetationem ſiſtere, Auctor ſibi ipſe perſuadet.

p. 69. 11) IDEM *partus continuo numeroſi* mentionem facit. Ruſtica foemina trino partu undecim foetus enixa, primo quadrigeminos, anno ſequenti tergeminos viuos edidit, paulo poſt iterum quadrigeminos abortiuit.

p. 70. 12) *Partus ſeptimeſtris vitalis* hiſtoriam tradit IDEM atque enarrat, infantem ſeptimo menſe natum, debilem ad modum, oculis clauſis, mutum, in capitis cute pilis carentem, ad nonum uſque menſem eundem, ac in utero, ſitum membrorum, naturalesque excretiones, licet reſpirauerit, retinuiſſe, atque ſumma matris cura educatum, vigeſimum quintum iam aetatis annum tetigiſſe, ita tamen, ut primo grallis ſuffultus, dein absque his genubus curuis incedens, imberbis pueruloque aequiparandus in conſpectum prodeat.

p. 74. 13) IDEM *terminum parturiendi grauidis ut plurimum certum* conſtituit, atque iuniores, quae circa nouilunium menſium fluxum patiuntur, partum eo imminente aut in ipſo nouilunio eniti, adultiores vero, quae maximam partem circa plenilunium menſtruatae ſunt, ipſo cum plenilunio parere, expertus aſſerit.

p. 77. 14) *Optima iteratos abortus praecauendi remedia* IDEM commendans, iſta, ſi uteri atonia abortus cauſa ſit, a ſumma per plurimos geſtationis menſes quiete inſtitutaque tertio cuiusuis menſis initio venae ſectione ſuppeditata fuiſſe, atque effeciſſe, ut foemina

mina partum dein perfectum ediderit, annotat. Sola autem venae ſectione abortus non ſemper praecaueri, imo ea repetita ad abortiendum foeminas diſponi, affirmat.

15) *Largiorem et repetitam in grauidis venae ſe-ctionem infantum imbecillium cauſam* IDEM ſtatuens, grauidas etiam plethoricas tuto ſaepe venae ſectionem omittere poſſe, ideoque cautius in grauidis venae ſectionem admittendam eſſe praecipit. p. 80.

16) *Curam recens natorum corporis et animi forma-tricem* eſſe IDEM oſtendit, cauſasque corporis animique corrupti in nutricibus mercede conductis, porro nimia ciborum et praematura ſpirituum ingurgitatione, pariterque praemature omiſſa faſciarum inuolutione, nimiaque demum cunarum agitatione inueniens, horum igitur abolitionem ſedulo commendat. p. 82.

17) *Morſum hominis ſumme irati et alterius in ne-cem intenti periculoſum* annotauit Cl. L. G. KLEIN. Militem quemdam latro male tractat, eiusque digitum, illum pro mortuo habens, mordet, poſtmodum in foſſam praecipitat. Miles, qui mortuum ſe ſimulauit, quantum valet, urbem vicinam petit, ubi curae chirurgi committitur. Digitus demorſus gangraena correptus amputatur, atque vulneribus ſanatis reſtituitur vulneratus. p. 85.

18) *Spinam humeri et brachii ventoſam fatalem ex paronychia peſſime tractata* deſcribit IDEM. Ruſticus paronychia laborans et ad barbitonſorem accedens ſtatim ab eo ad amputationem praeparatur. Operatio ita facta eſt: Ipſius ruſtici cultro communi digitum utrinque incidit, torquet et auellere tentat iſte; his incaſſum tentatis, eundem cultrum intra digiti phalangam primam et metacarpum intrudit, quo p. 88.

facto digitus maximam partem abſciſſus, tandem ab illo circumforaneo manu auellitur, ipſa autem cura ſoli fere naturae committitur. Operatione hac crudeli peracta brachii affecti ſtatus de die in diem in peius ruit, idque in inſignem excreuit magnitudinem, atque ſpina ventoſa in eo primo obſeruata, ſphaceloque poſtmodum oborto, miſer ille miſere demum periit.

p. 91. 19) *Herniae inguinalis, incompletae, inflammatae ſuppuratae, ruptae, conſolidatae exempla bina* propoſuit IDEM, tumoreque ſuppurato, ſponte dein rupto, in utrisque lumbricos per aperturam exiiſſe, obſeruauit.

p. 92. 20) *Vſus Ducciae Mattiacarum ad rheumata* commendatur ab EODEM. Deriuatur nimirum aquarum ſtillicidium, quod *Ducciam* vocat, ad partem affectam, quo per aliquot tempus continuato, furunculis prius obortis hisque rite tractatis, rheumatiſmum cedere Cl. Auctor perhibet, pariterque rheumatiſmos furunculis ſponte obortis ceſſare, obſeruauit.

p. 94. 21) *Hydropem ſcroti poſt variolas manu feliciter curatum*, ita, ut inſtrumento, quod *Trois-quarts* vocatur, applicato librae aliquot aquarum exierint, cuteque dein, ob lentum humorum effluxum, ſcalpello inciſa, aquae ad triginta libras ſucceſſiue emiſſae fuerint, IDEM commemorat.

p. 96. 22) *Teſticuli dextri tumorem praegrandem a conquaſſatione, diſcuſſum, data occaſione recrudeſcentem variolis plenarie ſuperatum* deſcribit IDEM, hacque inſimul occaſione, ex alius medici obſeruatione, tumorem teſtium venereum, ſuperueniente febre, reſolutum fuiſſe, perhibet.

23) *Scarificationis ſiniſtrum euentum* obſeruauit Cl. p. 97.
H. F. DELIVS. Ex ultima nimirum ſcarificatione homo quidam moleſtum pruritum in eo dorſi loco, ubi illa ſuſcepta fuit, ſentiens, eumque manibus et ad columnam ligneam fricans, inflammationem ibi excitauit, ad quam curandam balneator unguentum ex adſtringentibus applicuit. Auctum inde malum in ingentem abſceſſum, ad gangraenam tendentem, abiit. Aſt remediis rite adhibitis, pureque exeunte, eo tandem malum diſpoſitum fuit, ut aegrotans euaſerit.

24) *De ſecundinis ſerotinis* verba facit IDEM, licet p. 101.
Cl. Auctor putet, ſecundinarum extractionem non eſſe differendam, foeminae tamen meminit, quae ſecundinas per aliquot dies retentas, poſtea corruptas excreuit, et morbo ſuperato euaſit.

25) *Defluuium capillorum omniumque crinium uni-* p. 103.
uerſi corporis ſingulare commemorat IDEM: hominem, enim vidit, qui nullum in ulla regione corporis pilum vel minimum habuit, quorum defluuium poſt morbum grauem ſuperatum ortum fuiſſe notat.

26) Ab EODEM *febris epilepticae* mentio facta eſt. p. 104.
Licet ex inſcriptione huius obſeruationis nouam febris ſpeciem ſuſpicari facile quiuis poſſet, ipſam tamen obſeruationem perlegentes animaduertimus, febrem hanc ad intermittentium tertianarum claſſem pertinuiſſe, ſymptomata autem febrem vel praecedentia vel concomitantia ita ſe habuiſſe, ut paroxyſmus iſte febrilis ab incautis facile pro epilepſia haberi potuiſſet.

27) *Aſthma, Icterus et Haemoptyſis tandem fune-* p. 107.
ſta ex graui praecipuorum pectoris et abdominis viſcerum labe oborta deſcribuntur a Cl. C. F. KÜHN. Qui

hisce

hisce malis laborauit, in iuuentute iam ſentiit molimina haemorrhoidalia, poſt modum autem malis ſupra nominatis quotidie vexatus, vitamque de die in diem miſeriorem trahens, ultimo tandem vitae ſtadio ſanguinem floridum ſpumeſcentem ad duas menſuras reiecit, atque horis aliquot elapſis maiorem adhuc quantitatem ſanguinis reiiciens, eo ipſo momento extinctus eſt. In cadauere aperto, praeter aliorum viſcerum ſtatum morboſum, veſiculam felleam inciſam ne guttulam quidem bilis emiſiſſe, atque viſceribus remotis ſingularem vertebrarum dorſi et lumborum curuaturam, cuius conuexitas dextrum latus reſpexit, obſeruatam fuiſſe, legimus. Notandum etiam eſt, quod in iſto homine, dum vixerat, nec gibboſitas nec etiam ulla deformitas exterius notata fuerit.

p. 110. 28) *Morbum a faſcino malitioſe ſimulatum* IDEM deſcribit. Foemina videlicet anxietatibus inſignibus, conuuſionibus crebroque animi deliquio afflicta, plus quam ſimplici vice faſciculos ex pannis laneis et linteis arcte conuolutos, coram multis hominibus euomuit, haecque, pro faſcinata habita, iuſſu dein principis, ad eruendam veritatem, cuſtodita ſerioque admonita tandem confeſſa eſt, ſe ita ſimulaſſe, haecque cuncta a vetula quadam didiciſſe, eademque ſaepe tentaſſe, uſque dum in producendis illis ſymptomatibus ſatis exercitata illa pro lubitu producere potuiſſet.

p. 113. 29) *Hydropis tribus ſubiectis funeſti* hiſtoriam tradit Cl. I. H. FVRSTENAV. Iſti aegrotantes, morbo illo defuncti, remediis absque ullo morbi decremento diu uſi fuerunt, tandemque ſuccubuerunt.

p. 117. 30) *Febrium ſoporoſarum* IDEM meminit. Deſcripto hominum quorundam, febribus his laborantium,

tium, ſtatu Cl. Auctor addit, eiusmodi febres cortice peruuiano non debellandas, ſed ob cauſam, in primis viis quaerendam, euacuantibus et digeſtiuis curandas eſſe.

31) *Sapor oris ſalſus* in viro quodam per quindecim annos obſeruatus, nec ullis remediis obediens et ad vitae finem uſque durans annotatur ab EODEM. p. 120.

32) *Prolapſum vaginae uteri in virgine* obſeruauit IDEM, inſimulque annotauit, vaginae prolapſum frequentius ipſo uteri prolapſu obſeruari, foeminasque, viris nunquam nuptas, licet minus frequenter, huic tamen malo interdum obnoxias eſſe. p. 122.

33) *Trepanatio in oſſe tibiae feliciter et cum fructu adminiſtrata* annotatur ab EODEM. Crure nimirum vehementer contuſo atque carioſo inde facto, ipſoque malo contra omnia remedia perſiſtente, trepanum bis uſurpatum fuit; qua operatione feliciter peracta, integrum ex interiori oſſis tibiae lamina fruſtum exemtum malumque dein curatum fuit. p. 124.

34) *Abſceſſum in femore* notabilem vidit et deſcripſit IDEM, perhibens, inter deligandum ingentem haemorrhagiam ortam fuiſſe, quam, nullis vaſis maioribus laeſis, pro vicaria ideo excretione haemorrhoidali habuit. p. 125.

35) *Ex diarrhoea in varioloſis quaedam praeſagia* exhibet Cl. R. A. VOGEL. Omnes varioloſos, qui ſtatim ab initio morbi ad undecimum uſque diem deiectiones aluinas habuerunt, euaſiſſe; atque omnes contra, qui die undecimo elapſo nunc demum diarrhoea laborarunt, obiiſſe, obſeruauit, ideoque diarrhoeam, ita obſeruatam, certi quid de exitu variolarum praeſagientem, pro vero ſigno prognoſtico habendam p. 127.

bendam eſſe ſtatuit. Num vero, ut Cl. Auctor dicit, nemo adhuc eius rationem accurate habuerit, obſeruationes de eadem hac re iam editae declarant.

p. 128. 36) *Anatomico hydraulicae obſeruationes de arteriarum pulſatione* proponit Cl. F. L. B. de SAVVAGES. Quod arteriae non ob ſanguinem, intra illas progredientem, ſed ob impetum ſanguinis, in illas a corde proiecti, verſus earum parietes reflexum, et reſiſtentias ideo expertum pulſent, ex legibus hydraulicis a Cl. Auctore demonſtratur.

p. 141. 37) Cl. C. W. SACHSIVS inſtituit *ſectionem anatomicam phthiſici, mictum cruentum ſaepius experti, tandem iſchuria ex ſpaſmis et inflammatione mortui, cum breui huius morbi epicriſi.* Cadauere aperto, partibusque internis perluſtratis, omentum fere totum corruptum, glandulae meſaraicae obſtructae et notabilis magnitudinis, inteſtina hinc et illinc inflammata, pariterque viae urinariae inflammatione correptae fuerunt; in veſica autem urinaria caruncula quaedam ad eius orificium apparuit, quae hoc plenarie occluſit, unde etiam urinae retentionem fruſtraneamque catheteris applicationem Cl. Auctor deduxit. Pulmonum denique lobos ulcere, totam ſubſtantiam perreptante, nulla de reliquo vomicae praeſentis nota, corruptos, neque praeter memoratas affectiones aliud quid in viis urinariis reperiit.

p. 146. 38) *Rachitidis congenitae atque hermaphroditi* meminit Cl. L. G. KLEIN. Cum in diſquiſitione corporis tenelli, pro hermaphrodito habiti, Cl. Auctor impeditus ſectionem iſtius ad finem perducere nequiuerit, dubium etiam remanſit, utrum infans iſte hermaphroditis adnumerari vere potuerit.

39) IDEM

39) IDEM *cerui atque ferini capri cornua exempli* p. 148.
rarioris deſcribit, ceruumque tria cornua, capri vero cornua octo propagines, German. *Enden*, habuiſſe refert; quae icone repraeſentantur.

40) *De uteri ſtrangulatu* egit Cl. G. H. KANNE- p. 149.
GIESSER. Hunc affectum, qui et ſuffocatio uteri dicitur, in conuulſiua uteri membranarum contractione, vicinas corporis partes in conſenſum trahente, omnesque actiones animales et vitales laedente conſiſtere Cl. Auctor oſtendit, cauſasque huius mali proximas in vitioſis humoribus in utero corruptis, v. g. menſtruo ſanguine non rite purgato, remotioresque cauſas in temperamento calido ac humido quaerit. Cuncta haec fuſius ab Eo declarantur, ſymptomata illa mirabilia, nec non ſigna, quibus hic morbus ab aliis, quibus cum facile confundendus, diſtingui poſſit, diuerſique pariter euentus recenſentur, ac huius denique affectus curatio ſubnectitur.

41) *De carcino* IDEM commentatus eſt. Morbi p. 163.
huius, qui cancer etiam vel et carcinoma dicitur, nomine deriuato cauſas eius diſquirit Cl. Auctor, internasque in humorum acredine, acido nimirum, maſſam humorum inquinante, ponit, atque ab externis iniuriis, contuſione v. g. preſſione cet. cancrum itidem oriri, affirmat. Signis huius mali diagnoſticis expoſitis, variam dein, prout partes ſunt, quae eo infeſtantur, conſtituit prognoſin, et ad curationem demum accedens, remedia et interna et externa pariterque auxilia chirurgica commendat, quorum applicationem vel et omiſſionem ipſius morbi ſtatu determinari dicit. Inter remedia interna, in primis martialia, antimonialia et mercurialia, cumque huius morbi cauſa in acido poſita fuerit, prae reliquis ideo alcalinae indolis remedia laudantur, quorum externa etiam applicatio prudenter facta, multum

omnino

omnino praeſtare, dicitur. Herba Ruperti, folia ſolani, agrimoniae, ſemperuiui, perſicariae et beccabungae tanquam ſpecifica commendantur, harumue ſuccus externe applicatus mirae depraedicatur virtutis. Nulli vero remedio malum hoc obediens, ſolis duntaxat remediis, dira iſta ſymptomata mitigantibus, tractandum eſſe, Cl. Auctor praecipit.

p. 175. 42) *Annotationes pathologico-practicae in hydrophobiam, eiusque curationem, cum Regia Societate Scientiarum Londinenſi a Medicis Anglis communicatam,* exhibet Cl. D. G. THERESIVS. Cum hydrophobia vera et iam praeſens ita ſe habeat, ut aegrotans prorſus fere omnem medicinam vel reiiciat vel deglutire nequeat, magnam ideo, ſi quis curationem huius promittat, aut feciſſe dicat, vanitatem eſſe, Cl. Auctor pluribus oſtendit. Aſt praecaueri hydrophobiam poſſe, affirmat. Inter alia igitur, quae huc ſpectant, Nux vomica atque Amygdalae amarae commendantur, quarum uſum in hominibus, a cane rabido demorſis Cl. Auctor expertus laudat. Notabile autem eſt, quod nux vomica et amygdalae amarae, quae canibus pluribusque animalibus venena ſunt, hominibus demorſis, in praecauenda hydrophobia veram medicinam largiri videantur. Cl. Auctorem medicamenti heroici doſin non indicaſſe, miramur.

p. 183. 43) *Dentium dolor epiſpaſtico cedens* annotatur a Cl. C. P. GESNERO. Sinapi ſemen cum pauxillo aceti tritum, cumque fermento panis in placentam formatum, brachio lateris affecti applicatur, et tamdiu ibi relinquitur, donec ceſſarit dolor. Notatu etiam dignum eſt, quod idem remedium errore brachio lateris oppoſiti applicatum, dolores in dentibus lateris huius ſani excitauerit, qui autem ceſſarunt, ſtatim ac brachio affecti lateris impoſitum fuerit. Ve-

rum

rum auxilium iſthoc remedium, pluries tentatum, in doloribus a dente carioſo dediſſe Cl. Auctoris experientia confirmat.

44) *Lingua tumens ſuppurata, cum enormi ſaliuae fluxu* obſeruata fuit ab EODEM. Intra nycthimeron nempe plus quam duodecim ſaliuae librae, morbo eo praeſente, effluxerunt, ipſeque aegrotans poſthac ſanatus narrauit, ſe ab inſecto quodam punctum fuiſſe, quod confirmaſſe videtur etiam chirurgus, quippe qui aculeum in pure ſe reperiſſe arbitratus eſt. p. 185.

45) *Delirium pertinax poſt febrim acutam* annotauit IDEM. Delirium hoc contra omnia remedia rebelle venae ſectione demum in fronte ſuſcepta ceſſaſſe dicitur. p. 186.

46) Ill. C. A. DE BERGEN non nulla *de imagine unius eiusdemque obiecti, a diuerſis hominibus in eadem diſtantia ſub diuerſa magnitudine viſa* collegit, variasque inde quaeſtiones formauit tandemque aſſeruit ab eo, qui cuncta obiecta videt maiora ſimulque diſtincta, melius quoque res minutiſſimas in his obiectis occurrentes diſcerni poſſe. p. 187.

47) *De maculis et faculis a ſolis aſpectu in oculo reſiduis* IDEM non nulla exponens ex opticis demonſtrauit, quaenam huius phaenomeni ſit cauſa, et unde fiat, cur ii, qui lucubrationibus opticisque experimentis viſum debilitarunt, et maculas diuturnas et illuminantium obiectorum ad tempus retineant imagines. p. 188.

48) IDEM *de effectu deleterio, cauſaque ſphaericitatis globulorum minorum plumbeorum, vulgo Schrodt,* non nulla meditatus eſt. Ex praeparatione horum globulorum deleterium eorum effectum, ſi degluti- p. 191.

untur, Cl. Auctor oſtendit. Parantur enim ex liquato plumbo, cui auripigmentum inſpergitur, quo autem facto arſenicale hoc concretum, plumbo adhaerens, in canalem alimentorum deductum vim ſuam deleteriam exercet. Cur autem plumbum fuſum, quod per ſe in aquam proiectum figuram longam aſſumit, auripigmenti puluere obductum ſphaericam acquirat figuram, ex legibus attractionis Cl. Auctor demonſtrat.

p. 195. 49) *Camphorae in aqua ſalubilis quaedam phaenomena* annotauit IDEM. Camphora in puluerem redacta et aquae commiſſa, aliquem huius particularum motum gyratorium vidit Cl. Auctor, experimenta dein ulterius inſtituens inuenit, camphorae particulas in aqua frigida non ſolum fuiſſe motas, ſed non nullas etiam diſparuiſſe. Nullum autem motum particularum harum in aqua calida obſeruans, in frigidiſſima contra aqua vehementiſſimum earundem motum fieri notat. Quod autem camphorae ſolutionem in aqua concernit, Cl. Auctor oculo armato ex particula camphorae ſeſe mouente tenuiſſimam effluere vidit materiem, cuius effluxus tamdiu continuauit, uſque dum motus iſte ceſſarit. Reperit quidem particulam ſuperſtitem, ſed aquam ſapore et odore camphorae imbutam ſentiens, eam inde tanquam exuuias conſiderauit.

p. 198. 50) *De vitiligine, et quidem illa ſpecie, quae a* CELSO *ἡ λεύκη dicitur*, obſeruationem communicauit Cl. I. W. F. BOENNEKEN. Huius mali duas eſſe ſpecies, Cl. Auctor demonſtrat, unam, quae *ἄλφος* atque alteram, quae *λεύκη* nuncupatur. In priori cutis colorem album, ſubaſperum, nec continuum, ita, ut quaedam quaſi guttae diſperſae appareant, habet. Poſteriorem vero ſpeciem, alpho quidem ſimilem, ſed magis albidam, altiusque deſcendentem cum pilis albis

albis lanugini ſimilibus Cl. Auctor ipſe obſeruauit, atque iſtud malum, quod interdum pertinax eſſe dicitur, penitus exſtirpauit.

51) *Exulcerationem tonſillarum pertinacem* cunctaque remedia eludentem, fortioribus tandem abſtergentibus crebrisque alui ſubductionibus curauit IDEM. p. 202.

52) *Carcinoma faucium, velum palatinum, tonſillas atque uuulam obſidens cum plenaria huius conſumtione* eadem fere methodo, qua praecedens malum, curare tentauit atque etiam praeſtitit: In primis pilulas ex Panacea Edimburgenſi * confectas extollit, hasque in ſanando iſto malo palmam reliquis praeripuiſſe, IDEM affirmat. p. 205.

53) *Oculi vulnus, cum grauiori contuſione, lethale* annotauit Cl. I. S. ALBRECHT. Hominis cuiusdam oculus ſiniſter exploſa ex ſclopeto charta compacta percuſſus fuit, quo facto ſtatim in terram antrorſum cadens ſine ſenſu per aliquod tempus iacuit, poſt modum ad ſe rediens et a non nullis domum reductus, grauioribus ſymptomatibus affectus, die nono obiit. In cadauere partibus omnibus diſquiſitis, praeter oculum laeſum nihil praeternaturale repertum fuit. Oculus autem laeſus ita ſe habuit. Tunica cornea perforata fuit, omnesque humores et aqueus et vitreus, nec non cryſtallina etiam lens defecerunt, tunicaque choroidea ſanguine turgida apparuit. Lethalem hanc contuſionem dixit Cl Auctor, utrum autem ad vulnera abſolute lethalia pertineat, pronunciare non auſus fuit, interim tamen notauit, ob plures hic concurrentes neruos oculum laeſum grauiſſimis affici p. 209.

 ſympto-

* Eſt vero haec mercurius dulcis cum ſpiritu vini digeſtus, iterumque exſiccatus. vid. Pharmacop. Colleg. Reg. Medic. Edimburg. 1744. 8. pag. 180.

ſymptomatibus, inter quae ſpaſmus oris, etiam hic obſeruatus, prae reliquis laeſos comitari ſolet oculos.

p.214. 54) *Omphalocelotomia a chirurgo imperito temerario auſu ſuſcepta in duobus infantibus, germanis eiusdem parentis liberis, lethali ſucceſſu funeſta* annotatur ab EODEM. Duobus infantibus, uni duorum annorum, alteri octodecim hebdomadum, partem umbilici prominentem homo quidam, chirurgum ſeſe profeſſus, ſtatim, ac acceſſit, reſecat, quo facto tenuia in utrisque prolabuntur inteſtina, quae videns, faſcia laxe circumducta, aufugit et ex urbe exceſſit. Rationales dein chirurgi et medici accedentes, omni opera adhibita inteſtina ob perpetuos vagitus reponere non valuerunt. Paulo poſt uterque periit. Haec itaque Cl. Auctor notans, omphalocelotomiam nec in adultis multoque minus in infantibus ſuſcipiendam eſſe monet.

p.219. 55) *Caſus aliquot rariores rabiei caninae indeque ortae hydrophobiae* commemorat Cl. C. F. KÜHN. Praeter unam foeminam, aegrotantes omnes, quorum hic meminit Cl. Auctor, diris horrendisque ſymptomatibus cruciatos, morbo tandem ſuccubuiſſe legimus. Quod autem ſuperſtitem illam concernit foeminam, iſta medicum, ante quam hydrophobia accederet, conſuluit, atque unguento digeſtiuo cum theriaca et mercurio praecipitato rubro vulneribus applicato, perque tres dies turpethi mineralis granis quatuor aſſumtis, ſeruata fuit. Tandem et animaduertimus, ab eodem cane, qui foeminam vix nominatam momorderat, decem vaccas demorſas, hincque in furorem actas, trucidatas fuiſſe. Licet autem nullum hactenus certum proſtet hydrophobiae remedium, de eo tamen inueniendo nondum prorſus deſperans Cl. Auctor, a mercurialibus multum ſperandum eſſe, arbitratur.

56) *Puel-*

56) *Puellae mirandae corpulentiae* mentionem fa- p.225.
cit IDEM. Puella haec, tertium duntaxat annum agens plus quam centum librarum pondus aequauit, et anno 1753. hic Lipſiae obiit *.

57) IDEM *de electricitate medicamentoſa* non nulla p. 226.
annotauit, virique, cum quo ob artuum tremorem electrica experimenta inſtituit, membrum affectum maculis rubris obſeſſum, madore perfuſum, muſculosque machina electrica tactos inuoluntarie conuulſos, virum vero iſta affectione non liberatum fuiſſe, obſeruauit. Curati dein hominis exemplum proferens, iſtud artificium loco rubefacientis medicamenti quidem admittendum, minime vero omnibus de eo factis iactationibus fidem adhibendam eſſe, monet.

58) *Mercurii ſaliuationem non cientis praeparatio* p. 228.
nem addidit Cl. I. C. IACOBI. Cum multi iam de mercurio talem virtutem poſſidente ſcripſerint, ſuam quoque illius mercurii praeparationem Cl. Auctor communicat. Recipit nimirum aliquot mercurii currentis libras, has cum aqua per tres dies continuo terit, quo facto puluerem nigrum acquirit, cuius partem unam cum decem partibus hypnotici mercurialis remedii, in Appendice huius Tomi deſcripti ſenſim coniungit, atque ita praeparatum adultis ad ſcrupulum dimidium exhibet.

59) *Nouum remedium ulcerum cancroſorum et can-* p. 233.
cri aperti deſcribit IDEM. Iſtud nimirum remedium antimoniale a BASILIO VALENTINO deſcriptum et a KERKRINGIO in cancro iam laudatum Cl. Auctor quodam modo mutatum ſiſtit. Recipit nempe ſubtiliſſimum vitri antimonii puluerem, quem cum oleo

 vitrioli

* Hanc deſcripſit Cl. KAESTNERVS in promptuarii Hamburgenſis Vol. XI. p. 356. vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 434.

vitrioli optimo in pultis conſiſtentiam redigit, huic poſt modum acetum vini ope frigoris concentratum ad trium digitorum eminentiam adfundit, digeſtione dein peracta ex hoc liquore acetum lithargyrii praeparat, tunc autem cum aurato ſulphure antimonii primae et ſecundae praecipitationis una cum oleo papaueris recenter expreſſo coctione balſamum ſulphuris conficit, huncque a remanentia ſeparatum cum emplaſtro diapomphol. miſcet. Tandem ex hoc balſamo ſulphuris aurati antimonii et ſupra nominato aceto lithargyrii unguentum parat, quod cancro aperto applicuit, eumque penitus exſtirpauit.

p. 237. 60) *De tutiſſima paroxyſmorum febrilium abbreuiatione* non nulla proponit IDEM. Cum ob nimiam febrium durationem vires perſaepe deiiciantur, atque aegrotantes magnam omnino faciant iacturam, de abbreuiatione earum Cl. Auctor ideo cogitans, remediumque quaerens, in ſale ammoniaco fauſto cum euentu tale reperit. Drachmam unam huius ſalis pro doſi tribus vicibus de die exhibens, febres feliciſſime profligatas fuiſſe perhibet, ideoque etiam atque etiam commendat. At vero, cum et febrium continuarum quaedam ſpecies ſit, quae genium intermittentium ſeruant, quaeque tanquam periculoſae conſiderantur, harum etiam abbreuiationem atque felicem propulſionem in cortice Caſcarillae, eum vel decoquendo vel infundendo, inuenit.

p. 241. 61) *De ſingulari concreto oſſeo per anum eiecto mentionem* facit Cl. G. G. MÜLLER. Vir quidam per quatuordecim dies inſigni alui obſtructione laborans, durumque nec ſummis etiam nixibus cedens, obſtaculum in inteſtino recto ſentit, multisque remediis domeſticis fruſtra uſurpatis ad Cl. Auctorem accedit, eumque de remouendo hoc obſtaculo implorat. Oleoſis igitur copioſis iuſculisque pinguibus interne ſumtis,

tis, enematibusque et aliis etiam externis in uſum vocatis remediis, tandem concretum durum, oſſeum, notabilis magnitudinis, ſummis cum doloribus excernit, ſimul autem cunctis illis afflictionibus, quibus per decem annos vexatus fuit, liberatur. Concretum hoc vere oſſeum portionibus tunicae villoſae et nerueae in dyſenteria, qua ante decem annos laborauit aeger, abraſis ortum debere, atque in inteſtino coeco per tantum tempus haeſiſſe, ex ſymptomatibus omnibusque circumſtantiis collectis Cl. Auctor non absque ratione demonſtrat. Additae icones concretum hoc delineatum ſiſtunt.

62) *De infante recens nato, ex palati defectu, mortuo* mentionem facit Cl. H. N. CRANTZ. Ob totius palati oſſei defectum, mollisque palati malam conſtitutionem infans in ſugendo lacte et deglutiendis cibis valde impeditus ſenſim ſenſimque contabuit et elapſis ſex a partu ſeptimanis tandem periit. Anatomice praeparatum caput Cl. Auctor ſeruat. p. 259.

63) *Herniam abdominalem, ab exeſo per gangraenoſum anthracem abdomine natam* deſcribit IDEM. In infantis umbilico natum fuit tuberculum, quod ulterius ſerpens omnia abdominis integumenta et muſculos exeſit, inde abdomen in tumorem eleuatum herniam exhibuit. Infantis mortui corpore diſſecto in cauitate herniae peritonaeum, inteſtina tenuia colon et anteriorem hepatis partem repererunt. p. 262.

64) *Raram et ingentem muſculorum pectoris eroſionem feliciter tandem ſanatam* commemorat IDEM. Nato prius in papilla mammae ſiniſtrae tuberculo tota infantis mamma, cutis omnisque panniculus adipoſus muſculorum abdominalium conſumuntur. Remediis applicatis poſt aliquot tempus omnes hae partes nudae regeneratis integumentis iterum teguntur, p. 264.

tur, ita, ut ne minimum exeſae partis remanſerit veſtigium.

p. 266. 65) *Haemorrhagiam uteri grauidi, a praeternaturali ſitu placentae, parte quadam ab utero ſolutae, ortam, matri et proli funeſtam* annotauit Cl. F. L. C. CROPPIVS. Grauidae poſt mortem corpore diſſecto, uteri placentam non loco conſueto, ſed parieti poſteriori uteri interno et orificio eiusdem affixam, atque praeternaturalem etiam infantis ſitum obſeruarunt. Huius enim dorſum uteri fundum, atque caput dextum, pedes vero ſiniſtrum tetigerunt latus. Notandum autem eſt, quod foemina et infans ſeruari potuiſſent, niſi obſtetrix, inſtantem partum explorans, placentam uteri orificio infixam pro firmiter clauſo orificio habuiſſet, unde haemorrhagia oborta et ad mortam uſque durans matrem ac infantem vita priuauit.

p. 271. 66) *Miaſma venereum per ſaliuam et ſudorem mire diſſeminatum et propagatum feliciterque iterum ſublatum* obſeruauit IDEM. Triſtis haec hiſtoria docet, quomodo homines, caſtam et integram vitam degentes, morbo hoc contaminoſo infici poſſint. Quinque enim perſonae, absque ulla culpa lue iſta laborarunt, ita tamen, ut ab una, quae miaſma hoc, mammam ſugendo attraxit, quatuor infantes partim per oſcula partim per lectum, in quo puella ſana cum ſorore ſua innocenter infecta cubuit, foediſſimum hunc morbum conceperint. Remediis rite adhibitis omnium morbus feliciter profligatus eſt. Notabile autem videtur, quod unus filius, qui tamen cum infectis his perſonis commercium quotidie habuit, ab omni labe immunis manſerit, cui vero, ad praecauendam luis euolutionem, purgationes mercuriales Cl. Auctor exhibuit.

67) *De*

67) *De ſpecifico quodam antepileptico non nulla* addit Cl. I. F. WEISMANN Sen. Remedium hoc arte chemica productum ſequenti modo praeparatur: Sumitur vitrioli cyprini quaedam portio, aqua pluuiali ſoluitur, poſt modum filtratur, liquori filtrato ſpiritus ſalis ammoniaci ad ſaturationis punctum adfunditur, quiete dein paululum conceſſa, additur ſpiritus vini rectificatiſſimus, unde liquore turbido prius facto elegantes cryſtalli ſapphirinae praecipitantur, quae ſeparatae vitro bene clauſo aſſeruantur, et in profliganda epilepſia mira praeſtitiſſe dicuntur. p. 276.

68) *De morbis neruinis eorumque remediis* non nulla proponit Cl. C. F. IOERDENS. Neruorum fluidum ceu ſubtiliſſimum Cl. Auctor conſiderans, morbos igitur, motum iſtius vel imminuentes aut ſiſtentes vel et accelerantes, remediis actiuis, volatilibus particulis praeditis, et ſubtilitati huius fluidi ſimilibus, e. g. ſalibus volatilibus, C C. Viperarum, ſpiritu C. C. Camphora cet. curandos eſſe, expertus praecipit. p. 280.

69) Breuem *Pelicani hiſtoriam* tradit, Ill. I. B. de FISCHER. Auis haec, quae ad anſerinum genus pertinet, et Pelecanus ſeu et Onocrotalus nuncupatur, ita deſcribitur: *Cygnum,* inquit Ill. Auctor, *corpore ſuperat, non vero altitudine, nec collum habet adeo arcuatum, roſtrum autem longum, in extremitate acutum et uncinatum, et ſub illo ſaccum plicatilem, ingluuiem nempe, quae magnam quantitatem piſcium, quibus veſcitur, capit.* Ingluuies haec adeo ampla eſt, ut eius initium facile caput hominis capere queat. Colore gryſeo, fere aſinino, in primis caput eius gaudet. Reperitur circa Pontum Euxinum atque flumina in eum decurrentia. Pro nutriendis pullis pectus findere iſtam auem tradit vetuſtas. Cuius fabulae originem ſequentibus niti Ill. Auctor coniicit. Ro- p. 284.

ſtrum videlicet iſta auis plerumque pectori contiguum tenet, eiusque pulli ex eo cibum capiunt, inde eos ex pectore fiſſo nutriri crediderunt veteres. Tabula addita huius auis delineationem ex WILLVGBEII ornithologia deſumtam repraeſentat, de qua Ill. Auctor notat, Pelecanum roſtri apicem ſemper pectori propius, quam quidem in hac figura deprehenditur, admotam tenere.

p. 289. 70) *Singularis et praeternaturalis inteſtini coli conformatio, una cum liene ingentis magnitudinis et ponderis, cauſa tumoris abdominis, grauiditatem per nouem menſes mentientis, poſt mortem ſectione cadaueris detecta* deſcribitur a Cl. I. C. REINMANN. Corpore aperto in medio abdominis deorſum verſus umbilicum deſcendiſſe inteſtinum colon, idque in medio valde ampliatum, atque breui poſt triplo minus et contractius fuiſſe, obſeruauit. Cauſam huius deſcenſus et magnitudinis lieni, ſplenem bouis magnitudine atque pondere libras quatuor aequanti, Cl. Auctor adſcribit, ipſum vero praeternaturalem lienis ſtatum ex febre tertiana inconſiderate profligata ortum eſſe aſſerit, atque inteſtini coli delineationem addit.

p. 294. 71) *Proceſſus vermiformis, ſex pollicum tranſuerſorum longitudinem atque unius craſſitiem ſuperantis, in ſenili corpore reperti* meminit IDEM. Huius praeternaturalis proceſſus vermiformis tunica exterior inflammata fuit, qua cum ſequentibus diſſecta materiam viſcidam, oui vitello quoad colorem et conſiſtentiam ſimilem, nullo odore aduerſo praeditam, in cauo huius proceſſus repererunt. Notandum eſt, virum, in quo hicce proceſſus repertus fuit, ante obitum per aliquot annos in dextro hypochondrio de dolore colico, unum ſemper locum occupante, conqueſtum fuiſſe.

72) *In-*

72) *Infanticidium violentum ex oſſibus capitis per integrum annum ſub terra defoſſis, diiudicatum et declaratum* fuit ab EODEM. Ex decenti oſſium magnitudine, eorumque firma compage, atque ex unguibus perfectis et capillis, foetum viuum editum fuiſſe Cl. Auctor collegit, atque diſquiſitis oſſibus, molles enim partes iam computruerunt omnes, maculam fuſcam atro rubentem in oſſe bregmatis huiusque fracturam reperiens pronunciauit, infantem manu trucidatum fuiſſe. Ipſius foeminae occidentis confeſſio Cl. Auctoris ſententiam confirmauit. p. 297.

73) Ab EODEM etiam *ſingularis renum figura in pueri corpore reperta* fuit, ita, ut non ſolum maiores, verum etiam renibus bouillis ſimiles in conſpectum venerint. Matrem, lanionis mulierem, marito, dum bouem mactauit, adſtitiſſe, renesque exemtos accurate contemplatam fuiſſe Cl. Auctor perhibet, et ſimul horum renum delineationem exhibet. p. 300.

74) IDEM *canalem arterioſum ſiniſtrae ſubclauiae inſertum* in corpore hominis catarrho ſuffocatiuo extincti vidit. p. 302.

75) Ab EODEM *hepar per totum abdomen tranſuerſim ſe extendens* obſeruatum fuit. Ingens illud hepar, ventriculum integrum tegens, et in hypochondrium ſiniſtrum ſeſe extendens, colorem rubrum, in plumbeum pauloque flauum vergentem, habuit. Foemina, in qua viſcus hoc viſum fuit, lochiorum ſuppreſſione menſiumque obſtructione laborauit. p. 303.

76) In eadem foemina *ventriculi malam conformationem, thoracis* (vulgo, Schnürbruſt) *abuſu inductam* IDEM obſeruauit. Margo enim anterior extremitatis dextrae introrſum fuit incuruatus, ventriculique p. 304.

capacitas

capacitas ſumme coarctata. Ventriculum hunc repraeſentat addita icon.

p. 305. 77) *Monſtroſum funiculum umbilicalem in foetu trium menſium per abortum excluſo* vidit Cl. I. P. BVRGGRAV. Funiculus iſte ad modum tenuis vagina caruit, ita tamen, ut vaſa diſtingui haud potuerint. Idem hic funiculus fine ſuo non placentae uterinae, ſed foetus thoraci in dextro latere adhaeſit, ab hoc autem progrediens, altero ſuo extremo liber, placentae demum inſertus fuit.

p. 309. 78) *Cutem capitis totius capillatam adoleſcenti euulſam feliciterque reſtitutam* commemorat IDEM. Rota enim dentata operis hydraulici adoleſcentis, quindecim annorum, comas in faſciculum contortas arripit, quo ſentito iſti, ſtatim trabem fortiſſime amplectenti, omnis capillata cutis auellitur, ita, ut in parte bregmatis dextri anteriore et ſuperiore cranium inſimul denudatum fuerit. Curae chirurgi commiſſus adoleſcens reſtitutus fuit integrae ſanitati.

p. 310. 79) *Hiſtoriam tranſmutati hydrargyri in aurum* communicat IDEM. A mercatore quodam accepit, Gallum quendam duabus unciis hydrargyri in crucibulo addidiſſe puluerem croco martis ſimilem, trium aſſium, ſuperadditis cineribus clauellatis ſiccis, omnibus candefactis ſtrepitus aquae bullientis perceptus fuit, ſub quo 375 grana auri ex duabus hydrargyri unciis formati ſunt.

p. 313. 80) *Vulnus pugione pectori inflictum lethale, ſitusque viſcerum in huius et abdominis cauitate ſingularis poſtea detectus* annotatur a Cl. R. DE VERMALE. Vulnus hoc dextro thoracis lateri, eo in loco, ubi papilla eſt, inflictum ad modum anguſtum fuit, vulneratique elapſis quinque horis mortui corpus diſſe-

ctum

ctum omnia viſcera abdominis modo inuerſo exhibuit, ita, ut cuncta dextri lateris in ſiniſtro huiusque in dextro viſa fuerint. Aperto thoracis cauo cor tranſuerſim, diaphragmati incumbens, eiusque baſis ſiniſtrum, apex vero dextrum latus reſpiciens, atque omnia modo pariter inuerſo in conſpectum venerint. Cor utrinque perforatum fuit, licet dextrum latus vulnus acceperit, at ſitus tamen praeternaturalis hoc permiſiſſe videtur. Mutationem hanc viſcerum non adeo raram eſſe, atque talem a natura vel eſſe congenitam, vel etiam a morbis interdum productam Cl. Auctor ſtatuit. Hac tandem occaſione caſus inſimul meminit, ubi cuiusdam thorax absque ullius viſceris laeſione gladio perfoſſus fuit, ita tamen, ut morbo ſuperato ſanus et absque ulla labe ſuperſtes viſus fuerit.

81) *Ex ſimplici contuſione mors* obſeruata fuit ab p. 320. EODEM. Contra hominis cuiusdam abdomen, paulo infra umbilicum a latere lineae albae calcitrauit equus. Praeter ſugillationem nihil in eo loco viſum fuit. Aſt ſummi ſtatim dolores colici atque horripilationes iſtum corripuerunt. Cunctis tandem remediis incaſſum adhibitis, horisque quadraginta octo elapſis obiit. In cadauere aperto omne abdominis cauum materia quadam albicante, odoris aciduli repletum, et circa ilei principium foramen quoddam oblongum et fiſtuloſum, cuius ora calloſa fuere, reperit Cl. Auctor: Poſt modum in peritonaeo veſtigium ambitus calloſi, cui exacte reſpondit foramen ilei, obſeruauit. Ex his igitur inteſtinum hoc, morbo quondam inflammatorio laborans, cum peritonaeo concreuiſſe, et occaſione huius plagae nunc abruptum fuiſſe, hancque laeſionem, ſi ab homine quodam fuiſſet illata, mortis quidem dediſſe cauſam, mortis autem culpam illi imputandam non fuiſſe, Cl. Auctor ſtatuit.

82) *Vteri*

p. 325. 82) *Vteri haemorrhagia enormis, praeceps exitium minitans, ſanata* fuit a Cl. B. L. TRALLES. Foeminae, quae abortiuerat, aliquot diebus elapſis, ob grauem iracundiam commotae, ſtatim ſanguis tanto impetu ex utero profluit, ut grauiſſimis lipothymiis affecta, mortis fere imaginem repraeſentauerit. Omnia igitur ſpirituoſa exulari iubens Cl. Auctor, frictionibus continuoque ad nares admoto aceto, tandem ex linteo confeſtim formatum peſſum, ſoluto vitrioli marte humectatum, in vaginam intromittendum curauit. Quo facto, ſumma cum admiratione opem mox experiens, foemina ad ſe rediit et plenarie reſtituta fuit. Monet autem Cl. Auctor, eius modi remedium tunc demum adhibendum eſſe, ubi nec fruſta placentae uterinae, nec concrementa polypoſa aut grumi ſanguinis in utero haererent, ſed ſanguis ob dilatata tantum vaſorum oſtiola prorumperet.

p. 336. 83) *Hiſtoriam anginae apoſtematodes anno* 1755. *ab aeſtate ad finem autumni in Rampizenſi praefectura, Neo-Marchiae tractu, prope Francofurtum ad Viadrum graſſantis* tradit Ill. C. A. DE BERGEN. Quantum ex hiſtoria morbi, Ill. Auctori communicata, videre licet, morbum hunc ex impuritate aquarum, ob tempeſtatem diu pluuioſam, hincque ſuccedentem inundationem et ſtagnationem facta ortum, atque eum infantibus in primis lethalem fuiſſe, legimus. Hiſtoriae huius Auctor, aquam nudis oculis inſectis ſcatentem videns, microſcopio dein luſtrans, non ſolum vermiculum anguilliformem, ſed et longe minus inſectum, pulici aquatico ſimile obſeruauit.

p. 339. 84) *De lapidis porcini famoſi inertia, impoſtura ac vi imaginaria meditationes* addit Cl. I. D. SCHLICHTING. Experientia confirmatus Cl. Auctor exempla profert, ubi verus lapis porcinus ne tantillum praeſtitit,

ſtitit, unde eum pro remedio prorſus inerti habendum eſſe colligit.

85) *Hymen prorſus imperuium, menſtruum fluxum diu retardans* IDEM commemorat. Superueniente demum tumore, e genitalibus protuberante atque inciſo, ſanguis ad tres libras effluxit; foemina autem eo dein diſpoſita fuit, ut regularem menſium fuerit experta fluxum. p. 343.

86) Ab EODEM *hymenis coalitus inſolitus, diu etiam poſt operationem factam recurrens* annotatur. Foeminae nimirum, ob hymen clauſum, maritum admittere non valenti, iſtud diſcinditur, quo facto paulo poſt grauida foetum tandem edidit. Elapſis aliquot menſibus idem obſtaculum ſentienti denuo diſcinditur hymen, a quo autem tempore ſalua dein manſit. p. 344.

87) Ab EODEM *tumor abdominis ſtupendus in grauida, hydropem aſciten mentiens, partu feliciter ſublatus* annotatur. Remediis compluribus fruſtra tentatis, foeminae, venae ſectione praemiſſa, ſponte puluerem radicis ialappae ſumenti, indeque crebras alui deiectiones experienti, ingens copia lymphae ad libras viginti e genitalibus profluxit. Ventre dein detumeſcente, tertio die puellam ſanam edidit, atque ſanitati reſtituta fuit. p. 345.

88) *Maniae chronicae et rebellis, ptyaliſmo ſublatae* mentionem facit IDEM. Remediis, etiam audacter adhibitis, ſed cunctis incaſſum tentatis, maniaci caput radi iubet medicus, poſtmodum raſo capiti unguentum mercuriale bis de die affricandum idem curat. Saliuatione igitur excitata, perque aliquot dies continuante, maniacus reſipiſcit, atque priſtino rationis uſu fruitur. p. 346.

89) De-

p. 348. 89) *Deſcriptionem globi igniti Wratislauiae obſeruati* exhibet Cl. I. E. STIEF. Igneus iſte globus d. 9 Febr. anno 1750. tempore nocturno, coeloque ſereno obſeruatus, ſenſim ſenſimque deſcendens, omnia, idque eo magis, quo magis deſcendit, illuminauit, poſtmodum in Oderam cecidit, tribusque ſe inuicem excipientibus fragoribus, tonitru ſimilibus diſſiluit.

p. 355. 90) *Dolor acutus, vagus, ſub deglutitione, citra cauſam manifeſtam in pectore ſeſe exſerens, feliciter tandem ſublatus* eſt ab EODEM. Emplaſtrum de meliloto cum diaphoretico MYNSICHTI coniunctum et ſcrobiculo cordis impoſitum, praeter alia interne ſumta remedia, haud leuem opem ad tollendum dolorem praeſtitiſſe videtur.

p. 360. 91) *Vlcera glandis venerea, cum tumore magno inflammatorio et phimoſi enormi coniuncta, feliciter ſanata* fuerunt ab EODEM. Notandum hic eſt, quod aegrotans, vera lue venerea infectus, per totum morbi decurſum uvulam et epiglottidem immunes retinuerit, atque uſurpato mercurio absque ſaliuatione, quam imminentem omni ſemper ſtudio Cl. Auctor auertit, curatus fuerit. Praeter haec omnia iſta mala, quae partes genitales infeſtarunt, ſolis tantum remediis et absque ſcalpello ſublata fuiſſe notamus.

p. 366. 92) *De permagno ſteatomate abdominis XL fere libras aequante*, mentionem facit Cl. G. C. SPRINGSFELD. Militis cuiusdam abdomen ultra modum diſtentum ac tumidum apparuit, ita, ut filum duarum cum dimidia ulnarum iſtud comprehendere fere non potuerit. Mortuo hoc homine atque diſſecto, ſub umbilico et in hypochondriis corpus magnum ex luteo albicans, omne fere abdominis cauum occupans, atque inteſtina una cum omento verſus ſuperiora dimouens

mouens reperiit. Duas quaſi veſicas bouinas, flatu diſtentas, parte laterali compreſſas, et inter ſe inuicem cohaerentes, figura huius corporis aequauit. Subſtantia eius ſeuo ſimilis fuit, hisque corporibus plura minora, partim auellanae, partim iuglandis, nucis magnitudinem aequantia, inhaeſerunt. Sede horum corporum accurate examinata, iſthaec inter duplicaturam meſenterii haerere obſeruantur, unde duas meſenterii glandulas obſtructas iſtis corporibus fundamentum poſuiſſe Cl. Auctor colligit.

93) *Deſcriptionem cancri marini, vulgo Eremitae,* p. 375. exhibet Cl. F. S. MORGENSTERN. Cancer iſte maris incolis adnumeratus, concham, quod notabile eſt, inhabitat; ex cuius apertura extrema chelarum membra pedumue quatuor anteriorum maiorum propendent. Tabula addita delineationem huius cancri cum habitaculo ſiſtit.

94) *De ſeri deſtillatione ex umbilico* non nulla p. 379. IDEM annotauit. Inter alia mala, quae ſibi ex inconſiderate profligata febre quartana contraxerat aliquis, de exquiſito etiam umbilici dolore conqueſtus fuit, ad quem leuandum, aſſerem querneum ſiccum et calefactum nudo ventri impoſuit, quo facto, ſerum paulo poſt ex umbilico exiit, ita, ut patula umbilici apertura conſpici potuerit. Remediis adhibitis omnia illa mala ceſſarunt, ipſumque etiam umbilici vulnus conſolidatum eſt.

95) *Haematocelen* obſeruauit Cl. C. W. SACHSIVS. p. 382. Cum nulla in tumore ſcroti, monſtroſae magnitudinis, ſigna prolapſorum inteſtinorum animaduerterint medentes, atque remedia fruſtra applicuerint, operationem hinc inſtrumento, *Trois-quarts* dicto, inſtituerunt, quo facto ſanguis craſſus, nigricans, ad integram menſuram effluxit, ſtatimque

tumor ſubſedit. Vulnere rite tractato, feliciter reſtitutus fuit aegrotans.

p. 384. 96) Ab EODEM *hydrops anaſarca, ex corrupta febre quartana, in grauida, cum ſubſecuto ſphacelo circa genitalia, cortice peruuiano ſublatus* eſt. Notatu dignum eſt, quod foemina, malis hiſce durantibus, partum licet imbecillum, aſt viuum tamen, feliciter et absque dolore ediderit, atque elapſis aliquot menſibus priſtinam ſanitatem recuperauerit.

p. 386. 97) *Maculae ſcorbuticae ſingularis indolis in vetula et puero* ab EODEM annotantur. Maculae in foemina obſeruatae, colore roſeo praeditae, undiquaque ſeſe diffuderunt, quarum non nullae ſanguinem purum plorarunt. Eae autem, quae in puero apparuere, iſtis quidem ſimiles fuerunt, ſanguis autem non exiit. Vtrisque aegrotantibus maxime profuerunt antiſcorbutica.

p. 388. 98) IDEM *febrem continuam in quintanam intermittentem mutatam* digeſtiuis, laxantibus ſtomachicis diapnoicis et cortice peruuiano curauit.

p. 389. 99) Ab EODEM denique *catalepſis, triduana febri continuae ſuperueniens* annotatur. Die nimirum febris undecimo acceſſit catalepſis per tres dies durans omnibusque remediis reſiſtens; tertio die elapſo ſponte ad ſe rediit foemina et febris, quae per hocce tempus ſopita quaſi fuit, denuo rediens et ad viceſimum octauum uſque diem durans tandem debellata fuit.

p. 391. 100) *Sectio anatomica, poſt fata ſuprema Eminentiſſ. ac Celſiſſ. Principis, Domini Franciſci Georgii, Archiepiſcopi et Electoris Treuirenſis, reliqua. ann. MDCCLVI. d. XVIII. Ianuar. pie defuncti, inſtituta, iuncta*

iunƈta ſimul praegreſſorum morborum, *hiſtoria* literis conſignata a Cl. S. E. E. COHAVSEN. Principis huius, febre lenta defunƈti, corpore, anatomice diſſeƈto, hinc et illinc in primis in inteſtinis et pulmonibus diſpoſitio gangraenoſo-putredinoſa reperta, hisque omnibus rite diſquiſitis, corpus ad condiendum praeparatum dein fuit. Vita huius Principis prolixe deſcripta, morbisque, quibus afflictus fuit, inſimul notatis, tandem formulae apponuntur, quibus praeparatio remediorum ad condiendum corpus uſurpatorum continetur.

101) *Obſeruationem Cedri montis Libani characteres cum illis Laricis, Abietis Pinique comparatos, ſiſtentem* communicauit Ill. C. I. TREW. Quo in deſignandis coniferarum harum arborum charaƈteribus botanicis certi quid conſtituere potuerit, Laricem ea propter, Abietem et Pinum, examinauit, quo facto, ſequentia annotandi occaſionem naƈtus eſt: Omnium nimirum diƈtarum ſpecierum aeque ac Cedri iulos et conos in eadem ſtirpe, locis tamen diſtinƈtis excludi, omniumque iulos ſeu amenta eadem gaudere figura et ſtruƈtura reperit. Omnium dein conos ex ſquamis componi, uni axi per gradus affixis, et ſingularum binos ſcrobiculos ad unguem earum ſuperficiei ſuperiori ſeu interiori impreſſos fouere duo ſemina, itidem reperit, quoad coni vero figuram differentiam aliquam obſeruauit. Tandem et charaƈteris meminit, quem notatu dignum eſſe dicit. Cedri nimirum et Pini ſquamam ad ſingulos flores femineos ſeu ſeminum embryones binos ſimplicem tantum eſſe, Laricis vero atque Abietis duplicem, alteram internam et ampliorem, ſemina immediate ambientem ac tegentem; alteram externam et anguſtiorem, interiori proxime adſtantem annotauit. Charaƈteribus hiſce diſignatis, uberiorem Cedri hiſtoriam ex relationibus itinerariis tradit, auƈtorumque in hac p. 409.

re differentias, inque nominibus huius arboris variantes notat. Integra arbor Cedri atque partes fructificationis cedri laricis et abietis, adiectis iconibus, illuſtrantur.

p. 437. 102) *De femellae per marem foecundatione in plantis, Napaeae exemplo cunfirmata obſeruationem* addit IDEM. Huius nimirum plantas mares iuxta femellas plantandas curauit Ill. Auctor. Cum autem tranſplantatae maſculae plantae nullum produxerint ſcapum florentem, femellas inde una cum fructus rudimentis deieciſſe flores, obſeruauit. Altero autem anno maſculae, dum floruerunt, femellae etiam florentes grauidae factae fuerunt, maturique eis ſucceſſerunt fructus. Ex his igitur ad foeminarum foecunditatem maris omnino requiri acceſſum, femellamque ſemel foecundatam non ſemper ita manere, ſed omni anno maris acceſſu opus eſſe colligit.

p. 441. Quibus de ſexu plantae huius praemiſſis, ipſius dein Ill. Auctor addidit accuratiorem delineationem aeque ac deſcriptionem. Nondum enim cognita ſatis inter botanicos neque deſcripta fuit eadem, praeter Ill. LINNAEVM, qui primus Napaeae nomine eam ut plantae genus diſtinctum definiit, et dexterrimum EHRETVM, qui eius nitidam delineationem exhibuit viuis coloribus illuſtratam. Quam Noſter iam proponit, eſt illa ſpecies, quae *Napaea pedunculis nudis laeuibus, foliis glabris, floribus hermaphroditis* LINN. Spec. Plant. p. 686. n. 2. dicta fuit, et ab hoc ipſo demum ad Napaeae genus relata, olim HERMANNO Althaea virginiana ricini folio appella-

p. 442. ta atque pro androgyna habita. Floris character ſequentem in modum traditur: I. *Maſculini floris* calyx *eſt monophyllus, urceolatus, patens, quinquefidus, limbo reflexo, perſiſtens.* Corolla *monopetala, ad cylindrum uſque quinquefida, patens;* ſegmenta *oblonga ex anguſta baſi in orbiculum interius concauum cum margine*

gine integro expanſa. Staminum *columna cylindracea ſolida, erecta, calyce longior, cuius ſummitatem obſident ſtamina multa, quorum* filamenta *breuia ſubulata;* antherae *exiguae, oblongae, compreſſae, didymae, verſatiles;* ſtyli *et* germen *nulla.* II. *Feminini floris* calyx *ſimilis, magis tamen oblongus;* corolla *ſimilis, paullo maior;* ſtaminum *columna cylindracea inferius ampla, ſuperius anguſta, calyce longior, intus caua;* antherae *ſpuriae globoſae ſine filamentis genuinis oram columnae ambientes;* ouarium *conicum cum ſeptem* ſtylis, *quorum* ſtigmata *ſimplicia;* fructus *orbiculatus compreſſus, umbilicatus, ex ſeptem octoue loculis membranaceis ſuperius criſtatis compoſitus;* ſemina *ſolitaria reniformia.* Quod reliquas plantae partes attinet, radices *plures, longae, carnoſae, extus flauae, intus candidae, mucilaginoſae in unum caput coeunt, e quo prodeunt* folia radicalia *petiolata, digitata, ampla, ſuperius viridia, ſubtus pallida, ſcabra ubique, ad pediculum fere diuiſa, diuiſionibus ſingulis iterum in lacinias plures ſubdiuiſis;* pediculo *longo, ſtriato, ſubhirſuto;* caules *florigeri membranaceo velamine tecti, numeroſi, ſtriati, ſubhirſuti, per interualla* foliis *inſtructi ſimilibus radicalibus,* ſed *ſenſim minoribus pediculisque itidem breuioribus, ante excluſionem ſub inuolucro latentibus; ex foliorum alis tandem ſurgunt* pedunculi *floriferi caulem ramoſum reddentes, eosque claudit* florum *copioſorum umbella.* p. 443.

103) Ab EODEM *plura* etiam *exempla palati deficientis* annotantur, quorum unum delineandum curauit. p. 445.

104) IDEM tandem ultimam obſeruationem addidit, *quaedam ad Pelecani ſeu Onocrotali auis hiſtoriam pertinentia continentem.* Concernunt autem additamenta iſta obſeruationem 69. ſuperius p. 284. ab Ill. de FISCHER communicatam. Illuſtrationis gra- p. 448.

tia hic ab Ill. TREW auctores, qui de hac aue ſcripſerunt, citantur, ſententiae eorum variantes conferuntur, huiusque tandem auis caput, quod una cum aliis naturalibus a Cl. Auctore adſeruatur, deſcribitur, et icone exhibetur.

In Appendice reperiuntur,

p. 1. 1) *Commentatio de thermometris menſurae conſtantis, quondam ſeorſum publicata nunc ſecundis curis reuiſa et reformata.* Auctore Ill. C. A. DE BERGEN. Ad conſtruenda thermometra requiritur vitreus cum annexo globo tubus, cuius craſſities inter ſuperficiem externam et internam unam lineam pedis Rhenani non excedit; cauitas autem diuerſa eſſe poteſt, prout nimirum magnitudo vaſculi aut liquor plus minusue expanſiuus aut uſus eiusdem hoc poſtulat. Sufficit tamen ad mercurialia thermometra cauitas, quae craſſiorem chordam metallicam pro clauichordiis uſitatam capit. Longitudinem tubi capacitas ſphaerae determinat. Fluidum, quo thermometra replentur, vel ſpiritus vini vel mercurius ſuppeditant, hic autem omnibus praeſtat, manet tamen et ſua laus ſpiritui vini. Ad modum, replendi vitra, variis cautionibus opus eſt, quae ab Ill. Auctore fuſe recenſentur. Tandem ad ſcalae formationem, quae in puncto congelationis et ebullitionis aquae conſiſtit, accurata etiam traditur inſtructio. Cunctis his rite et prolixe expoſitis, tandem etiam varius thermometrorum uſus annotatur, qui non ſolum phyſicus et chemicus, ſed etiam medicus depraedicatur, ita, ut ad promouendam ſcientiam naturalem thermometra haud leuem opem praeſtare inde videantur. Thermometrum ſiſtitur delineatione.

p. 49. 2) *Commentatio de ſcarificatione gingiuarum.* Auctore Cl. W. T. RAV. Primo capite hiſtoriam huius

opera-

operationis tradit Cl. Auctor, ſimulque exponit, quod antiquiſſimis iamque HIPPOCRATIS temporibus ſcarificatio in uſu fuerit, poſtmodum etiam declarat, in quibusnam morbis et quibus inſtrumentis iſthanc ſuſceperint, tandem ad recentiores reſpiciens eos in primis commemorat, qui de hoc auxilii genere accurate commentati ſunt. Capite ſecundo de ſcarificatione gingiuarum in ſpecie agit. Hanc et veteribus iam uſitatam fuiſſe, ex PLINIO notat, atque recentiorum in primis HOFFMANNI, HEISTERI et VALENTINI, qui eam in gingiuis ſuſcipiendam commendarunt, meminit. Quod inſtrumenta, quibus iſthaec peragitur, concernit, inter alia multa, quae maximam partem reiiciuntur, ſubtiliores illae ſecalis glumae laudantur, de quibus Cl. Auctor dicit, quod ſecure et optimo cum fructu hic in uſum cedant, atque modum ſcarificandi deſcribens cautiones ſubnectit, ſub quibus iſta operatio ſuſcipi debeat. Tertio tandem capite uſum ſcarificationis recenſens, iſta in odontalgia, in parulide, quae tuberculum eſt dolens et tumens ex increſcente inflammatione iuxta dentes natum, porro in infantum dentitione difficili, quae autem inſtrumento chirurgico peragitur, atque in ſtomacace demum, nec non gingiuarum aphthis, multum praeſtare, Cl. Auctor oſtendit.

3) *Commentatio de inſtrumentorum in arte obſtetri-* p. 73.
cia hiſtoria, utilitate et recta ac praepoſtera applicatione. Auctore Cl. H. I. N. CRANTZ. Veteres, qui et in arte obſtetricia nec hoſpites plane fuerunt, inſtrumentis quoque et in primis unco, uncino aut ſcalpello vel etiam perforatorio partum promouere, anniſi ſunt. Licet autem haec inſtrumenta primo tantum ad foetum mortuum extrahendum adhibuerint, attamen non multo poſt, ad omnem partum difficilem eadem applicandi, mos etiam inualuit, unde igitur factum fuit, ut multi infantes vitam ami-

ſerint, qui tamen ſeruari omnino potuiſſent. Operationes itaque veterum ut plurimum crudeles fuiſſe, Cl. Auctor oſtendit, hasque ideo repudians inſtrumenta eorum maximam quoque partem reiicit. In primis uncos ac perforatoria et hodie damnat, haecque tamen non in uniuerſum reiiciens, uncos non niſi in caſu relicti in utero corporis, capite ab hoc auulſo, aut capitis craſſi nimis etiam alio inſtrumento comminuti conuenire, in aliis autem caſibus nunquam adhibendos eſſe, declarat. Eodem etiam modo perforatoria reiiciens, eis in caſu, ubi grandior capitis moles per peluis aperturam educi nequit, utendum eſſe, praecipit, cultrosque ſcindentes ad membri cuiusdam ſeparationem deſtinatos, ob euitandum periculum, prorſus exulare iubet. Inter inſtrumenta vero, quorum uſus valde proficuus aeſtimatur, forcipes multum valere Cl. Auctor aſſerit, atque inter omnes, quarum mentio hic facta eſt, Leuretianam forcipem in primis laudat, quod in pluribus caſibus imo in omnibus fere, ubi unci et perforatoria male applicantur, tuto adhiberi effectumque deſideratum praeſtare poſſit. De forcipum igitur utilitate atque praeſtantia Cl. Auctor certiſſimus in eos etiam inuehitur, qui male de iisdem ſentiunt, in primis Cl. ROEDERERVM taxat, in quem vero paulo nimis iniurius eſſe videtur. At, forcipum in arte uſum uniuerſalem non eſſe Cl. Auctor autumat, quapropter eos caſus notat, ubi iſtae applicari nequeant. Tandem et ſectionis caeſareae meminit, cuius utilitatem non adeo ſolide, ut multi gloriati ſunt, comprobatam eſſe opinatur.

p. 139. 4) *Diſſertatio, in qua ſententia, de differenda hydropicorum morte per efficaciſſimam ſcillae virtutem tribus obſeruationibus evincitur.* Auctore Cl. G. SCHVSTER. In tribus hiſce ſubiectis, quorum morbi hiſtoriam prolixe deſcribit Cl. Auctor, ſcillae radicem in

in larga doſi exhibitam bonum quidem effectum praeſtitiſſe, aegrotantes autem omnes poſt aliquot tempus obiiſſe, legimus.

5) *Meditationes, de viribus hypnoticis a minerali regno haud alienis.* Auctore Cl. I. C. IACOBI. Quo medicamenti hypnotici ex regno minerali petiti praeparatio clarior euadat, regnum ea propter vegetabile prius intrat, hincque vegetabilia, tali vi praedita, diſquirit, qua diſquiſitione facta, vim eorum hypnoticam in volatili illa parte phlogiſta conſiſtere, demum reperit. Cum itaque regnum minerale corporibus, phlogiſto copioſo praeditis, abundet, ex hiſce etiam phlogiſton ſeparare, anniſus eſt, manuque demum admota tale etiam remedium inuenit, quod non narcotica et ſtupefaciente, ſed vera hypnotica vi gaudeat. Huius praeparatio ſequens eſt: ſulphur aqua calcis viuae aut ſalibus alcalinis ſoluitur, huic ſolutioni inditur mercurius, poſtmodum autem acidum, quod appropriatum dicit, affunditur, quo facto ſulphur liberatum et attenuatum fundum petens cum volatili mercurii parte, quae terra tertia eſt, quaue mercurius abundat, arctum connubium init atque medicamentum ſiſtit, quod Cl. Auctor in multis caſibus tanquam hypnoticum verum feliciter adhibuit. p. 163.

6) *Mercurii ſophici delaruati ex Philalethae introitu aperto ad occluſum regis palatium in conſpectum chymicorum prodeuntis, ſiue Commentarii decem prima obſcuriſſima illius Auctoris capita de mercurii ſophici praeparatione per ignem dilucidantis.* Auctore Cl. I. H. COHAVSEN. Cum PHILALETHA admodum parabolice locutus ſit, multique hinc, capita haec explicantes, ſeduci facile poſſint, ſenſum ea propter litteralem Cl. Auctor exponit, ita, ut obſcurae quodammodo pateſiant viae. p. 189.

Tandem his cunctis vitae clariſſimorum quorundam virorum 1) ABRAMI VATERI una cum eius icone, 2) CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII. 3) IOANNIS DAVIDIS KOELERI. 4) FRIDERICI CHRISTIANI LESSERI. 5) GEORGII EHRHARDI HAMBERGERI ſubnectuntur.

XVI.

Diſſ. inaug. de Pleuritide vernali et aeſtiua. Praeſide. D. IO. GODOFR. BRENDELIO. Reſp. *Philip. Henr. Wedemeyer.* Gottingae, 1756. 4. pl. 4½.

Praemiſſa definitione pleuritidis, huicque ſimilium morborum, illorumque differentia conſtituta Cl. Auctor *νῦν ἐν ἁγίοις*, locum in illis morbis affectum diſquirit, exemplaque non nullorum ab ipſo obſeruatorum aegrotorum et poſt mortem inciſorum adducit; ſpeciale tunc diſcrimen, quod pleuritidem et peripneumoniam hibernalem inter et aeſtiuam intercedit, accuratius indicat; vernalis denique et aeſtiuae pleuritidis ſymptomata et ſigna copioſius, cauſas vero et curationem breuius, perſequitur.

Pleuritidem vero generatim ſumtam febrim nominat acutam cum pulmonum thoracisue inflammatione. Diuidit illam, more conſueto, in veram et ſpuriam; deinde in humidam et ſiccam; illa ipſi eſt pleuropneumonia, haec vero pleuritis ſtricte ſic dicta. Peripneumoniam autem vix umquam, certe rariſſime, idiopathicam, ſaepius ſymptomaticam, eſſe credit, variolis, morbillis, purpurae, haemoptyſi, phthiſique pulmonali, accedentem, quo propius a
p. 3. vitae fine abeſt aeger. Peripneumonia notha, quae vera frequentior deprehenditur, *non inflammatio, ſed ſingularis quaedam per omnem pulmonis ſubſtantiam*

cruoris

cruoris effuſio eſt, haud quidem in ipſas pulmonum veſiculas, ſed in interſtitia veſicularum celluloſa. In hoc itaque morbo nulla tuſſis cruenta, nec dolor acutus, ſed grauatiuus eſt, nec ex dolore, ſed ex pondere, quod denique grauiſſimum, et inde oriunda anxietate, reſpiratio vel prorſus tollitur, valde certe impeditur, cum pulſu paruo et tremulo ob denegatum ſanguinis ex arteriis pulmonalibus per venulas pulmonales ad auriculam cordis poſteriorem iter. Locum, ubi morbus hic haerere ſolet, multo frequentiſſime eſſe pulmones, rarius pleuram, Auctor aſſerit copioſeque ex HIPPOCRATE conuincere ſtudet. p. 5.

Sectiones quoque anatomicas recenſet duas ex pleuritide ſicca demortuorum, quorum neuter in acuto ſtadio, ſed alter decima octaua, alter quadrageſima hebdomade, uterque vero febri lenta et empyemate confectus fuit, alter quadragenarius, alter vero puer duodecim annorum. Vidit in his pleuram ſpatioſo ambitu veſicis obſitam ulceroſis maioribus minoribusque, collèctumque pus inter pleuram et muſculos intercoſtales internos. Seceſſerat pleura a coſtis plurimis in locis, et ſingulari modo fabrica eius mutata ad minimi digiti craſſitiem increuerat ita, ut illa in bracteolas ſolui potuiſſet. Nulli pulmones inſigni affecti erant labe, exceptis non nullis leuioribus vomicis, alio a morbo ſuperſtitibus. Siccae ſanatae quoque pleuritidis exemplum Auctor adducit. Puero decem annorum, pleuritide hac laboranti, tandem morbus abſceſſu ſoluebatur ad coſtam quintam, ſextam et ſeptimam, facto, qui deinde inciſus, emiſſo pure, foueam inſignis duritiei craſſitieique exhibebat, cuius, ſi ſpecillo fides habenda eſt, ad cauitatem thoracis plane nulla erat apertura.

Pleuritis vero et peripneumonia vernalis et brumalis maxime a ſe inuicem vel febre ipſa, vel ſymptomatibus, et criſium euentu differunt: Symptomatibus p. 11.

bus differunt pleuritides hibernae, quod oriantur cum algore graui, imo rigore coniunctis mox ſignis pleuriticis, deinde algorem ſequatur aeſtus ei reſpondens, declinetque prima exacerbatio haec ea lege, *ut reliquus febris pro ſtadii acuti modo decurſus, remittentem quidem quotidianam, ſed alternis diebus grauiorem, exprimat*, *id eſt*, *typum quendam quotidianum ex tertiano*, et denique quod quoad ſputum, tuſſim, dolores, cet. aequabilius hae procedant: Ratione criſeos, quae vel perfectior per ſudores et urinam, vel imperfectior per abſceſſus externos, per ſanguinis fluxus, diarrhoeas bilioſas, febres intermittentes, purpuram aut acutam aut chronicam, interdumque per affectus cutaneos deprehenditur.

p. 14. In vernalibus vero aeſtiuisque magna eſt ſuſpicio malignitatis, quam laſſitudo, animi deiectio, capitis dolores, oculorum, colli, dorſi, lumborum et artuum torpor, ſomni cupido corpus non reficiens, ſudores inconſtantes, horripilationes, ſternutatio, guttulae ſanguinis ex naribus aliisque ex locis profluentis paucae, dolores ventriculi inteſtinorumque, nauſea, vomituritio, aluus vel ſicca, vel lubrica, ſpumoſa foetidiſſima, urina vel aquoſa, vel bilioſa ſtatim ab morbi initio cum ſedimento copioſo, color faciei mutatus, manuum, digitorum, frontis et palpebrarum inferiorum emphyſema, ſopor aliqualis et ſtupor, lingua arida, palati ſiccitas et durities, icterica in apicibus digitorum, volis manuum canthisque oculorum veſtigia, pectoris conſtrictio et ſimilia ſatis ſuperque commonſtrant.

Satis verboſe nunc omnia ad pleuritidis vernalis et aeſtiuae, quam epidemice ſaeuientem obſeruaſſe ipſe Auctor videtur, hiſtoriam pertinentia momenta allegat et diſquirit, quae cum omnia adducere nolimus, praecipua adduxiſſe ſufficiant.

p. 18. Cum horrore et rigore haec febris oriebatur, quae ſaeuitie non adeo inſignis, nec eius aeſtus nimius,

mius, deprehendebatur; pulſus quidem celerior, debilior tamen, durior, ſpaſticus, mox ſub algoribus dolor acutus vel in pectore vel ad ſcapulas clauiculasque, tuſſis cum ſenſu conſtrictionis praecordiorum; ſputa ſpumoſa bilioſa, non raro ſubcruenta, interdum lurida et ex muco tenaci globulorum ad inſtar reiecta, quae quidem non raro tabem imminentem praeſagire videbantur. Plerisque thorax, abdomen et hypochondria immodice, ſubalgidis extremis aeſtuabant. Sanguis e vena emiſſus primis diebus ſano ſimilis, poſtea coccineus, ſiccus, ſuperficie ex coagulo nitente aut ſero bilioſo abundabat. Febris ipſa parua plerumque erat: ex horroribus aeſtubusque ſeſe inuicem excipientibus paruae quaſi febriculae irregulares oriebantur. Accedebant etiam deliria mitiora, taciturna, atrabilaria, nec non interdum furioſa. Sputa modo felicius, modo minus procedebant; dolores quoque interdum euaneſcebant, quibus deficientibus ſuccedebat difficultas urinae, quae miſſa denique ſpaſticas illas exhibebat pelliculas. In thorace interdum quoque dolores mitigati videbantur, aliis excitatis in femoribus et tibiis imo et in inteſtinis abdominalibus. In his breuius erat inflammatorium ſtadium, quam in brumalibus febribus.

Sputi reiectio parum leuaminis, paruamque, vel nullam, criſin et ſudor et urina afferebat: Aliis morbus ſolutus fuit plane nullis, aliis aegris partialibus ſudoribus. In ſudore uniuerſali urinae crudae, ſine ſudore coctiores erant. Qui diutius laboraturi morbo videbantur, illorum una eademque urina duplici imo triplici vice praecipitabatur ſedimento, cuiuslibet colore a ſe inuicem diuerſo. Quibus vero urina poſt primam praecipitationem lacteſcebat, deinde album et denique limoſum ad fundum reddebat ſedimentum, illi ſerius et niſi per metaſtaſes, conualeſcebant. Peſſima urina, quae fulua micta liueſcebat cum ſedimento rubello. Alui excrementa liquida

ſpumoſa

ſpumoſa foetidiſſima, ramentis quaſi membranarum
p. 23. erant mixta. Sternutationes frequentiores in hac pleuritide erant, quam in hibernali; ii quidem, quibus contingebant, difficilius ad ſanitatem redierunt. Duae abortierunt grauidae, haud dubie per motum metaſtaſeos ſpaſticae; alia foemina, prius, quam pareret, morbo hoc correpta, mortuum deinde in lucem edebat foetum. Omnibus praeter naturam in hoc morbo umbilicus erat conuulſus et introrſum retractus. Hi morbi imperfectis criſibus ſoluebantur per varias metaſtaſium formas, illas etiam, quas de pleuritide hibernali diximus; ſimiles alias vero ſequebantur febres lentae, tuſſis diuturna, oculorum auriumque affectiones periodicae, urinae difficultas, haemorrhoides mucoſae cet.

p. 27. Non ſolam tempeſtatem gelidiorem, ſed potius leniſſimam hiemem cauſam huius mali eſſe credit Auctor. De curatione dum breuiter agit, duo tantum adducit momenta; alterum venarum brachii ſectionem, ſine lateris delectu, pro ratione quoque repetendam, alterum, quod miramur, vomitorium ex Ipecacuanha, quod quidem medicamentum multis argumentis innoxium et ſalutiferum hoc in morbo reddere ſtudet, quibus vero nos haud conuictos eſſe ingenue fatemur.

XVII.

XVII.

Der mediciniſchen Societaet in Budiſſin Sammlungen und Abhandlungen aus allen Theilen der Arzneygelahrheit. Altenburg, in der Richteriſchen Buchhandlung. 1757. 8. 1 Alph. 11 pl.

h. e.

Societatis medicae Budiſſenſis tractationum ex omnibus artis medicae partibus deſumtarum collectio.

Quae per aliquot iam decennia coiit Budiſſae, quae urbs haud incelebris caput eſt Luſatiae ſuperioris, medica Societas, ea nunc demum ſuos luci exponere publicae cenſuit labores, qui libro iam indicato continentur, cuius rationem erimus reddituri, ſi antea non nulla de ſocietatis huius hiſtoria praefati fuerimus. Optaremus quidem, ut huius voluminis editores de hiſtoria et fatis ſocietatis ſcitu neceſſaria in praefamine aliquo nobiscum communicaſſent; ſed, cum id iis non placuerit, nosque multis de rebus ad ſocietatem pertinentibus v. c. quo tempore prima illius iacta fuerint fundamenta? utrum volumen hoc omnes aut non nullos tantum contineat eius labores? an hoc ſequutura ſint alia e. ſ. p. in dubio reliquerunt, ea tantum, quae coniiciendo deteximus, breuiter indicamus.

Conſtitutam ergo ſocietatem hanc a medicis Budiſſae artem ſuam exercentibus anno ſeculi, quo viuimus, decimo quarto fuiſſe, partim ex catalogo virorum in ſocietatem receptorum, partim ex caſibus medicis exhibitis colligimus. Id vero vel maxime ſibi agendum ſumſerunt viri iſti, ut quolibet in conuentu proponerent caſus clinicos, de illis diſputarent, de natura et indole morborum, vel in primis epidemicorum contagioſorumque, cum forte obuenerint,

nerint, iudicarent, iis occurrendis profligandisque methodos ſtabilirent aptas, ſingulares notatuque dignas res naturales earumque phaenomena inquirerent, et ſi quid a quodam ſocietatis membro propoſitum vel elaboratum fuiſſet, litteris mandarent, eo tunc temporis conſilio, ut forte aliquando haec per vices conſcripta et ſocietati exhibita colligi, inque publicum edi poſſent. Membra autem, quae ſocietatem hanc conſtituerunt et adhuc conſtituunt, non ſolum medici fuerunt Budiſſae artem facientes, ſed et aliis ex urbibus et quidem propinquioribus, in ſocietatem recepti fuerunt, ea tamen lege, ut quilibet extraneus a Senioris et Adiuncti munere eſſet excluſus. Stabilita ſocietate, eius ſodales deinde leges ſanxerunt, quibus quemlibet in ipſam recipiendum ſe obſtringere oportet, quas etiam anno quarto et viceſimo huius Seculi Potentiſſimus Poloniarum Rex et Saxoniae Elector, Dominus noſter indulgentiſſimus auctoritate ſua et priuilegio munire et confirmare haud dedignatus eſt.

Ipſius vero libri iam iam indicati ea eſt ratio, ut, praemiſſis litteris regiis et legibus a ſocietate conſtitutis, nullo et temporis et rerum habito ordine, ſuccedant elaborationes obſeruationesque, quae ex medicina, partim clinica, partim conſultatoria, partim legali, ſunt deſumtae, paucis exceptis aliis thematibus e. g. analyſi antimonii diaphoretici: diſquiſitione naturae opii, eiusque cum aliis medicamentis narcoticis comparatione: de recrementis partium ſolidarum corporis humani viui. De medicina clinica variae exſtant in hoc libro obſeruationes lectu dignae, licet negandum non ſit, varias quoque adiectas eſſe, quas partim ob haud congruam et inſufficientem enarrandi rationem, partim ob medendi methodum non ſolum morborum cauſis interdum non ſatis accommodatam, ſed etiam nimis prolixam, nimiamque medicamentorum farraginem exhibentem, non

tanti

tanti futuras eſſe uſus, credamus. Iis in ſectionibus, quae ad medicinam conſultatoriam pertinent, inuenies conſilia non ſolum a ſocietate hac, ſed etiam a variis magni nominis medicis, F. HOFFMANNO, STAHLIO, RICHTERO, IVNCKERO, etiam ab academicis medicorum ordinibus, Lipſienſi, Halenſi et Francofurtano, exhibita; quod quidem inſtitutum ex noſtro iudicio non omni caret laude, cum ex varia attentione, qua quilibet morbum eundem conſiderauit, iunioribus medicis diſcendi naſcatur copia, in morbo diiudicando non ad unicum, ſed ad varia, interdum e contrario ſibi oppoſita, eſſe reſpiciendum; quod eo facilius fieri poſſe arbitramur, cum de uno eodemque morbo ſaepe quinque, etiam ſex a diuerſis locis reperient conſilia accepta. Illae tandem ſectiones, quae ad medicinam legalem referendae ſunt, eodem fere modo, ac praecedentes ſunt comparatae, ita, ut ex non nullis plus, parum ex aliis profecturum eſſe opinamur utilitatis.

Ob inſignem ſectionum copiam, inter quas variae nullius, certe parui momenti deprehenduntur, quas adeo lectores noſtros ignorare nihil refert, cum adducere nolimus omnes, ſpeciminis loco non nullas alicuius forte fructus eligamus.

N. V. Obſeruatio anatomica, *cerebrum extra cranium* ſiſtens. Auctore D. IOANNE GEORGIO THAMM, anno 1715. Foemina, cui praegnanti menſe grauiditatis octauo vaſe aliquo percuſſum fuerat abdomen, die ſequenti geminos peperit, quorum alter formae naturalis et pulchrae vita per horulam fruitus, alter vero ex tumore inſigni capiti inſidente monſtroſus natus eſt. Quo vero pateret, tumor ille an ex illa percuſſione abdominis enatus eſſet, infantis illius ſectio anatomica inſtituta fuit, qua totum cerebrum cum ſuis integumentis et vaſis ex ſitu ſuo naturali ſuper fontanellam pulſatilem extra cra- p. 32.

nium protruſum eſſe, duramque matrem cum capitis integumentis externis communibus arcte cohaerere, fuit detectum. Totum cranium nullam formauerat thecam, ſed planum erat atque compreſſum, omnesque in illo repertae ſuturae, quae tamen in infantibus recens natis vel nullae vel exiguae et laxiores eſſe ſolent, tam arcte inter ſe inuicem connexae, ut magna vi vix ac ne vix quidem diſtrahi poſſent. Ad huius rei rationem inueſtigandam notari meretur, patrem huius infantis ſimilis figurae tumorem praternaturalem in ceruice habuiſſe.

p. 43. No. X. *de inſigni procidentia oculi.* Auctore DANIELE PRAETORIO, ann. 1715. Triginta annorum vir in lino praeparando occupatus, a feſtuca quadam lini in oculo dextro ita laeſus fuit, ut omnem amitteret oculus ille videndi facultatem; nihilo minus per totos octo annos ſine ullo accedente peiori ſymptomate negotiis valuit vacare ſuis. Rumore autem de praeſtantia et inſigni aquarum medicatarum Miſenenſium virtute ad illum accedente, ad viſus facultatem ſibi reconciliandam ipſe illis uti commotus fuit, quarum vero uſu, tempore autumni inchoato, oculus coecus intumeſcere et inflammari, ager hemicrania eiusdem lateris et febri irregulari lenta vexari, deinde oculus protrudi coepit, qui ſpatio decem hebdomadum ita increuit, ut anſerini oui magnitudinem ſuperaret, extraque orbitae cauitatem pendens ipſum naſi orbiculum attingeret. Nunc, cum antea oculus valde doluerat, omnis euanuit dolor, acceſſerunt animi deliquia et alter quoque oculus ex conſenſu priuatus eſt lumine, aegerque die viceſimo ſecundo menſis ianuarii diem obiit ſupremum. In oculo poſt mortem inciſo omnia ſphacelo ita corrupta apparuerunt, ut ne una vel altera quidem oculi pars a ſe inuicem diſtingui poſſet.

N. XIV. *de dyſenteria epilepſiae nocturnae inueteratae ſuperueniente critica.* Auctore Eodem. Generoſa foemina ante quinquaginta annos nata, annos viginti plus epilepſia laborauerat ita, ut qualibet hebdomade ſemel et quidem ſemper tempore nocturno, paroxyſmo iſtius morbi tentaretur. Nec medicamentis aptis et copioſe ſumtis malum hoc profligari potuit. Tempore vero quodam illa incidit alium in morbum, in dyſenteriam tunc temporis epidemice ſaeuientem. Haec medicamentis tractata abſtergentibus morbum priorem, epilepſiam, ita abſtulit, ut foemina iſta, licet poſt haec decem vixerit annos, ne una quidem vice morbum iſtum denuo experta fuerit. p. 51.

N. XXI. *Tuberculi haemorrhoidalis infelix per inſtrumentum inciſio.* Auctore GOTTLIEB BVDAEO, anno 1716. Vir generoſus quadraginta annorum, temperiei ſanguineae, et qui optimae ſanitatis ſpeciem huc uſque prae ſe tulerat, doloribus corripiebatur ex haemorrhoidibus coecis ortis. Externe apparebat tuberculum in ano ceraſi magnitudine, cui chirurgus quidam vulnus infligebat lanceola, ex quo parum ſanguinis ſpiſſi effluebat. Statim vero ac tuberculum inciſum erat, derepente illud retrahebatur in anum, et aeger magnis in hoc et in ipſo abdomine affligebatur doloribus, qui in dies aucti totam deinde regionem lumbarem occupabant. Ex inteſtino recto ad deponendas faeces ſemper irritato, primum parum ſanguinis, aliquot diebus poſt pus ipſi admixtum exprimi aegre poterat. Teneſmus hic cum excretione puris ſanguinisque, qui die nocteque aegrum excruciabat, per quatuor integros annos iam durauerat, nullis remediis, quorum magna applicata fuerat copia, cedens. Tandem cum ab omni ſpe perfectae ſanationis deiectum ſe videret aeger, omnibus aliis ſepoſitis remediis, clyſteres tantum tempe- p. 90.

 rantes,

rantes, demulcentes opiatosque ex lacte, in quo ferrum candens extinctum erat, ex terebinthina veneta cum ouorum vitello melleque roſato ſoluta, additis interdum oleo verbaſci et hyperici nec non momordicae infuſo, in uſum vocabat, quorum applicatione ad duas tresue horas utplurimum ſentiebat leuamen. His clyſteribus licet tunc demum, ubi dolores et teneſmum tolerare ulterius non poterat aeger, uteretur, dictu tamen fere incredibile eſt, illi per quatuor annos bis mille plus clyſteres iniectos fuiſſe. Sub finem incidit aeger in febrim lentam cum hydrope coniunctam, quae vitae eius ad ſecundum et quinquageſimum annum productae finem fecit.

XVIII.

IACOBI PLACENTINI Theoreticae Medicinae in Gymnaſio Patauino Profeſſ. Prim. Diſſertatio de Vena, quae in morbis particularium partium corporis ſit ſalutarius incidenda. Examinantur tum ſententiae Graecorum tum Arabum, tum eorum rationes, qui utrosque tutati ſunt. Patauii, typis ſeminarii. MDCCLVI. Apud Ioannem Manfrè. 4. mai. pl. 19. tab. aen. 1.

Vtrum perinde ſit, venam quocunque in loco in quolibet morbo ſecare, an potius conferat locum certum quendam eligere, et quis vel maxime locus prae aliis in hoc vel illo morbo ſit praeoptandus, dubia quaeſtio fuit, quae ab inde HIPPOCRATIS temporibus per tot ſaecula a plurimis exagitata, nondum ſolui potuit. Ab aliis hoc, illud ab aliis, ab utrisque quodlibet haud contemnendis rationibus fuit defenſum, ita, ut et perſpicaciſſimi medici dubii haeſerint, ad quorum partes eſſet tranſeundum. Non ſuper-

ſuperuacaneum itaque Cl. Auctor ſuſcepit laborem, qui magno ſtudio litem hanc arduam et difficilem componendi fecit periculum. Eam vero Cl. Auctor in hac quaeſtione perueſtiganda ingreſſus eſt viam, ut in praefamine breuem huius litis praemittat hiſtoriam, in parte deinde priori ſententias Graecorum et Arabum, utrorumque aſſeclarum, adducat, easque inter ſe inuicem comparet: poſtea in partis poſterioris capite primo ipſius rei naturam curatius inquirat, argumentisque in capite ſecundo ab experientia rationibusque hygraulicis petitis, quid ipſi a vero parum abeſſe viſum fuit, corroboret, denique in capite tertio et quarto in non nullis morbis uſum huius rei doceat.

In praefamine breuiter de utilitate huius quaeſtionis agit, illosque viros qui illam partim inutilem reiecerunt, partim magni fecerunt et ſoluiſſe ſibi viſi ſunt adducit. In parte priori recenſet, quas venas p. 7.
in morbis particularium partium corporis humani inciderint Graeci eorumque aſſeclae, quas Arabes et qui hos ſunt ſecuti. HIPPOCRATES, GALENVS, utriuſque aſſeclae, ad ſanguinem a particulari corporis parte reuellendum ſemper venas parti affectae proximas incidi iuſſerunt, nec, niſi a ſex cauſis a Cl. Auctore allegatis impediti, remotas et remotiſſimas inciderunt, quod pluribus teſtatur exemplis ex HIPPOCRATIS, GALENI, CELSI, ORIBASII, ALEXANDRI TRALLIANI, PAVLI AEGINETAE ſcriptis, a quorum tamen ſententia recedere videntur AETIVS et ARETAEVS, cuius aſſertum autem Cl. PETIT interpretatione haud inepta cum HIPPOCRATIS ſententia reconciliauit. CAELIVS AVRELIANVS partim cum HIPPOCRATE conſenſit, partim ab illo diſſenſit.

(p. 17. in margine ad lineam „et qui hos ſunt ſecuti. HIPPOCRATES, GALE-")

Inter Arabes alii Graecos ſunt ſecuti, alii ab illorum ſententia receſſerunt. Ad illos RHASES, RABBI MOYSES, HALY ABBAS, SERAPION, ad hos p. 27.

 vero

vero IOANNES MESVE, AVENZOAR, et AVICENNA referri merentur. Qui vero ab Arabum aeuo uſque ad tempus, quo ſanguinis circulatio detecta fuit, hac de re in utramque partem diſputarunt medici, ſtudio eos tranſit Cl. Auctor ſilentio.

p. 35. In partis poſterioris capite primo Cl. Auctor notionem euacuationis ſanguinis per venae ſectionem, deriuationis reuulſionisque ſuppeditat, additis non nullis theorematibus phyſiologicis huic quaeſtioni ſoluendae neceſſariis. De euacuatione ſanguinis per venae ſectionem nihil vel parum eſt, quod adducit, cum, quid ſit illa, per ſe pateat. Deriuatio et reuulſio definitu eſt difficilior. Veteres circuitus ſanguinis ignari, cum ſanguinem in una eademque vena ſurſum deorſum, ultro citroque moueri poſſe opinarentur, longe aliam ea de re ſibi imiginati ſunt ideam, quam quae nunc cum cognitae circulationis ſanguinis legibus conuenire poſſet. Qui venam remotam incidi praecipiebant, ea ſecta, ſanguinem credebant a parte affecta retrahi, auerti et reuelli, incіſa vero proxima, in locum affectum retrahi illum et augeri. E contrario qui venae ſectioni in loco proximo inſtitutae fauebant, illa facta, ſanguinem ab affecta parte abduci et euacuari ſtatuebant. *Sanguinem* vero *deriuare in aliquam partem corporis per venae ſectionem*, Cl. Auctor ait, *nihil aliud eſt, quam efficere, ut ſanguis, inciſa aliqua vena, celerius et uberius per aliquam arteriam influat in eandem partem, quam influebat, antequam vena incideretur.* Reuulſionem appellant medici ſanguinis ab aliqua parte corporis auerſionem et retractionem. Cum eiusmodi vero reuulſionem neque per arterias neque per venas fieri poſſe, Auctor variis commonſtrat argumentis, aliam reuulſionis ſubſtituit notionem, qua illa fit, ſi inciſa vena intenditur, ut ſanguis in aliquas arterias et partes corporis parcius influat, quam ante inciſionem influeret. Ex quo mox patet, cum qualibet venae ſectione deriuationem re-

uulſio-

uulſionemque ſimul diuerſis tamen in partibus nexu eſſe coniunctam indiſſolubili.

Caput ſecundum proponit argumenta et theoremata, quibus Cl. Auctor innixus omnem hanc doctrinam ſtabilire et confirmare ſtudet. In quibus proponendis ea uſus eſt methodo, ut praemiſſas propoſitiones argumentis ex anatomia, phyſiologia et hygraulica doctrina petitis comprobet et corroboret, in ſcholiis additis rem vel illuſtret vel argumenta, quae forte obiici poſſent, ſoluat et in corollariis denique uſum et applicationem oſtendat. Omnem rem demonſtrandam undecim confecit propoſitionibus, quarum: p. 42.

1) *Sanguis per alias arterias celerius naturaliter mouetur, per alias tardius.* Hinc fieri non poſſe colligit, ut tota corporis humani maſſa ſanguinea qualibet in hora viginti quatuor et quolibet in die quingentis et ſeptuaginta ſex vicibus per totum corpus circumeat:

2) *Euacuatio ſanguinis, quae fit per venae inciſionem, proportionalis tandem fit in ſingulis vaſis et ſingulis partibus corporis diminutioni totius maſſae ſanguineae.*

3) *Secta vena alicui arteriae continua, ſanguis celerius et uberius influit in arteriam eandem, quam influebat, antequam vena tunderetur.* Ex hac propoſitione colligere licet, quanta ſit deriuationis menſura.

4) *Quo ſanguis ob quamuis cauſam celerius et uberius mouetur per aliquam arteriam, eo ſegnius et parcius, niſi quid obſtiterit, mouetur per proximas; et contra, quo ſanguis ob quamuis cauſam ſegnius et parcius mouetur per aliquam arteriam, aut in ea haeret et conſiſtit, eo celerius et uberius, niſi adſit impedimentum, mouetur per proximas.* Hac in propoſitione omnis quaeſtionis huius vertitur cardo: paullo copioſior itaque Cl. Auctor in hac enucleanda et corroboranda ad duo potiſſimum reſpicit, alterum, ſi ſanguis per arteriam, alterum, is ſi per venam celerius mouetur. Animo fingamus primum. Quo celerius ſanguis per arteriam aliquam mouetur, eo copioſius ille arteriam

hanc intret neceſſe eſt, hinc multo minor eius copia intrare poteſt in arterias proximas, in quibus adeo ille tardius mouetur. Nitide hoc amnis exemplo illuſtrat. Quodſi vero ſanguis celeriori motu tranſeat per venam aliquam, quod in ipſa venae ſectione euenit, ſequitur, ut reniſu ſublato, facilius ſanguis in venam ex arteria continuam tranſire poſſit, adeoque celerior eſſe oporteat ſanguinis motus in arteria, eoque minor eius copia peruenire poſſit ad arterias proximas, in iisque fiat motus lentior. Haec quoque Cl. Auctor exemplo aegrotorum diuturna gonorrhoea aut fluore uterino laborantium, aut nimiae veneri deditorum commonſtrat, quorum ſpina dorſi, cuius arteriis ſanguinem hac ex lege arteriae ſpermaticae et uterinae nimia in copia detrahere ſolent, inde adeo imbecillis redditur, ut vix recti incedere nec ſe flectere valeant aegri. Nec alterum huius propoſitionis membrum probatu eſt difficilius, quod iterum in duo eſt diſpeſcendum momenta. Si arteria aliqua obſtructa eſt, ſanguinis copia, alias per illam tranſire ſolita per arteriam proximam maiori raptu progreditur. Sanguis vero ſi haeret in aliqua vena, tranſit itidem per ramos collaterales. quod eo facilius fieri poteſt, cum ex minimis ramulis ad truncum maiorem ſanguini eunti non tanta ſubnaſcitur reſiſtentia, quam in arteriis; quo citatior vero eſt motus in venis, eo celerior quoque fit motus in arteriis his venis continuis. Hoc itidem variis ulterius demonſtrat exemplis, ex quibus pleuritidem veram, in qua pleura et muſculi intercoſtales inflammantur, ad-
p. 51. ducamus. Bronchialis arteria plerumque ex intercoſtalibus inferioribus orta, ſanguinem in pulmones ad illos nutriendos vehit, illaque in illis diuiditur. Quodſi itaque in pleuritide vera arteriarum intercoſtalium plures ſunt obſtructae, ſanguis maiori niſu irruit in bronchialem arteriam, ut iis proximam, illam nimis dilatat, vel disrumpit, ut itaque vel ana-

ſtomoſi

ſtomoſi vel diaereſi ſanguinem aegroti reddant. Eadem quoque eſt cauſa, cur pleuritici ex faucibus et naribus imo vomitu ſanguinem reiiciant, et quare hepate et liene infarcto vel inflammato, per aluum exeat ille. Ex his in corollario primo concludit Cl. Auctor: ſi vena inciditur, quae ſanguinem ab arteria partis affectae proxima, non vero ab arteria ipſius partis affectae accipit, fieri ab arteria partis affectae reuulſionem, quod exemplo cucurbitae magnae ſub mammis applicatae fluxum menſtruum et lochiorum nimium cohibentis commonſtrat. In corollario ſecundo: ſi vena ſanguinem ab arteria partis affectae et illius vicina ſimul recipiens inciditur, euenire poſſe, ut vel parem ſanguinis copiam ab utraque, vel maiorem ab arteria partis affectae, vel minorem recipiat, igitur vel parem ab utraque arteria, vel maiorem in arteriam partis affectae vel minorem fieri deriuationem. In corollario tertio: vena, in qua ſanguis ex arteria, quae propior eſt arteriae partis affectae, influit, ſecta, maiorem citioremque ab arteria partis affectae fieri reuulſionem. Exinde colligi licet cauſam, cur in pectoris morbis incidendo venam brachii, maior et celerior fiat reuulſio, quam venam incidendo manus, et quare in capitis morbis vena eligi debeat colli, temporum et occipitis.

5) *Cum inciditur vena alicui arteriae continua, ſanguis celerius mouetur in ſectione arteriae, quae ceteris paribus propior eſt venae inciſae, et a corde remotior, quam in ea, quae eſt ab eadem vena remotior et cordi propior.* p. 61.

6) *Cum inciditur vena alicui arteriae continua, fit deriuatio ſanguinis in laterales ramos, qui ceteris paribus, ſatis acutum cum eadem arteria angulum efficiunt.* Cum ſanguini ex natura ſua in quolibet motu recta via procedendi mos eſt, multo minus a via ſua recta in motu celeriori deflectitur, lentiori igitur in ramos angulo recto ortos, celeriori vero motu in eos acuto

 angulo

angulo prodeuntes intrat. Per ſe itaque clarum eſt, cur, ſecta vena quolibet in crure, ſanguis deriuetur in uterum, cui ſanguis per ſpermaticas arterias acutiſſimo angulo ex aorta deſcendente ortas ſuppeditatur, et cur raro in morbis artuum vena ſecari debeat artus morbo laborantis; quam tamen regulam ab omni exceptione vix liberam eſſe in ſcholio adiecto Cl. Auctor docet.

7) Haec propoſitio ſextae eſt oppoſita. *Cum inciditur vena alicui arteriae continua fit reuulſio ſanguinis a lateralibus ramis, qui cum eadem arteria vel obtuſum, vel rectum, vel fere rectum angulum efficiunt, quique in inciſam venam ſanguinem non mittunt.* In ſexta propoſitione demonſtratum fuit, ſanguinem in ramos ex arteria acuto angulo prodeuntes deriuari, adeoque his praeſuppoſitis non tanta ſanguinis copia ad ramos angulo obtuſo et recto egreſſos peruenire poteſt, quod vero Noſtro eſt reuulſio. Ex his itaque liquet 1) venae ſectionem in brachio optimum et celerrimum eſſe remedium in inflammationibus mammae eiusdem lateris, muſculorum ceruicis, intercoſtalium ſuperiorum, pleurae, aſperae arteriae et ſimilium partium his proximarum; 2) cur in motu corporis fortiori non frequentius pleuritis oriatur; 3) cur ſedentes et iacentes maiorem urinae reddant copiam, minorem ſtantes et ambulantes.

p. 69. 8) *Cum inciditur vena, quae ſanguinem recipit ab arteria lateris oppoſiti parti affectae, fit a parte affecta reuulſio minor et tardior, quam ſi incidatur vena, quae ſanguinem recipit ab arteria eiusdem lateris.*

9) *Cum inciditur vena, quae ſanguinem recipit ab arteria trunci oppoſiti parti affectae, fit a parte affecta reuulſio omnium minima et tardiſſima.* Vtriusque propoſitionis robur et probatio nititur fundamento in corollario tertio propoſitionis quartae iacto, et ſententiae L. BELLINI et Cl. SENAC prorſus eſt contraria, quam in ſcholio uberius Noſter refutat.

10) *Secta*

10) *Secta iugulari externa, ſit a carotide interna* p. 74.
et a cerebro reuulſio. Hanc propoſitionem ex anatomia, adiecta icone, et argumentis hygraulicis praemiſſis, ſententiaque I. B. SILVAE a Graecis diſſentientis exploſa, nitide et longiori corroborat demonſtratione, quam quae breuis a nobis, niſi illi ponderis iuſto plus detrahere velimus, recenſeri poſſit.

11) *Venae ſectio a quibusdam arteriis et partibus* p. 84.
corporis, tum aperto venae foramine, tum aliquanto poſtquam clauſum eſt, ſanguinem reuellit: ab aliis, eo aperto, illum reuellit; clauſo, in eas deriuat: in alias, tum eo aperto, tum clauſo, eundem deriuat. Propoſitionem hanc a ſententia de la MOTHE l. ASTRVC, Arabum aſſerta defendentis non plane quidem diſſentire, ſed unico tantum in caſu valere, rationibus et experimentis Noſter oſtendit. Inciſae in morbis cerebri venae ſuperiores, iugularis externa aut baſilica eiusdem lateris, tum foramine earum aperto, tum aliquanto poſt clauſo, reuellunt ſanguinem a cerebro. Eadem eſt ratio in medii ventris morbis, quippe in quibus venam brachii lateris affecti, tum aperto, tum clauſo foramine ſectam ſequitur reuulſio. Et in infimi ventris morbis, ſectis venis ſuperioribus, oritur reuulſio, quae tamen pro ratione, qua illae a ſe inuicem diſtant, vel minor vel paullo maior deprehenditur. Hinc, ſuperioribus venis ſectis, ſanguis ab arteriis, coeliaca eiusque ramis, meſaraica ſuperiore et inferiore, renalibus, ſpermaticis, lumbaribus, iliacis utrisque reuelli poteſt, ad quam reuulſionem ex arteriis medii et imi ventris plurimum confert auxilii ſingulari ſtructura et poſitu uſuque inſignis vena azygos. Si venae inferiores crurum nempe et pedum inciduntur, fit, foramine earum aperto, reuulſio ab arteriis lateralibus aortae deſcendentis et iliacae eiusdem lateris, quae angulum cum aorta non acutum efficiunt, nec ſanguinem in inciſas venas vehunt; illarum vero apertura clauſa, reuulſio mutatur et oritur

deriuatio. In morbis partium infimi ventris, quarum arteriae cum trunco, unde procedunt, angulum efficiunt acutum, ſi inciduntur venae inferiores eiusdem lateris, fit ad easdem arterias et partes deriuatio, tum aperto earum foramine, tum aliquanto poſt, quam clauſum eſt. Ex his itaque fluit, venam in renum, inteſtinorum, uteri, veſicae et teſtium affectionibus ſuperiori in loco, raro in inferiori incidere licere.

Haec ſunt, quae ad quaeſtionem hanc ſoluendam proponere neceſſaria duxit Cl. Auctor, quorum primaria tantum momenta, omiſſis a nobis breuitatis ſtudioſis ut plurimum argumentis, quae robur propoſitis addunt, excerpſimus perſuaſi, quemlibet, qui hac de re conuictus eſſe cupit, his excitatum iri, ut totam in nexu ſuo perlegat diſſertationem.

p. 96. Quae in capite praecedenti ratione et legibus hygraulicis commonſtrare anniſus eſt Noſter, iis nunc in capite tertio et quarto in variis morborum generibus, et quidem morbis mulierum, inteſtinorum, renum, veſicae, et teſtium, teſtimonia plurimorum medicorum addit. Ab initio capitis tertii omnem rem anatomicam ad hos morbos diiudicandos utilem pertractat, et deinde morbos mulierum diuidit in tres claſſes, in alios morbos, qui omnibus mulieribus ſunt communes, in alios, qui grauidis proprii atque hi vel ante partum vel in partu, in alios, qui iis, qui pepererunt, obueniunt.

p. 100. Morbi cunctis mulieribus communes, in quibus opus eſſe poteſt venae ſectione, ſunt vaginae prolapſus, haemorrhoides ſeu tumores varicoſi vaginae cum dolore, fluor albus, menſium vel ſuppreſſio vel fluxus nimius, pruritus et furor uteri, eius ſcirrhus, cancer, hydrops, et inflammatio. Sanguinem miſerunt medici ex venis ſuperioribus in prolapſu uteri et vaginae a copia humorum facto, in haemorrhoidibus et tumoribus varicoſis cum vaginae dolore, in immo-

immodico menſium fluxu, in furore uterino et inflammatione. In fluore vero albo, in menſium ſuppreſſione, in ſcirrho, cancro et hydrope uteri pro ratione cauſarum venam et in brachio et in pede ſecandam eligerunt. In omnibus morbis grauidis pro- p. 110.
priis medici venam ſecaſſe in brachio loca teſtantur ex Auctoribus hic collecta. Pertinent autem ad hos morbos difficultas urinae reddendae, haemorrhoides ani, alui fluxus coeliacus, meſentericus et dyſentericus, menſium fluxus grauidarum, earumque nimia ſanguinis profuſio. In partu ipſo, ſi venae ſectionis neceſſitas adfuit, omni in caſu nec non in morbis poſt partum medici a Noſtro allegati elegerunt venam in brachio ſecandam, unica excepta ſuppreſſione lochiorum et inde oriunda conuulſione, quod tamen non conſtans nec omni exceptione maior deprehenſa fuit regula. Ex his omnibus denique Cl. Auctor concludit, ſaepius et ſaepiſſe in morbis mulierum eſſe eligendas ad inciſionem venas ſuperiores, rariſſime inferiores, quod etiam de morbis renum, inte- p. 117.
ſtinorum, teſtium et veſicae ſatis lucide oſtendit.

XIX.

Plantarum americanarum faſciculus quintus continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit, eruitque atque in inſulis Antillis ipſe depinxit: Has primum in lucem edidit concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS, M. D. Profeſſor Botanices Amſtelodamenſis. Sumtibus Auctoris. Amſtelodami 1757. in fol. pl. 8. Tab. aen. XXV. a tab. 101 - 125. EIVSDEM Faſciculus ſextus 1757. in fol. pl. 7. Tab. aen. XXV a tab. 126 - 150.

Plantarum americanarum a PLVMIERIO delineatarum faſciculos duos iterum indicamus, et continuationem lubenter promittimus, cum ex iconibus, licet tantum linearibus nullisque umbris illuſtratis, et nouas, et in ſolo natali diſtinctius delineatas plantas cognoſcere poſſimus, Cl. BVRMANNVS quoque additis accuratis deſcriptionibus et utilibus obſeruationibus harum plantarum hiſtoriam ſtudio recentiorum botanicorum accommodare annitatur.

In *faſciculo quinto* continentur Corallodendri ſpecies tres, quarum prima ad Sophoram, reliquae ad Erythrinam referuntur; Corchori ſpecies duae et tertia, quam PLVMIERIVS Guazumam dixit; Cordia; Cornutia; Coronae ſolis ſpecies tres ad Buphthalmum relatae; Coronillae ſpecies una; Cortuſa ad Thaliam relata; Croci ſpecies, quae Gethyllis eſt; Cuiete quam melius Creſcentiam dicunt; Cupania; Cururu ſpecies duae et Serianae ſpecies tres, quae omnes ad Paullinias referuntur; Cytiſi ſpecies duae; Damaſonium ad Butomum referendum; Ranunculi ſpecies duae, priori

priori ad Sagittariam, altera ad Commelinam relata; Dioſcorea et Polygonati ſpecies ad Dioſcoream reducenda. Dodonaea ad Ilicem relata et alia Ilicis ſpecies; Dorſtenia et duae Parietariae ſpecies, quarum prima ad Dorſteniam, altera ad Vrticam pertinet; Dracunculi ſpecies tres, quarum priores ad Arum, tertia ad Dracontium refertur; Echinops; Elichryſi ſpecies duae ad Centauream et Gnaphalium relatae; Emeri ſpecies ad Æſchynomenen deducta; Equiſeti ſpecies una.

Seligamus nunc ex obſeruationibus adiectis potiores. *Erythrina inermis foliis pinnato ternatis, ſinuoſo* p. 93. *ouatis floribus ſpicatis*, ſpinis quidem deſtituitur, attamen Corallodendri ſpinoſi varietas videtur; notum enim eſt, varias plantas in calidis regionibus et in noſtris hybernaculis uti foliorum figuram mutant, ſic etiam ſpinas exuere. *Cordiam* PLVMIERII, BROVWN p. 95. in Hiſt. Iamaic. *Geraſcantum* dixit, haec vero mutatio Cl. Editori ideo diſplicet, quod genera diu recepta non mutanda, noua autem nomina aliis minus notis imponenda ſunt. *Coronae ſolis* multas ſpecies ad p. 97. *Aſteriscos* et ex recentiorum definitione melius ad *Buphthalmos* referendas eſſe, Cl. Editor monet, cum tamen ſemina non ſemper adpicta ſint, genus non certo definiri poteſt, ideoque ultimam forte ſpeciem ad *Rudbeckiam* referri poſſe concedit. *Cortuſa arun-* p. 99. *dinacea amplis cannacori foliis* conſpicua et ad *Thaliam* relata ad plantas aromatica et alexipharmaca radice praeditas omnino pertinere videtur. *Cururu* et *Seria-* p. 104. *nas* nimis ſollicite diſtinxit PLVMIERIVS. Cl. Editor itaque ſequutus eſt LINNAEVM, qui haec duo genera in unam *Paulliniam* coniunxit, ad ſeruandam memoriam SIMONIS PAVLLI Botanici Dani celeberrimi. Planta, quam ad *Ranunculum* retulit PLVMIE- p. 107. RIVS nec ad *Aliſma* nec ad *Sagittariam* pertinere credidit Cl. Editor, quoniam cum corolla tripetala et calyce triphyllo caulis folioſus eſt, licet enim folioſum

illud

illud et cordatum florale inuolucrum, quod multis *Commelinis* proprium eſt, deficiat, habitus tamen de
p. 108. reliquo egregie conuenit. *Dodonaeam* PLVMIERII iam ad *Ilicem* ſiue *Agrifolium* retulit LINNAEVS, ob inſignem habitus et floris conuenientiam. DODONAEI vero nomen, ad diſtinguendam quandam *Sta-*
p. 110. *phylodendri* ſpeciem relata fuit. *Dorſtenia* ex obſeruatione HOVSTONI ea planta eſt, quae veram *Contraieruae* radicem alexipharmacam praebet, cum autem noſtrae plantae placenta flores ſuſcipiens non ſit orbicularis, ſed quadrata et ſinuoſa foliaque profundius laciniata inueniantur, varietas eſſe videtur, niſi
p. 115. noua ſpecies iudicanda. *Emeri* ſpecies ad *Æſchinomenen* translata propius accedit ad *Seſban* PROSP. ALPINI, ſed flores magis hirſuti et in rariorem ſpicam diſpoſiti contradicere videntur.

Accedamus nunc ad recenſendas praecipuas *faſciculi ſexti* plantas, in quo occurrunt: Ereſia, quae a recentioribus Theophraſta dicitur, Euonymus, qui ad Prunum refertur, Eupatorii ſpecies quinque, quarum ultima ad Conyzam accedit, Ficus ſpecies quinque, Fuchſia, Gesneriae ſpecies duae, Galega ad Craccam pertinens, Genipa, Gesneriae ſpecies nouum genus Craniolariae conſtituens, Granadillae ſeu potius Paſſiflorae ſpecies tres, Filix ad Osmundam relata, Groſſulariae ſpecies quatuor, quae ad Melaſtoma pertinent, Guanabani ſiue Anonae ſpecies duae; Guazuma Theobromae ſpecies, Conocarpus, Guaiabarae ſpecies duae ſiue Coccolobis BROVWNII, Guidoniae ſiue Samydae ſpecies tres, Hedera arbor Araliae ſpecies, Hedyſari ſpecies duae, quarum poſterior ad Æſchynomenen refertur, Helianthemi ſpecies duae, quarum prior ad Turneram, altera ad Portulacam pertinere videtur.

p. 125. Nunc ſparſim quaedam ex obſeruationibus collecta ſubiungamus. Rarior planta eſt *Fuchſia*, tetrandria monogynia videtur Cl. Editori, nobis autem

pentan-

pentandria ſiue pentanthera, ſi enim quatuor
ſtamina adeſſent, duo certe altius, duo inferius
collocata eſſent, ut in didynamiis: calix in fru-
ctum abit truncatus, nec ullis foliolis inſtructus.
Nec minus elegans et flore et habitu eſt *Cranio-* p. 128.
laria a *Geſneriae* ſpeciebus ſeparata, ob calicem lon-
gum patentem profundius quinquifidum, corollae
ſpecioſae lacinias fimbriatas et punctatas, et tandem
ob fructificationem diuerſiſſimam: nux enim crani-
um alicuius ferae repraeſentans nomini generico oc-
caſionem dedit. *Guanabani* ſiue *Ananonae* plantae p. 134.
multae ſunt ſpecies vel etiam ſaepe varietates, quae
per totam Indiam, tam orientalem, quam occidenta-
lem, praeſertim vero per Americae partem calidiorem,
laete creſcunt et gratum et ſalubrem praebent fru-
ctum, qui praecipue in diarrhoeis et morbis bilioſis
utilis eſt. *Guajabaram* PLVMIERII ad Polygoni p. 137.
genus retulit LINNAEVS, quod flores axillares in race-
mis proferat, octo ſtamina, piſtillum triquetrum et
baccas monoſpermas obtineat et petioli florum cir-
ca caulem inſtar vaginae ducantur. Cum tamen Cl.
BROVWNIVS floris characterem in viua planta diſ-
quiſiuerit, ad *Coccolobin* Cl. Editor retulit.

XX.

Diſſertatio inauguralis de Anagallide, Auctore CAROLO LVDOVICO BRVCH, Tabernaemontano. Argentorati 1758. 4. pl. 7.

Anagallidis ſpecies, quam diſquiſitioni ſubiecit Cl. Auctor, ea eſt flore phoeniceo. Poſt amplam ſatis tractationem de nomine, genere atque iconibus huius plantae, inter quas Blakwellianam et Robertianam pro optimis habet, varia leguntur experimenta circa anagallidem inſtituta. Recentis plantae librae undecim contuſae et prelo commiſſae ſucci bruni libras quinque exhibuerunt. Per deſtillationem ex retorta primo obtinuit Noſter aquam ſapore et odore deſtitutam, deinde liquorem acidum non nihil empyreumaticum, tandem oleum craſſum empyreumaticum. Carbo in cineres redactus et elixiuatus ſal alcalinum ſuppeditauit. Cl. GEOFFROI ex planta hac ſal urinoſum ſe obtinuiſſe dicit, cuius vero Noſter nullum veſtigium inuenit. Concludit tandem ex omnibus, quae inſtituit, experimentis, anagallidem conſtare ex aqua, partibus reſinoſis, gummoſis terreisque. Quoad ſaporem anagallis ad radicem Seneckam proxime accedit, cuius quidem praecipua vis in gummoſis, anagallidis in reſinoſis partibus haeret. Vires itaque eius in genere ſunt reſoluentes et ſtimulantes. Contra melancholiam atque maniam iam dudum virtus eius commendata eſt. Porro quoque tanquam medicamentum emmenagogum, antepilepticum, purgans, ſudoriferum, diureticum et alexipharmacum planta iſta a variis auctoribus depraedicatur. Sed tandem Cl. Auctor praeſtantiſſimam anagallidis virtutem in eius vi antilyſſa ponit. Rabiei duae ſunt ſpecies, innata ſcilicet et acquiſita, et contra hanc anagallidis uſus laudatur. Fuit enim in patria Cl. Auctoris vir quidam, qui pulverem iſtius

plantae

plantae vendidit et demorſis exhibuit optatiſſimo cum effectu. Doſis eſt a drachma dimidia ad ſcrupulos quatuor de die bis ſumenda. Vulneribus quoque ex morſu animalium rabidorum quotidie ſemel adſpergendus eſt puluis iſte. Poſt adſumtum interne puluerem multi aluum experti ſunt crebriorem, alii ſudorem foetidum. Ob eximiam itaque hanc anagallidis virtutem in Ducatu Bipontino et per totum Bambergenſem principatum publico mandato iuſſum eſt, anagallidem quotannis colligi, ut ſufficiens ſemper quantitas in quauis villa aſſeruetur. Mandata ipſa in appendice diſſertationis leguntur, uti et caſus quidam, in quibus ſalutaris huius plantae uſus contra animalium rabidorum morſus declaratur.

XXI.

Noua phyſico - medica.

Academiae Scientiarum Imperatoriae Petropolitanae Praeſes et Membra ſub initium anni cIↃ IↃ CC LVIII.

Praeſes.

CYRILLVS COMES A RASVMOWSKI, Minoris Ruſſiae Hettmannus, AVGVSTAE Camerarius ordinarius, Legionis Praetorianae Ismailouicae Pro-tribunus, S. Andreae, Aquilae albae, S. Alexandri et S. Annae Eques.

Cancellariae Academicae praeſunt:

IO. DANIEL SCHVMACHER, Conſiliarius Status et Bibliothecarius.

MICHAEL LOMONOSSOW, Conſiliarius et Profeſſor Chemiae.

IACOBVS STAEHLIN, Conſil. aulicus et Prof. Eloq. et Poeſ.

IOANNES TAVBERT, Aſſeſſor et Subbibliothecarius.

Scientiis Academicis operantur et conuentus ordinarios frequentant:

GERARDVS FRIDERICVS MÜLLER, Hiſtoriographus Imp. Academiae Secretarius et Profeſſor Hiſtoriarum.

MICHAEL LOMONOSSOW, Conſiliarius et Profeſſor Chemiae.

ABRAHAM KAAV BOERHAAVE, M. D. et Anatomiae Profeſſor.*

IOSEPHVS ADAM BRAVN, Profeſſor Philoſophiae.

IO. CHRISTIANVS HEBENSTREIT, M. D. Prof. Botan. et Hiſt. nat.

AVGVSTIN NATHANAEL GRISCHOW, Profeſſor Aſtronomiae.

NICETAS POPOW, Profeſſor Aſtronomiae.

VLRICVS CHRISTOPH. SALCHOW, M. D. et Profeſſor Chemiae.

IOANNES ERNESTVS ZEIHER, M. D. et Prof. Mechanices.

FRANCISCVS VLRIC. THEODOR. AEPINVS, Profeſſor Phyſices.

SIMEON KOTELNIKOW, Profeſſor Matheſeos extraordinarius.

Academicorum etiam nomine habentur:

IACOBVS STAEHLIN, Conſiliarius aulicus et Prof. Eloq. et Poeſ.

IOANNES TAVBERT, Aſſeſſor et Subbibliothecarius.

BASI-

* Poſt illud tempus, ex quo hunc Petropoli accepimus Sociorum catalogum, obiiſſe Cl. BOERHAAVE, ex praecedenti commentariorum noſtrorum faſciculo iam conſtat.

BASILIVS TREDIAKOWSKI, Profeſſor Eloq. Ruſſicae.

IO. EBERHARDVS FISCHER, Prof. Hiſtoriarum.

Academiae Adiuncti, qui in Conuentibus ordinariis locum habent:

MICHAEL KLEINFELD, pro Anatomia.

IOSEPHVS THEOPH. KOELREVTER, M. D. pro Hiſtoria naturali.

STEPHANVS RVMOWSKI, pro Matheſi.

Adiunctorum quoque nomine vocantur:

ANDREAS KRASILNIKOW, Centurio et Obſeruator Aſtronomicus.

IOANNES TRVSCOT, et

M. IACOBVS FRIDERICVS SCHMIDT, tabularum Geographicarum conſtructores.

Academici honorarii in Imperio Ruſſico degentes:

PAVLVS CONDOIDI, AVGVSTAE Conſiliarius intimus, Archiater et Cancellariae Medicae Praeſes.

CHRISTIANVS A GOLDBACH, Conſiliarius Status actualis in Collegio extera negotia curante.

IOANNES DE GORTER, et

DAVID DE GORTER, AVGVSTAE Medici ordinarii.

GREGORIVS TEPLOW, AVGVSTAE Conſil. apud Excell. Hetmannum.

IOANNES FRIDER. SCHREIBER, M. D. Conſil. aulicus et Prof. Anat. et Chirurgiae in Noſocomiis Petropolitanis.

CAROLVS FRIDER. CRVSE, M. D. Legionum Praetorian. Medicus ordinarius.

Academici exteri quotquot fuerunt omnes ab initio Academiae. Demortui aſteriſco notantur:

1725. *CHRISTIANVS L. B. DE WOLFF, Marburgi.
*IOANNES BERNOVLLI, Baſileae.
IOANNES POLENI MARCHIO, Patauii.
*PETRVS ANT. MICHELOTTI, Venetiis.
1731. *HANS SLOANE, Eques, Londini.
*HERMANNVS BOERHAAVE, Lugduni Bat.
*FRIDER. HOFFMANN, Halae Magdeb.
*IACOBVS HERMANN, Baſileae.
*GEORG. BERN. BVLFFINGER, Tubingae.
1733. DANIEL BERNOVLLI, Baſileae.
*MICHAEL LILIENTHAL, Regiomonti.
1735. IOANNES IAC. D'ORTOVS DE MAIRAN, Pariſiis.
*RENATVS ANT. DE REAVMVR, Pariſiis.
IOANNES BAPT. MORGAGNI, Patauii.
GODOFREDVS LENGNICH, Gedani.
IOANNES ROVSSET, Hagae Comitum.
1738. *IOANNES SIMON BECKENSTEIN, Regiomonti.
PETRVS LVDOV. MOREAV DE MAVPERTVIS, Pariſiis.
1739. ANTON GAVBIL, S. I. Pekini.
1741. IO. DANIEL SCHOEPFLIN, Argentorati.
*IO. HENR. SCHVLTZ, Halae Magdeb.
*IO. GABRIEL DOPPELMAIER, Noribergae.
LEONARDVS EVLER, Berolini.
1744. *GEORG. WOLFG. KRAFFT, Tubingae.
GODOFREDVS HEINSIVS, Lipſiae.
1746. SALVATOR FRANCISCVS MORAND, Pariſiis.
*IOANNES IAC. MARINONI, Viennae Auſtr.
FRANCISCVS DE VOLTAIRE, Berolini.
N. DE PERARD, Stetini.
1748. IOANNES SAMVEL FORMEY, Berolini.
1749. *ANGELVS MARIA QVIRINI, S. R. E. Cardinalis, Brixiae.
IOSEPHVS ANDR. COMES DE ZALVSKI, Varſauiae.

M. D'AN-

N. D'ANVILLE.

GEORGIVS PARKER COMES DE MACLESFIELD, Londini. 1753.

CRISTIANVS GOTTLIEB KRATZENSTEIN, Haſniae.

GERARDVS VAN SWIETEN, Viennae Auſtriae. 1754.

IACOBVS BRADLEY, Londini.

HVMPHREDVS SIBTHORP, Oxoniae.

N. DE LA CONDAMINE, Pariſiis.

ALEXIVS CLAIRAVT, Pariſiis.

PETRVS VAN MVSCHENBROEK, Lugduni Bat.

CHRISTIAN. BERN. ALBINVS, Lugduni Bat.

HIERONYMVS DAVID GAVBIVS, Lugduni Bat.

IOANNES ANDR. DE SEGNER, Halae Magdeb.

CAROLVS LINNAEVS, Vpſaliae.

PAVLVS FRISIVS, Piſis. 1755.

PHILIPPVS ADOLPH. BOEHMER, Halae Magd. 1756.

IOANNES GEORGIVS ROEDERER, Goettingae.

IACOBVS THEODORVS KLEIN, Gedani.

NICOLAVS LVDOV. DE LA CAILLE, Pariſiis.

COELESTINVS CHRIST. FLOTWEL, Regiomonti.

CLAVDIVS NICOLAVS LE CAT, Rothomagi. 1757.

Commemorata iamiam Imperialis ſcientiarum Academia Petropolitana diem almae nutricis ſuae nomini ſacrum celebrauit ſuperiore anno 1758 die ſeptimo menſis ſeptembris ſtyli veteris ſolemniore conuentu, in quo *de ſimilitudine vis electricae atque magneticae* Cl: FRANCISCVS VDALRICVS THEODOSIVS AEPINVS, Phyſices Experim. et Theor. Prof. P. O. publice diſſeruit, atque Cl. SIMEON KOTELNIKOW, Mathem. Prof. P. Extraord. *theoriam aſcenſionis vaporum* ruſſica lingua explicauit.

Eadem porro occaſione *Idem* illud Collegium praemia de commentariis ſuper duplici quaeſtione olim

 ad

ad annos 1757 et 1758 propoſita *, ipſi exhibitis decreturum, declarauit, eos, quos acceperit, nec voluntati ipſius feciſſe ſatis, neque numero ad delectum requiſito, ipſi fuiſſe exhibitos; hinc ſe velle, ut *eaedem quaeſtiones in poſterum quoque maneant propoſitae, praemiaque eo tempore conferantur, quo de quaque materia diſſertationes adfuerint, quae iure ſuo ad certamen concurrere poſſint.*

Argumentum ad praeſentem annum 1759 referendum, *de ſexu plantarum inueſtigando*, nuper iam a nobis fuit indicatum.**

Nouam porro quaeſtionem, cuius diſquiſitiones anno 1760 examinari debent, *Eadem* exhibuit Illuſtris Academia: *Indagare* nimirum *experimentis refractionem radiorum lucis in diuerſis corporibus, tam ſolidis, quam fluidis, indeque eruere, quantum diuerſae grauitati ſpecificae corporum, quantumque variae particularum cohaeſioni, aut principiis corpora conſtituentibus, magnitudo refractionis debeat, idque omne per theoriam, quae inſtitutis experimentis reſpondeat, explicâre.* Conditiones iam ſatis notae, ſub quibus centum aureorum praemium optimae ſingularum quaeſtionum diſcuſſioni promittitur, obtinent adhuc eaedem. Ante diem porro primum menſis iunii cuiusque anni diſſertationes cum Academia communicandae, ipſi debent exhiberi.

Quam Regia *Gottingae* florens ſcientiarum Societas quaeſtionem phyſicam, ad annum, quem iamiam agere coepimus, 1759 eruditorum diſquiſitioni propoſuerit, nuper quidem ad lectores noſtros retulimus. *** Suum vero illa mutauit ex iſto tempore conſilium, et in illius theſeos locum aliam exhibens, *veram*

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 545.

** l. c. Vol. VI. P. III. p. 541.

*** l. c. Vol. VI. P. III. p. 544.

veram rubri coloris in ſanguine obuii cauſſam nunc cupit indagandam. Vel iam ſatis huc uſque inter phyſiologos cognitas, nunc vero magis certiusque confirmandas, vel alias his potiores et rectiores viſas cauſſas ſuppeditare poterunt viri docti, dummodo veritatem attigerint.

Eadem Ill. Societas in ſolemniore conuentu nuperrime decimo octauo die menſis nouembris 1758 habito Viri Cl. IOANNIS AVGVSTI SCHLETTWEIN, artium et philoſophiae in Academia Ienenſi Magiſtri, commentarium ſuper oeconomica olim propoſita * quaeſtione *de frumenti per macerationem augenda foecunditate* ad ipſam miſſum praemio huic diſquiſitioni optimae promiſſo, cohoneſtauit.

In eodem *Illa* inſuper conuentu medicum Lucenſem Clariſſimum, IOSEPHVM BENVENVTVM, in eorum claſſem a ſe relatum eſſe declarauit, quibuscum ipſa literarum habeat commercium.

Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſis* propoſuit nuper argumentum, cuius optimae diſcuſſioni praemium conſuetum adiudicabit ſequenti anno 1760. ut nimirum, doctrina de fiſtulis in genere riteque explicata, optimus determinetur modus, quo illae pro diuerſis, in quibus obuenire poterunt, corporis partibus curari debeant. Quod fiſtulam quidem attinet lacrymalem illamque in canali ſaliuali obuiam, hac copioſius explicanda ſuperſedere poterunt hanc materiam expoſituri, niſi nouas iis, quas de his generibus iam publicauit Academia, adiicere poſſint obſeruationes.

Berolinenſis Regia Scientiarum Academia praeter alios viros doctos, ſociorum claſſi nuper adſcriptos,

 ex

* l. c. Vol. V. P. IV. p. 722.

ex medicis etiam ſequentes ſodalium titulo atque honore condecorauit: IANVM PLANCVM, (GIOVANNI BIANCHI) Medicum Ariminienſem Primarium, IOANNEM IACOBVM LEIDENFROST et IACOBVM REINHOLDVM SPIELMANN, utrumque Medicinae Profeſſorem Argentoratenſem et IOANNEM FRIDERICVM CARTHEVSER, Francofurti ad Oderam Botanices Profeſſorem, et, quem inſuper nominemus, uti Virum de hiſtoria naturali meritiſſimum, IACOBVM CHRISTIANVM SCHAEFFER, Ratisbonenſem verbi diuini Miniſtrum.

Halenſis Academia ciuitasque iacturam fecere nuper ſatis grauem Viri, quo aetate adhuc iunioris, eo magis propter induſtriae et eruditionis merita aeſtimandi, CHRISTIANI FRIDERICI IAMPERT, Med. D. qui ſuperiore anno, die menſis iunii viceſimo tertio febre acuta extinctus fuit anno aetatis viceſimo nono. Quidnam ab ipſius ſtudio expectare potuerit eruditus orbis, praeter alias ab ipſo conſcriptas diſſertationes, vel quoque *ſpecimina phyſiologiae plantarum* alio tempore a nobis recenſita *, teſtantur.

XXII.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt.

Verhandelingen vitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weeten Schaappen te Haarlem. Eerſte Deel, Tweede Druck. Te Haarlem, 8. c. f.

Verhandelingen, vitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weeten Schappen te Haarlem. Tweede Deel. Te Haarlem, 8. c. f.

Nuova

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. II. p. 274 ſeqq.

Nuova Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici. Venezia, 12.

Diſcorſi epiſtolari ſopra i fuochi di Loria. Venezia, 4. (*Auctor Cl.* IOAN. LARBER.)

Underrättelſe om ſtroem mingars anſande och faltande författad och utgifwen pa K. Commerce Collegii befallning. Stockholm.

CAR. ALSTON, ſecond Diſſertation on quiklime and Lime-Water. London, 8.

Hiſtoire de l'hydrocephale de Begle jusqu'au 13 Sept. 1755. par M. BETBEDER; à Bourdeaux, 12.

FRANCISCI BOOGERZ, Diſſertatio inaug. de conſtitutione atmoſphaerae Hollandiae eiusque efficacia in corpus humanum. Lugd. Bat. 4.

GVILIELMI BROVGHTON, Diſſ. med. inaug de ulcere uteri. Edinburgi, 8.

IOHANNIS CABBEL, Proluſio med. inaug. de animi pathematibus quatenus morborum cauſis. Edinburgi, 8.

Traité des ecrouelles, par M. CHARMETTON. à Lyon, 8.

OLAI DECKBERG, Beskrifning huru et Kälſoſamt win i ſwerige lätt kan tilwärkas. Stockholm.

IOHANNIS MAC DONNELL, Diſſ. med. inaug. de calculo. Edinburgi, 8.

RICHARDI ECROYD, Diſſ. med. inaug. de rachitide. Edinburgi, 8.

GVILIELMI FARR, Diſſ. med. inaug. de uſu mathematices et philoſophiae naturalis in medicinae ſtudio. Edinburgi, 8.

GEORGII FORREST, Diſſ. med. inaug. de ventriculi concoctione laeſa. Edinburgi, 8.

CAROLI GIANELLA. Orat. Non ſemper ex cadauerum ſectione colligi poteſt: rectene an perperam ſit curatio morbi inſtituta? Patauii, 4.

SIMON GOOLD, Diſſ. med. inaug. de ventriculi imbecillitate. Edinburgi, 8.

IOHAN-

IOHANNIS HALL, Diſſ. med. inaug. de febre acuta puerperis ſuperueniente. Edinburgi, 8.

PEHR HOGSTRÖM, om orſakerna hwarföre fäden mera ſkadas af köld pa ſomliga orter Norrland än på andra. Stockholm.

Eiusd. Kort berettelſe om lapparnas biörnefänge ſamt deras derwid brukade widskeppelſe. Stockholm, 8.

C. F. IAMPERT, Specimen phyſiologiae plantarum II, quo dubia contra vaſorum in plantis probabilitatem continuantur. Reſp. *F. C. Schwalbe.* Halae, 4.

SAMVEL KLINGENSTIERNA, Tal om de nyaſte Rön wid Electriciteten. Stockholm.

LAVCHLIN MAC LEANE, Diſſ. med. inaug. de eryſipelate. Edinburgi, 8.

Eclairciſſemens eſſentiels pour parvenir à preſerver les dents de la carie et à les conſerver jusqu'à l'extreme vieilleſſe, par M. L'ECLVSE. à Paris, 12.

CAROLI LINNAEI Diſſ. Somnus plantarum. Reſp. *Petr. Bremer.* Vpſal.

Eiusd. Diſſ. Fungus Melitenſis. Reſp. *I. Pfeiffer.* ibid. 4.

IOANNIS MACFARLAN Diſſ. med. inaug. de dyſenteria. Edinburgi, 8.

GVALTERI MAXWELL, Tentamen med. inaug. de emeticorum uſu. Edinburgi, 8.

CAESAREI POZZI, Epiſtola ad ANTON. LAGHI *notitiam experimentorum de irritabilitate partium corporis humani repetitorum exhibens.* Florentiae, fol.

Phyſicae generalis methodo mathematica tractatae Tomus primus. Auctore IOANNE BAPTISTA SCARELLA. Brixiae, 4.

AEGIDII SIEBEN, Diſſ. inaug. de nephritide. Lugd. Bat. 4.

HENR.

HENR. TENCKE, Inſtrumenta curationis morborum depromta ex pharmacia galenica et chymica, chirurgia et diaeta, editio quarta emendata. Lugd. Bat. 12.

Iſtoria et Fenomeni del Veſuvio eſpoſti dal P. GIOV. MARIA DELLA TORRE. Napoli, 4.

IACOBI WAINWRIGHT, Diſſ. med. inaug. de hydrocephalo. Einburgi, 8.

IO. ERNEST. BASIL. WIDEBVRG, Diſſ. inaug. de microſcopio ſolari et praeſertim noua aliqua eiusdem inſtructione. Reſp. *Laur. Io. Iacob. Lange.* Erlang. 4.

XXIII.

Supplementum indicis Scriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt.

Philoſophical Transactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies and labours of the ingenious, in many conſiderable parts of the world. Vol. XLIX. Part. I. for the Year 1755. London, 4. c. f.

Saggi di medicina degli Academici conghietturanti di Modena. Tomo I. Carpi, 4.

Actorum phyſico-medico-forenſium Collegii Medici Onoldini. Vol. II. Onoldini, 4.

Berättelſe om K. Collegii medici Göremal och författningar til Siukdomars botande och för Kommande i Riket, i ſynnerhet Sedan Siſta Riksdagen. Stockholm.

Deſcrizione di tutte le pietre ed ornamenti che ſi ammirano nella fabbrica dell' Imperial Capella dei repoſiti degli eſtinti Granduchi della Toſcana. Edizione ſeconda corretta ed accreſcinta. Firenze, 8.

Lettera ſcritta dal Sig N. al Sig. COSIMO SIRIES. (*Lucca*) 8. *Contra chirurgiae Profeſſorem Florentinum*, DOMINICVM MASOTTI, *ſcripta eſt haec epiſtola, ut probetur*, COSMAM SIRIES, *non*

vero

vero MASOTTI, *inſtrumentorum ab hoc commendatorum lithotomiae inſeruientium, eſſe auctorem et inuentorem.*

Lettere ed Opuſcoli Ippiatrici; o ſino intorno la Medicina de Cavalli; con l' aggiunta d' una breue Farmacopea Ippiatrica; o ſia ſcelta di Ricette per curare i loro mali, ed un Compendio Ippoſteologico, o Sia breue Trattato Sopra le oſſa di Cavallo. Vol. I. in Arimino, 8. (*Auctor eſſe dicitur Cl.* FR. BONZI.)

A new and complet Dictionary of Arts and Sciences, comprehending all the branches of uſeful knowledge, with accurate deſcriptions as well of the various machines, inſtruments, tools, figures and ſchemes neceſſary for illuſtrating them, as of the claſſes, kinds, preparations, wheter Animals, Vegetables, Minerals, Foſſils or Fluids; together with the Kingdoms, provinces, cities, towns and other remarkable places in the known world; illuſtrated by above three hundred copperplats; the whole extracted from the beſt authors in all languages; by a Society of Gentlemen. 4 Voll. London, 8.

Würtenbergiſche Medicinal-Ordnung. Stuttgard, fol. et 4.

Würtenbergiſche Apothekertaxa. ibid. fol. et. 4.

PETR. ION. BERGIVS, Förſöck til de uti ſwerige gangbare Stuck domars utrönande för Aor 1755. Stockholm, 8.

FRIEDRICH BÖRNERS *Nachrichten von den vornehmſten Lebens-Umſtänden und Schriften jeztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher in und um Deutſchland. Dritten Bandes viertes Stück. Wolffenbüttel,* 8.

Sermo academicus de inſignioribus telluris mutationibus habitus a IOSEPHO ADAMO BRAVNIO. Petropoli. 4.

Diviſa-

Diviſamento critico Sulle correnti opinioni intorno a fenomeni del Veſuvio e degli altri Volcani; dal P. GAETANO D'AMATO. in Napoli, 8.

PEHR KALM, Diſſ. trän och häckar eller lefwande Gaordes-Gaordar beskrefne. Reſp. *Dav. Er. Hofmann.* Abo.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED, Progr. de ſcirrho hepatis inueterato curato. Ien. 4.

Eiusd. Pr. de raro caſu, ubi inteſtinum rectum in veſicam urinariam inſertum fuit. ibid. 4. c. f.

I. MICHEL LAMBERTI, Lettera al Signor BIANCHI unite a quella diverſe obſervazioni ſopra la ſenſibilita del pericranio e tendini degli uomini. Aleſſandria della Paglia. 8.

Traité des eaux minerales de Spa; par IEAN PHILIPPE DE LIMBOVRG. Seconde Edition, revûe, corrigée et augmentée par l'auteur; à la quelle on à joint une Carte des environs de Spa; à Liege, 8.

WILH. MAC-NEVEN, Specimen Siſtens experimenta quaedam, quibus conſtitit, eas partes eſſe ſenſu praeditas, quibus HALLERVS cum aliis quibusdam omnem ſentiendi facultatem cum irritabilitate denegat. Reſp. *Ignatius Radniczky.* Pragae.

CHRIST. LVD. MOEGLING, Diſſ. Anaemia theoretice et practice perluſtrata. Reſp. *Chriſtoph. Godofred. Richter.* Tubing. 4.

FR. PALMQVIST, Grunderne til Mechanicken. Stockholm, 8. c. f.

IOSEPHI RAMAZZINI, Oratio in funere MORANDI MORANDI, Finarienſis Ateſtani Principis Conſiliarii Medici et Coniecturantium Academiae Praeſidis. Mutinae, 4.

Contenta in hac parte.

1. Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la deſcription du Cabinet du Roi Tom. VI. p. 3.
2. I. S. HALLER *die Naturgeſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die Vierfüsſigen* cet. p. 15.
3. IMBERT Tentamen medicum de variis calculorum biliariorum Speciebus cet. p. 26.
4. KRAMER Elenchus vegetabilium et animalium Auſtriae inferioris p. 33.
5. LVDWIG Inſtitutiones hiſtorico phyſicae regni vegetabilis p. 35.
6. ROEDERER de uteri ſcirrho p. 42.
7. EIVSDEM Obſerv. med. de partu laborioſo Decas. I. et II. p. 45.
8. NORDMANN Diſſ. de iſchuria grauidarum p. 53.
9. BÜCHNER Diſſ. de viribus vitri antimonii cerati p. 54.
10. VANDELII Diſſertationes tres de Aponithermis cet. p. 56.
11. Saggi di Medicina degli Accademici Conghietturanti di Modena Tom. I. p. 64.
12. Eſſays and obſervations phyſical and litterary. Tom. II. Edinbourgh. p. 68.
13. BIANCHI de bagni di Piſa p. 104.
14. Raccolta d' opuſcoli ſcientifici et filologici Tom. L et LI. p. 110.
15. Noua Acta phyſico medica Academiae Caeſareae Naturae curioſorum Tom. I. p. 113.
16. BRENDEL Diſſ. de pleuritide vernali et aeſtiua p. 154.
17. *Der mediciniſchen Societaet in Budiſſin Sammlungen und Abhandlungen aus der Arzneygelahrheit* p. 159.
18. PLACENTINI Diſſ. de vena, quae in morbis particularium partium ſit ſalutarius incidenda p. 164.
19. PLVMIERII plantarum americanarum faſciculus V et VI. p. 174.
20. BRVCH Diſſ. de anagallide p. 178.
21. Noua phyſico-medica p. 179.
22. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755. prodierunt p. 186.
23. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt p. 189.

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS VII. PARS II.

LIPSIAE. MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iũn. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Recueil Periodique d' Obſervations de Medecine, de Chirurgie et de Pharmacie. Tome III. à Paris, chez Ioſeph Barbou, MDCCLV. 8. alph. 1. pl. 7.

i. e.

Collectio periodica obſeruationum ad artem ſalutarem, chirurgiam et pharmaciam pertinentium. Tom. III.

Inter numeroſas, quae hic occurrunt obſeruationes, eas, quae aliis praeſtant, recenſendas curauimus, ad reliquas quod ſpectat, ſummam contentorum apponere, ſufficiet.

In *menſis Iulii* 1755. *Articulo I.* deprehenduntur:

1) *Obſeruationes de calculis veſiculae fellis.* Aucto p. 5.
re Cl. VARNIER. Inter alia, quae in multis iam de eiusmodi argumento editis libellis accuratius pertractata habemus, notamus, quod uſurpato infuſo ſaluiae nec non lauatione urinae calidae et recentis non nulli aegrotantes a calculis liberati fuerint.

2) *Obſeruatio de veſica urinaria in epigaſtrium uſ-* p. 11.
que tendente. Auctore Cl. LE CLERC.

3) *Obſeruatio de puſtula quadam digitum periodice* p. 15.
occupante. Auctore Cl. HOIN. Iuuenis, cuius digi-

tus index ad radicem unguis acu pungitur, impudicorum more foeminae cuiusdam partes genitales eo ſtatim tangit. Quo facto puſtula quaedam eodem hocce die digitum occupat, quae elapſis quatuor diebus in ſuppurationem abit, et deinde exſiccatur. Notatu autem dignum videtur, quod puſtula omni menſe, atque eodem quidem tempore, quo iſti foeminae menſes fluxerunt, digitum iterum occuparit, atque iſtud malum tamdiu obſeruatum fuerit, uſque dum multis remediis externis incaſſum adhibitis, lapide tandem infernali per plures dies applicato hincque ſuppuratione larga excitata mali regreſſus impeditus prorſus fuerit.

p. 17. 4) *Continuatio obſeruationis de Ptyaliſmo ſcorbutico, menſi Maio. Tom. II. inſertae.*

p. 20. 5) *Auctorum diarii,* Bibliotheque raiſonnée, *dicti ſententiae de diſſertationibus* Cl. SAVVAGE, *febrem et inflammationem concernentibus.* Oſtendunt nimirum, quod Cl. SAVVAGE in refutanda BELLINI theoria occupatus totum hoc animae tribuerit commercium, STAHLIVM hac in re omnino ſecutus.

p. 33. 6) *Litterae* Cl. MORAND *ad Editorem huius diarii* exaratae occaſione viri ſupra modum obeſi, cuius mentio menſe Aprili 1755. facta eſt, plures itidem obeſos praeter naturam commemorat.

p. 35. 7) *Obſeruatio de monſtro quodam.* Auctore Cl. BROSILLON. Puer nempe natus fuit, cuius regioni epigaſtricae portio quaedam corporis, peluis nimirum cum adnexis extremitatibus inferioribus alius infantis, adhaeſit. Hanc peluim ligamentum quoddam debile, cartilagini xyphoideae inſertum, pariterque cutem, a cute pueri completi productam, firmaſſe, atque urinam, quod notabile eſt, per partes genitales, infanti proprias, itidemque per adnexi corporis partes effluxiſſe, legimus. Elapſis aliquot a partu ſeptimanis puer iſte obiit. Corpore dein diſſecto inter alia, quae repererunt, notamus, in adnexo

nexo corpore peregrino unum renem cum ſuo uretere, veſicam atque urethram cum corporibus cauernoſis, teſtes vero nullos apparuiſſe.

8) *De diuerſis agarici interne et externe uſurpati effectibus obſeruationes* communicauit Cl. ROCHARD, oſtendens, agaricum ſecurum eſſe remedium ſtypticum, cuius virtutes in ſiſtendo fluxu ſanguineo, per aluum exeunte, inque narium nec non membrorum amputatorum haemorrhagia compeſcenda expertus laudat. p. 37.

9) *Obſeruatio de uſu Chinae in febribus.* Auctore Cl. MOVBLET. Examinato febrium charactere Cl. Auctor oſtendit, eum in ſolidorum relaxatione atque hinc dependente humorum viſcoſitate conſiſtere. Cum igitur omnium remediorum conuenientiſſima iudicet, quae tonica ſimulque ſudorifera ſunt, hasque proprietates ſecundum huius ſententiam cortex peruuianus poſſidet, eum igitur tanquam ſpecificum commendat, ita tamen, ut, euacuationibus praemiſſis, pro diuerſae dein anni tempore porro pro diuerſa febrium indole et aegrotantium etiam natura talia inſimul cum cortice iungantur remedia, quae laudatas eius virtutes vel exaltant vel moderantur, quaeque corticem in quolibet corpore utilem omnino reddunt. Cuncta enim remedia, quae febribus mederi dicuntur, eum in finem exhiberi aſſerit, ut corpus ſufficienter praeparetur, quo cortex demum ſuam vere exercere queat efficaciam. p. 49.

In *Articulo II.* ſequentia traduntur:

1) *Academiae regiae chirurgicae conuentus publicus*, in quo 1. Cl. PIPELET *obſeruationem de curatione herniae inteſtini gangraenoſi, cum ſingularibus rerum attributis coniunctae.* 2. Cl. HOVSTET, *de peculiari quadam exoſtoſis ſpecie.* 3) Cl. RVFFEL, *obſeruationes de bonis effectibus cauterii ſaepius in epilepſia adhibiti.* 4. Cl. LOVIS *de calculis urinariis extra vias* p. 60.

 urina-

urinarias formatis, et 5. demum Cl. DV BERTRAND *hiſtoriam vulneris hepatis et diaphragmatis curati* praelegerunt.

p. 61. 2) Cl. c. * * *obſeruatio de pernicioſo cauſticorum uſu.* Empiricus quidam tumori cyſtico, a femore ad ſuras uſque ſe extendenti cauſticum aliquoties applicuit, ita, ut dolore ſummo excitato et tumore de die in diem in peius ruente, atque gangraenoſo dein facto aegra tandem febre inſigni multisque ſymptomatibus valde moleſtis afflicta vitam amiſerit.

p. 68. 3) *Litterae* Cl. CHABROL ad Cl. GALABERT *ad agaricum ſpectant.* Iſtis probatur quod agaricus rite applicatus, licet a quibusdam accuſetur, optimo tamen cum ſucceſſu in amputatis membris haemorrhagiam compeſcuiſſe viſus ſit.

Articulus III. continet

p. 74. *Obſeruationes*, quas *de examine chemico aquae mineralis* Cl. CALSABIGI a Cl. VENEL et BAYEN inſtituto exhibet Cl. H. * *.

Menſis Auguſti 1755. *Articulus I.*

p. 83. 1) *Litteras* tradit, quibus Cl. SAVVAGE Auctoribus diarii, *Bibliothcque raiſonnée*, dicti, reſpondet et imputationem, quod in explicanda febris inflammationisue theoria STAHLIVM, animae cuncta tribuentem, ſecutus ſit, a ſe depellere conatur.

p. 117. 2) *De morbo epidemico, qui varias Galliae prouincias infeſtauit*, *obſeruationem* exhibuit Cl. A. * *. Fuit nimirum febris ardens cum peripneumonia lethali coniuncta. Nullus fere ſenum euaſit, itidemque debiles perierunt. Hunc morbum aeris temperiei non absque ratione Cl. Auctor adſcripſit. Aeſtate enim praeterita ann. 1754. ſubſequenteque autumno magnus obſeruatus fuit calor, quem valde frigida excepit hyems. Circa finem martii et totum fere aprilem

lem calor valde notabilis fuit, quem iterum notabile ſubſecutum eſt frigus.

3) *De morbo*, *qui* locum quendam Galliae *Bourbon-Lancy*, dictum, *aliaque circa eum adiacentia loca inuaſit et a menſe decembri* 1754 regnauit, *obſeruationem* communicauit Cl. PINOT. Ex hac ſaltem notamus, morbum hunc pleuro-peripneumonicum fuiſſe, atque ſenes omnes eo periiſſe, iuniores vero non niſi difficulter eum ſuperaſſe. Verum, etiam hic notandum eſt, quod ab ultimis menſis nouembris diebus ad finem uſque ianuarii inſigne frigus obſeruatum fuerit. p. 122.

Articulus II. continet:

1) *Litteras* ad Cl. LE CAT *datas*, *quibus* Cl. DESTREMEAV contra Cl. CHARROL demonſtrare annititur, quod agaricus in compeſcenda amputati membri haemorrhagia tantam ſecuritatem minime ſecum ferat, quantam ligatura habeat. Sequitur p. 138.

2) *Summa epiſtolae* Cl. SCHLOSSER ad Cl. MISSA, qua narratur, in amputati brachii atque pedis etiam haemorrhagia compeſcenda agaricum inſignem tuliſſe opem, ita, ut agarico ſponte decidente ſanguis, qui antea magno cum impetu ex arteria proſiluit, praeter omnem opinionem non niſi tenui quaſi filo effluxerit. Orificio igitur arteriae examinato nullum in eo coagulum, ſed id ipſum contractum repererunt, aliudque ſtatim agarici fruſtum applicantes haemorrhagiam plenarie ſuſtulerunt. p. 147.

Articulus III. continet:

• *Obſeruationem hiſtoriae naturali et pharmaciae* inſeruientem. Obſeruauit nimirum Cl. MORAND anno 1749. pruna ſylueſtria ſolitis maiora, figuraque ouali praedita. Haec ulterius examinans, aperturam ad interiora uſque penetrantem, atque nucleorum defectum reperit. In cauſam igitur inquirens p. 150.

coniicit, pruna in incremento adhuc conſtituta ab inſecto quodam puncta fuiſſe, hocque viam ſibi ad interiora parans nucleos adhuc iuniores conſumſiſſe, ita, ut pruna dein in talem excreſcentiam degenerare potuerint. Quae coniecit a Cl. REAVMVR confirmata eſſe videntur. Hic enim tale quid iam obſeruauit, et inſecta vere in iisdem reperit. Tandem etiam notat, pruna haec non adeo auſtera, ſed magis mitigata, oleoſa et quaſi balſamica fuiſſe, hincque virtutem eorum diſquirens ſuccum eorundem ſucco acaciae agyptiacae aequiparat, illumque huic ſubſtituendum eſſe, cenſet. Cauſam autem, cur iſta pruna non adeo auſtera ſed leniora fuerint, itidem in inſecta transfert. Notat enim, ficus in inſula, Milo dicta, dari domeſticas, quae, ut Cl. TOVRNEFORT commemorat, haud prius maturitatem acquirunt, ac ſi ab inſectis punctae ſint, quare etiam fieri perhibet, ut incolae iſtius inſulae ad accelerandam maturitatem ipſa inſecta a ficubus ſylueſtribus depromant ibidemque transferant.

p. 165. In *menſis ſeptembris* 1755. *Articulo I.* occurrit: *Quaeſtio a* Cl. HAZON propoſita. *An diaeta omnibus neceſſaria, magis vero Lutetiae Pariſiorum incolis?* Quae in partem affirmatiuam reſoluitur. Hic ſaltem notamus, diſſertationem hanc latine ſcriptam et huic diario inſertam in gratiam exterorum, Lutetias tendentium, exaratam eſſe, quo nimirum normam, ſanitatem conſeruandi, habeant.

p. 182. 2) *Epiſtola* Cl. DARLVE *ad* Cl. MOLINARD *de rabie hancque curandi methodo.* Multos nimirum homines, partim a lupo partim a canibus furioſis demorſos, ope unguenti mercurialis, quod vulneribus affricuit, atque turpethi mineralis interne etiam ſumti auxilio a rabie praecauit, quorum non nulli aliquo iam tempore poſt inflicta vulnera elapſo ipſisque vulneribus iam ſanatis, metu, ne fierent furioſi, ad Cl.

Auctorem

Auctorem venerunt, quibus idem remedium interne et externe porrexit, atque immunes reddidit, quid? quod ſe ipſum, a cane rabido demorſum, iisdem his remediis uſurpatis curauit, atque a rabie praecauit, licet ab eo tempore, quo demorſus fuerat, menſis iam praeterierit. Notamus autem, omnes demorſos, remedia ante euolutae rabiei ſigna uſurpantes, atque non nullos, in quibus venenum hoc ſeſe iam manifeſtauit, remediis his uſurpatis a rabie ſaluos manſiſſe, quosdam autem obiiſſe.

3) *Continuatio obſeruationum de rabie.* Prima obſeruatio ex litteris, quas Cl. STARR ad Cl. HUXHAM dedit, depromta eſt. Demorſo nimirum equo externe applicuit unguentum mercuriale, interne autem laudatum illud in rabie remedium anglicanum, lichenem nempe cinereum terreſtrem et piper nigrum cum lacte ei exhibuit. Licet autem hoc animal per aliquot tempus a rabie liberum manſerit, iſtud tamen ea dein correptum trucidatum fuit. p. 203.

Obſeruatio ſecunda adducitur ex Cl. GMELIN p. 205. diſſertatione inaugurali, ubi remedii ſpecifici contra rabiem, febres malignas, peſtilentiales, putridas, inflammatorias cum ſingultu, mania, melancholia cet. ſtipatas mentionem fecit. Remedium hoc anglis uſitatum ita deſcribitur: ℞ Muſci, Cinnabaris, Coccinellae aa. gr. XVI. Hoc in febribus, malignis ad gr. 8. 10. et 12 in maniacis vero ad gr. 24. et in inflammatoriis tandem ad gr. 12. exhibitum opem omnino tuliſſe referunt. Aſt definitum tamen non eſt, utrum iſtud remedium eos, qui rabie correpti fuerunt, immunes reddiderit.

Tertia tandem obſeruatione ſequens contra rabiem commendatur remedium. ℞ ſpiritus vini ℥ij opii gr. V. Moſchi gr. VIII. Cinnabaris artificialis gr. 49. M. Fiat Potio. Aſt, nihil in homine demorſo praeſtitit; febre enim inſigni correptus periit. p. 207.

p. 208. 4) *Epiſtola* Cl. RAVIIN *ad* Cl. DARIO, *ſeniorem, de inſitione variolarum* continet epitomen argumentorum, quae a duobus viris propoſita fuerunt. Alter eorum pro inſitione variolarum argumenta et obſeruationes adfert. Alter autem cuncta haec impugnat et contra ea diſputans itidem argumenta, noxam inſitionis variolarum probantia, adducit et obſeruationibus confirmat.

p. 224. 5) Anonymi cuiusdam *litterae ad* Cl. MISSA inſitionem variolarum commemorant et obſeruationem communicant, quae oſtendit, quod inſitio earum omnino periculoſa ſit. Vix enim euaſit homo, cui variolas artificiales excitarunt. Apparuere enim in tanta copia, ut merito pro confluentibus haberi potuerint.

p. 227. 6) *Obſeruatio de hydrocephalo ſeu hydrope capitis una cum oſſium cranii tranſparentia et mollitie.* Auctore Cl. BETBEDER. Dum haec litteris conſignata ſunt, caput infantis in inſignem iam abiit magnitudinem, infans autem ipſe in viuis adhuc fuit.

In Articulo II. deprehenditur:

p. 232. 1) *Epiſtola reſponſoria* Cl. CAT ad Cl. DESTREMEAV, quae agarici meminit. Hac probatur, quod agaricus nulla qualitate ſtiptica praeditus omnem vim, ſi quam exerceat, ob ſubſtantiam ſpongioſam exſerat. Ob hanc vero rationem plumaceolos ſubtiles tenui puluere abſorbente adſperſos fungo, Lycoperdon dicto, imo magis agarico praefert. Aſt et his ligaturam anteponit.

p. 234. 2) *Obſeruationem de fractis ulnae oſſibus* communicauit Cl. BARDE *. Quod alii iam annotarunt, et huic obſeruare contigit. Per quatuor nimirum menſes oſſa omnem reſpuerunt conſolidationem, idque quidem

* vid. Philoſoph. Tranſact. n. 494. p. 397. et Comment. noſtr. Vol. I. Part. IV. p. 689.

quidem ob rationem, quod foemina grauida fuit. Partu enim enixo callus ſtatim ſeſe formauit, et menſe circiter elapſo brachium reſtitutum fuit.

3) *De extirpatione excreſcentiae carnoſae obſeruationem* inſeruit Cl. MORTIMER. Fungus nimirum, extra partes genitales propendens et ad uteri orificium uſque ſeſe extendens ope fili conſtrictus demum decidit. p. 236.

4) *Calculi inſignis magnitudinis* mentionem fecit Cl. HEBERDES, Lapis iſte, qui in veſica urinaria foeminae cuiusdam repertus fuit, plus quam 33. uncias aequauit, et, quod notabile, ultimis tantum vitae diebus huic foeminae moleſtus fuit. Antea enim nullum incommodum attulit. p. 237.

Menſis Octobris 1755. *Articulus I.* continet:

Quaeſtionem medicam ſupra pag. 165. latine propoſitam, hic autem gallice verſam. p. 243.

2) *Noua ſymptomata ab alimentis in vaſe cupreo praeparatis inducta obſeruauit* Cl. COSNIER *iunior.* Duabus ſcil. horis a prandio elapſis quinque foeminae, quae cibum ex lacte cum ſaccharo in vaſe cupreo parato ſumſerunt, ſubito in regione ventriculi magnis corripiuntur doloribus, quos ſtatim vehementes comitantur conuulſiones, quae in abdomine in primis et extremitatibus ſuperioribus et inferioribus animaduertuntur. Eiulatus praeterea, quem emiſerunt, vel ululatui vel ranarum coaſſatione ſimilis atque ſenſorium commune ita turbatum fuit, ut pro delirantibus omnino haberi potuerint. Dum literis haec mandata ſunt, mater et filia natu minima malis his liberata fuerunt, reliquae autem ſanitatem nondum plenarie recuperarunt. p. 260.

3) *Exceſſum partium in pullo gallinaceo, defectum autem in duobus canibus* obſeruauit Cl. GEOFFROY. Ad pullum quod ſpectat, iſte omnes fere partes et internas et externas duplices habuit, ita tamen, ut p. 266.

perfecte

perfecte coaluerint, quarum autem non nullae, quoad exteriorem habitum ſimplices tantum viſae, interius tamen duplices apparuere. Sic duplex e. g. fuit cerebrum unico capite incluſum. Quod autem ad canes attinet, de iis in primis notandum, quod pedibus anterioribus caruerint, ita, ut diſſectis eorum corporibus ne ullum quidem pedum horum viſum fuerit veſtigium.

p. 274. 4) *Epitome relationis*, quam Cl. HOSTY, *per aliquot tempus Londini commoratus*, *de variolarum inſitione* exhibuit. Obſeruauit iſte Cl. Vir in duobus noſodochiis plus quam octogintos aegrotantes, variolis artificialibus laborantes, quorum quatuor duntaxat obierunt. Annotauit etiam, quod ii, quibus variolae arte excitantur, non adeo periculoſe decubuerint, ac in illis obſeruatum fuerit, qui eodem tempore variolis naturalibus laborarunt. Notandum praeterea eſt, quod corporis formoſitas a variolis artificialibus magis quam a naturalibus illibata perſtet, imo cuncta, ſecundum Cl. Auctoris obſeruationem, melius progrediantur, ſi arti quam ſi naturae hoc demandetur commercium.

p. 285. 5) *Meditationes criticae de hiſtoria dormitricis extraordinariae*, *menſis Februario huius diariii inſerta* * a Cl. GONTARD. Quantum ex his videre licet, affectus iſte ſoporoſus non idiopathicus, ſed ſymptomaticus fuit. Huius enim cauſam in utero latere ideoque pro affectu hyſterico eum habendum eſſe, Cl. Auctor oſtendit.

p. 293. 6) *Litterae* Cl. N.** *ad Editorem huius diarii*, in quibus *abſtinentiae extraordinariae* mentio facta eſt. Puella enim quindecim annorum a d. 6. Decembr. 1754. uſque ad diem 20 Iunii 1755. ab omni cibo et potu abſtinuit, deinde autem ſenſim ſenſimque iterum potum aſſumſit, ita tamen, ut non niſi pauxillum una vice, ob deglutitionem difficilem, ſorbere potuerit.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 80.

potuerit. An vero et ſolidiorem dein cibum aſſumſerit, dictum non eſt. Aſt memoratu dignum videtur, quod durante abſtinentia nec perſpiratio nec ulla quoque alia euacuatio in puella obſeruata fuerit, perſpiratione autem iterum reſtituta, puella potum ſtatim ſorbere potuerit, hocque aſſumto urinam etiam poſtea emiſerit.

7) *Obſeruationem infectionis venenatae a fungo perniciosſo inductae, huiusque veneni antidotum* addidit Cl. HATTE. Ex quatuor perſonis, quae fungos venenatos, pro eſculentis habitos, aſſumſerunt, duae, quae in ſat magna copia eos comederunt, obierunt; duae autem, quae parum ab iis ingurgitarunt, ope diarrhoeae ſpontaneae eualerunt. Cum autem nec oleum nec aqua tepida hic quidquam praeſtiterit, contra vero acetum, ſecundum aliorum obſeruationem, ad fungorum horum vim deleteriam immutandam multum valuerit, iſtud ea propter tanquam verum antidotum commendat. p. 299.

In *Articulo II*, occurrit:

1) *Obſeruatio fracturae a contritione factae una cum ſubſtantiae iactura.* Auctore Cl. ROCHARD. Ex hac tantum notamus, quod oſſa tibiae et fibulae contrita una cum reſtitutione plenaria ſubſtantiae antea per contritam deperditae ferruminata prorſus iterum fuerint. p. 315.

Menſis Nouembris Articulus I. continet:

1) *Continuationem hiſtoriae*, quam *de variolarum inſitione*, hancque inſtituendi *inſtructione* dedit Cl. HOSTY. In innumeris hominibus variolas artificiales optimo cum ſucceſſu Londini excitatas eſſe, ibique medicinam facientes praeter unum omnes ſtrenue variolarum inſitionem defendere, hic legimus. Sequuntur binae litterae quarum. p. 337.

Priores

p.341. Priores Cl. PRINGLE ad Cl. HOSTY exarauit; Poſteriores vero Cl. HADOW ad Cl. PRINGLE dedit, ex quibus notamus, homines ab anno tertio uſque ad duodecimum ad variolarum inſitionem aptiſſimos eſſe; porro ſcorbuticos, aſthmaticos, foeminas pallidas variolis artificialibus laborantes haud peius ſe habere ac alios; tandem flauas, *Blonds* gallis dictos, utpote cute tenera praeditos, pauciores variolas numerare, ac eos ſubnigro colore cuteque craſſa et firma gaudentes. Homines denique ſtrictioris habitus paulo difficilius, ſucculentioribus pleniorique habitu praeditis, decumbere animaduertimus.

p.345. 2) *Litterae* Cl. *de* BERGE ad *Editorem huius collectionis varios* commemorant *caſus qui cadauera diſſecantibus acciderunt.* Ita v. g. accidit, ut quidam, cadauer ad conficiendum ſceleton parans, ſcalpello leuiter digitum laeſit, quo autem facto malum ita increuit, ut iſte, brachio gangraena correpto, die nono obierit. Simile quid et alii, corpus febre putrida defunctum ſecanti contigit. Hic enim absque eo, ut manus laeſerit, ſtatim ac in remouendis viſceribus occupatus fuit, illas gangraena correptas extraxit. Haec igitur exempla eum in finem notata ſunt, quo ii, qui in diſſecandis cadaueribus verſantur, ſibi caueant, inſimulque a foetore, quem ſpargunt cadauera, bene ſe munire ſtudeant.

p.349. 3) *Obſeruationem de ſingulari quodam conformationis vitio* communicauit Cl. BALLAY iunior. In puella enim menſe iulio 1755. nata labia leporina, oſſium maxillarium ſuperiorum defectum, naſum praeter naturam paruum, oſſibus, naribus atque choanis carentem obſeruauit. Praeter haec annotauit uvulae defectum, nec non valde paruas orbitarum cauitates, quarum ſiniſtra oculum itidem paruum et profundius ſitum continuit, in dextra autem oculus plane nullus apparuit. Mortui infantis capite diſſecto praeter alia, quae repererunt notamus, os ethmoideum et

ſinus

ſinus frontales prorſus defeciſſe, atque cerebro et cerebello diſquiſito, utrumque ita diſſolutum fuiſſe, ut corticalis eius ac medullaris ſubſtantia diſtingui haud potuerint. Defuerunt etiam nerui olfactorii, puncta lacrymalia et vomer. Haec omnia, atque ea etiam, quae male conformata apparuere, accurate ſatis diſquiſita Cl. Auctor deſcribit.

4) *Litterae reſponſoriae* Cl. PEFFAVLT DE LA TOVR *ad litteras reſponſorias* Cl. LE CAT, *menſi iunio* 1755. *huius diarii inſertas* et *herpetem* commemorantes. p. 361.

5) *Obſeruationem de Bezoar quodam humano* tradidit Anonymus. Lapis hic, qui per aluum exiit, et oui columbini magnitudinem aequauit, variaque incommoda, dum in corpore haeſit, produxit, absque omni dubio verus calculus biliaris fuiſſe videtur. p. 371.

6) *Obſeruationem de affectu quodam maniaco* communicauit Anonymus. p. 376.

7) *De hydrocephalo obſeruationem alteram* communicauit Cl. BETBEDER. Hac obſeruatione, quae continuationem hiſtoriae hydrocephali, menſi ſeptembri huius diarii deſcripti, ſiſtit, Cl. Auctor perhibet, capitis oſſa, quae menſe Auguſto 1755. mollia et cartilaginoſa fuerunt, menſe Nouembri eiusdem anni perfecte dura et firma apparuiſſe, caput autem et adhuc in magnitudine notabile augmentum accepiſſe. Notandum praeterea eſt, quod caput manu preſſum nullo modo ceſſerit, nec etiam ullum exterioris hydropis ſignum exhibuerit. p. 381.

8) *Obſeruationem practicam* inſeruit Anonymus. p. 388.

Articulus II. largitur

Litteras Cl. CHABROL *ad* Cl. GALABERT datas, quibus *obiectioni* Cl. DESTREMEAV *ad effectus agarici in haemorrhagiis factae* obuiam itur, bonusque agarici effectus duabus obſeruationibus confirmatur. Prior enim oſtendit, agaricum arteriae, dum vena p. 390.

ſecta

ſecta fuit, laeſae applicatum, non ſolum haemorrhagiam ſuſtuliſſe, ſed vulnus etiam intra octo dies absque ullo incommodo perfecte ſanatum fuiſſe. Poſterior obſeruatio idem hoc confirmat, et enarrat, agaricum arteriae radiali, caſu diſciſſae, appoſitum ſanguis effluxum ſtatim impediuiſſe, vulnus autem optime conſolidatum eſſe.

Articulus III. continet.

p. 396. Anonymi *Meditationes de uſu antimonii crudi interno.* Antimonium, quod ex ſulphure et parte regulina, id eſt, arſenicali conſtat, nauſeas et vomitus interdum excitaſſe, obſeruatum fuit. Quos effectus non antimonio, utpote corpori ex ſulphure et regulo unitis conſtanti, ſed eius tantum parti regulinae aut ope ignis extricatae aut acido ventriculi ſolutae Cl. Auctor adſcribit. De uſu igitur antimonii in ſcabie, ulceribus, gonorrhoea, leuioribus malis venereis, febribus intermittentibus et effectibus a plumbo excitatis, in primis autem in arthritide certiſſimus, iſtud ab aliis etiam in dyſenteria, colica et vermibus laudatum commendat; aſt terrea tamen praemitti iubet, quo acidum forte in ventriculo praeſens abſorbeatur, ipſiusque antimonii poſtea tutior euadat uſus.

In *menſis Decembris Articulo I.* occurrit:

p. 403. 1) *Continuatio reſponſionis* Cl. PEFFAVT DE LA TOVR *ad reſponſionem* Cl. LE CAT *menſi Iunio* 1755. *huius collectionis de herpete inſertam.*

p. 415. 2) *Obſeruationes ptyaliſmi ſcorbutici, de quo menſe Maio huius diarii anno* 1755. *mentio facta eſt.*

p. 417. 3) *Reſponſio ad meditationes de exomphalo, menſe Maio huins collectionis* 1755. *publicatas*, a Cl. MARRIGVES ad Auctorem *huius diarii directa.* Hac demonſtrare annititur, quod vitium illud Tom. II. huius collectionis p. 31. deſcriptum, verum exomphalon verumque conformationis vitium fuerit. Sequuntur

4) *Lit-*

4) *Litterae*, quas Cl. GONTARD ad Cl. *le* CAT p. 434.
de noua huius theoria morborum exarauit, atque his theoriam hanc non ſolum defendere ſed et eandem ſimplicem, planam et ſatis firmatam eſſe, oſtendere conatur.

5) *Obſeruationes de morbo quodam ſingulari.* Au- p. 458.
ctore Cl. TRECOVRT. Morbus, quem in noſodochio quodam militari obſeruauit Cl. Auctor, inflammatorius et peripneumoniae ſimilis fuit, ita tamen, ut hac longe violentior apparuerit. Ingens enim reſpirationis difficultas, longumque inter in et exſpirationem obſeruatum interuallum, acutus ad regionem cordis dolor, pulſus paruus, oculi triſtes et lacrimantes atque arida nigraque lingua, morbum hunc periculoſum eſſe oſtenderunt. Notabile etiam fuit, quod aegrotantes, ſi ſitim, quae ingens fuit, aqua extinguere tentarint, eadem fere ac hydrophobi experti fuerint ſymptomata. Non nullis poſt mortem diſſectis corporibus cor plus minus ulceroſum, pericardium interdum adhaerens et pulmones per ſaepe gangraenoſos repererunt. Inter remedia adhibita venaeſectionem, aliquoties unius diei ſpatio adminiſtratam, maximam tuliſſe opem atque iſtum morbum ob aliis communicatum contagium contagioſum vere fuiſſe, legimus.

In *Articulo II.* deprehenduntur:

1) *Litterae*, quas *de lithotomia cum lithotomo oc-* p. 464.
culto peracta ad Auctorem huius collectionis dedit Cl. GERARD, uſumque huius inſtrumenti extollens obſeruatione quadam comprobauit, atque iſtud multo minus periculi ac alia ſecum ferre, et dolores non adeo crudeles imo cuncta ſymptomata, eo uſurpato, longe leuiora obſeruari, aliisque igitur praeferendum eſſe, aſſeruit.

2) *Obſeruatio de metaſtaſi quadam inflammatoria.* p. 468.
Auctore Cl. DOMINE.

Articulus III. exhibet.

p. 469. *Epitomen operis*, cui *titulus: Examen chemicum et phyſicum aquae cuiusdam mineralis apud* Calſabigi *repertae, comparatae cum eiusdem collis aquis, ſub nomine nouarum aquarum mineralium dominae* Belami *cognitis.* Auctore Cl. DE MARCHY.

II.

Recueil Periodique d'Obſervations de Medecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. VANDERMONDE, Docteur - Regent de la Faculté de Medecine de Paris. Tome IV. à Paris, chez Vincent. MDCCLVI. 8. alph. 1. pl. 7.

h. e.

Collectio Periodica obſeruationum ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinentium. Auctore Cl. VANDERMONDE. Tom. IV. etc.

Hic tomus a prioribus quodam modo differt. In fronte enim nomen ſuum Cl. VANDERMONDE collectionis huius editor appoſuit; Tomi autem ipſi, qui hactenus apud bibliopolam *Barbou* venditi ſunt, iam nunc apud *Vincent* proſtant. In eſſentialibus nihil mutatum eſſe animaduertimus, atque quod ad reliquas mutationes ſpectat, de his iam ſupra ſufficiens facta fuit mentio *.

In menſe *Ianuario* 1756. deprehenditur:

p. 2. 1) Praefatio, quam huic tomo praefixit Cl. VANDERMONDE, quaue oſtendit, quantam ab omni tempore obſeruationes praeſtiterint utilitatem, quid eaedem

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. I. p. 69.

eaedem in deſtruenda medicina methodica non ſolum verum et empirica valuerint, quidue tandem in ſtabiliendis rationalis medicinae fundamentis praeſtiterint. Ipſam enim medicinae theoriam obſeruationibus rite collectis ceu fundamentis niti magna cum probabilitate Cl. Auctor expoſuit. Sequuntur

2) *Litterae*, quas Anonymus quidam *ad Aucto-* p. 19.
rem huius diarii de uſu ex obſeruationibus in medicina capiendo exarauit. Hic traditur methodus, quae docet, qua ratione obſeruationibus utendum ſit, quo vera dein medicinae fundamenta iis ſuperſtrui poſſint, ita tamen, ut iſta minime appareat empirica.

3) *Norma, quae ceu exemplar medicis et chirurgis* p. 37.
ad bene colligendas obſeruationes proponenda. Auctore Cl. R.**. Ad perficiendum hunc laborem Cl. Auctori tabula illa, a Cl. CLIFFTON hunc in finem iam propoſita, aptiſſima videtur. Eam igitur commendat; optime enim obſeruationes ad eam coordinari poſſe cenſet. Haec tabula ex ſex columnis conſiſtit, quarum prima ſexum, aetatem, temperiem, occupationem et victum aegri continet; haec iterum in quatuor diuiditur claſſes, harumque prima Ingeſta, ut aerem cibum etc. ſecunda Geſta, ut motus corporis, affectus animi etc. tertia Retenta et Excre ta; et quarta demum Applicata ut aerem, vaporem,- linimentum etc. exhibet. Columna ſecunda diem morbi; tertia, morbi phaenomena; quarta, diem menſis; quinta remedia et ſexta tandem euentum comprehendit.

4) *Litteras ad* Cl. BIANCHI dedit Cl. BASSANI, p. 45.
in quibus ſententiam ratione *experimentorum de ſenſibilitate et irritabilitate partium animalium* ab Ill. HALLERO *inſtitutorum* expetit. Sequitur,

5) *Reſponſio* Cl. BIANCHI ad Litteras Cl. BAS- p. 46.
SANI, in qua iſte tendinum, membranarum et ligamentorum ſenſibilitatem oſtendit et multis accuratisque obſeruationibus confirmat. Vidit e. g. dum in

O 2 cane

cane cutem pedis poſterioris diſcidit, totum eius corpus ſpaſmo corripi, et durantibus his conuulſiuis motibus, urinam et excrementa profluere, eo ipſo autem momento doloribus ad modum ſenſibilibus afflictum fuiſſe animal obſeruauit. Poſt modum tendinem exterioris cuiusdam muſculi femoris denudauit, eumque cultello valde acuto pupugit, absque eo ut ullus motus obſeruari potuerit. Quiete dein paululum conceſſa ſecundum longitudinem tendinis denudati aciculam immiſit, hancque verſus muſculi ventrem direxit. Quam primum vero, fibris carneis hactenus intactis, tendinem antea inſenſibilem tetigit, animal iſtud momento citius conuulſionibus correptum terribilem edidit clamorem. Poſt hac aquam fortem applicuit, et ad cuiuslibet guttae applicationem dolor admodum acutus obſeruatus fuit. Tum etiam tendinem inſtrumento quodam acuto irritauit, quo facto animal doloris leuioris ſigna primo reddens paulo poſt inſignibus conuulſionibus correptum annotauit.

p. 63. 6) *Breuis diſſertatio de Agarico.* Auctore Cl. FAGET. Ex hac notamus, agaricum arteriis ſiue amputatione membrorum ſiue alio caſu diſciſſis, haemorrhagiam compeſcuiſſe et diebus aliquot elapſis ſponte decidiſſe, ita tamen, ut nullum ultra ſanguinis profluuium obſeruari potuerit.

p. 66. 7) *Noua anatomiae inuenta appoſuit* Cl. BERTIN. Duos enim canales oſſeos in maxilla ſuperiori, per quos arteriae et nerui intrant, dentibusque ramulos largiuntur, deſcripſit.

p. 68. 8) *Obſeruationes de opio.* Auctore Cl. LORRY. Licet effectus opii cum vini effectibus comparare multi ſtuduerint, iſtud tamen huic parum analogum, aut analogiam valde limitandam eſſe, obſeruationibus variis admonitus Cl. Auctor oſtendit. Ita enim in homine effectum opii non niſi altero poſt aſſumtionem die obſeruauit, hincque effectum hunc analogiae,

logiae, quam opio cum vino adſcribunt, contrarium eſſe arbitratus eſt. Opium praeterea maniaco exhibitum, furorem inſigniter adauxiſſe, contra vero vinum quietem ei conciliaſſe, annotauit. His et ſimilibus obſeruationibus Cl. Auctor demonſtrat, quod opium partim inter anodyna partim inter irritantia et conuulſiones vere excitantia referri poſſit, quodque igitur in opio viroſum quoddam lateat principium, ad cuius correctionem ea, quae hanc ob cauſam inſtituit, experimenta communicare promiſit.

In menſe *Februario* 1756. reperitur:

1) *Obſeruatio de hydrocephalo.* Auctore Cl. CASTET. Quatuor huius morbi enumerant ſpecies. Prima eſt, ſi aqua inter cutem et pericranium colligitur; ſecunda, ſi inter pericranium et ipſum cranium aquoſus haeret humor, atque binae hae ſpecies hydrocephalum externum conſtituunt. Si vero aqua inter cranium et cerebri membranas deprehenditur, vel inter membranas has et cerebrum ipſum aqua ſi reperitur, hydrocephalus internus nuncupatur. De ultima huius morbi ſpecie, ſi nimirum aqua inter cerebrum et membranas eius haeret, obſeruationem Cl. Auctor exhibuit, atque, quicquid ad definiendam deſcribendamque huius morbi ſpeciem pertineat, accurate ſatis annotatum eſſe, perſpeximus. p. 83.

2) *Hydropem aſciten cum grauiditate coniunctum* obſeruauit et curauit Cl. GARNIER. Paracenteſin enim inſtituit, hacque feliciter peracta et triginta ſex horis ab operatione elapſis foemina mortuos gemellos edidit. p. 106.

3) *Obſeruatio de paſſione iliaca, quae foeminam quandam durante grauiditate afflixit, quaeque ad omnia remedia conſueta rebellis perſtitit.* Auctore Cl. HAZON. Ceſſauit vero iſtud malum, poſtquam in balneum domeſticum foeminam ducendam curauit. p. 110.

p. 113. 4) *Symptomata moleſta ab hyoſcyamo cum lactuca aſſumto orta obſeruauit* Cl. NAVIER. Cibo nimirum aſſumto homo quidam paulo poſt caput viſumque perturbatum, brachiorum crurumue ſtupiditatem, atque tantam debilitatem ſenſit, ut tenere ſe minime potuerit, ſed mortuus fere in terram cadere coactus fuerit. Remediis non nullis aſſumtis, uſurpatisque vomitoriis ad ſe ſquidem rediit, ſed diu poſthac membrorum laſſitudinem, ſtuporem, debilitatem continuam oculosque inflammatos retinuit. Hac occaſione notam ſubiunxit Cl. VANDERMONDE, qua oſtendit, acetum in compeſcendo hyoſcyami, belladonnae aliarumque plantarum narcoticarum effectu ſtupefaciente vel et interdum lethali multum valere, eoque plantas has ita ſaepe mutari, ut earum vis non ultra nociua, ſed anodyna tantum remaneat.

p. 124. 5) *Litterae,* quas *ad Editorem huius diarii* dedit Cl. DAVIEL, varias continent res, quae ad depoſitionem cataractae pertinent.

p. 129. 6) *Epitome relationis plurium ſectionum, quas in cadaueribus inſtituit* Cl. ROCHARD.

p. 132. 7) *Obſeruatio de veſicula in cerebro reperta.* Auctore Cl. GONTARD.

p. 137. 8) *Obſeruationem* praecedenti fere ſimilem ſubnexit Cl. VANDERMONDE. In homine enim violentis conuulſionibus afflicto, et mortuo dein ad cerebellum glandulas ſcirrhoſas et vaſcula obſtructa reperit.

p. 139. 9) *Obſeruationes de aqua minerali* Cl. CALZABIGY, *deque modo ex iis extrahendi coeruleum, vulgo coeruleum Berolinenſe* dictum communicauit Cl. CADET. Coeruleum Berolinenſe, ſecundum Cl. Auctoris ſententiam, nihil aliud eſt, quam ferrum valde ſubtiliſatum, quod ope alcali fixi cum phlogiſta animalium parte coniuncti in puluerem praecipitatur plus minus coeruleum, prout nimirum portio terrae aluminoſae, ad hunc laborem ſimul adhibitae, ſe

habet.

habet. Cum igitur aquis iſtis mineralibus ſimilia principia, vitriolicum nimirum martiale et ſeleniticum ineſſe, arbitratus ſit, ſequens ea propter inſtituit experimentum: Soluit alumen contuſum in aqua bulliente, hanc ſolutionem cum aquae mineralis portione commiſcuit, ſtatimque per filtrum traiecit, poſtmodum alcali ſulphuratum, hoc eſt, alcali cum ſanguine bouino exſiccato mixtum et praeparatum adfudit, cui, ut alcali magis ſulphuratum euaderet, aliquam bouini ſanguinis portionem inſuper addidit. Quo facto ſedimentum pulchre coeruleum obtinuit.

10) *Morbillos epidemicos anno* 1754 *et* 1755 *Pragae obſeruatos deſcripſit* Cl. MAYERSBACK. p. 151.

11) *Epitome theſeos, de inſitione variolarum, quam in ſcholis medicorum Pariſienſium defendit* Cl. MORISOT DES LANDES. Praeſide Cl. MILLIN. Ad dirimendam nimirum quaeſtionem, *utrum incolis Lutetiae Pariſiorum variolarum inſitio conueniat*, vitae ea propter genus Pariſienſium diſquiſiuit, atque deinde oſtendit, variolas ſponte erumpentes magis adultos quam infantes inuadere, easque in illis ut plurimum confluentes et periculoſas obſeruari. Poſthac exponit, variolas ſpontaneas in hominibus venereis pariterque in grauidis mali ſemper moris eſſe, imo in his perſaepe lethales. His igitur aliisque multis accurate expoſitis tandem declarat, inſitionem variolarum nequaquam eſſe abſurdam, et ob rationes praegnantes omnino Lutetiae Pariſiorum inſtituendam. p. 153.

In menſe *Martio* 1756. deprehenditur:

1) *Epiſtola altera* Cl. BIANCHI ad Cl. BASSANI *de ſenſibilitate et irritabilitate partium hominis et animalium.* Poſtquam de eodem argumento priores litteras iam exarauerat Cl. BIANCHI, ad manus demum peruenit Ill. HALLERI diſputatio, qua partibus quibusdam nullam prorſus eſſe ſenſibilitatem, de- p. 163.

monſtrat. Contra hanc in praeſenti iam diſputat Cl. BIANCHI, et argumenta profert, quibus omnium partium, excepta epidermide, ſenſibilitatem defendit. En! argumenta, quibus Cl. Auctor utitur. Cum omnes uno ore affirment, quod nerui unice pro ſenſationis inſtrumentis haberi debeant, atque ſecundum Cl. BIANCHI aſſertionem nullum in ulla parte punctum inueniatur, in quo nec ullus deprehendi poſſit neruus, omnes proinde partes ſenſibiles dicendas eſſe concludit. Aſt totum corpus ex meris neruis compoſitum eſſe, ex eo deducit, quod medulla ſpinalis, ſecundum obſeruationes cum ouo incubato inſtitutas, omnium prima ſit, quae conſpici poſſit, quodque dein reliquae partes huic ſenſim paulatimque apponantur, ſeu ex eadem producantur, atque ideo ceu verae medullae propagines conſiderandae veniant. Alterum argumentum, quo ad demonſtandam corporis compagem neruoſam utitur, in eo conſiſtit, quod, ſi neruus ad partem aliquam tendens ligetur, nutritionis defectus in ea oriatur, iſta contabeſcat et pereat. Cum denique corpus utcunque vaſculoſum ſit, omnibus autem vaſculis neruoſa concedatur membrana, corpus proinde totum neruoſum eſſe, concludit. Cuncta haec variis, in praxi medica obuenientibus, phaenomenis illuſtrat, probabilia ſatis et firma reddit, ita, ut cum omnibus etiam, quae contra Ill. HALLERVM diſputata hic ſunt, ſumma omnino iuncta ſit modeſtia.

p. 176. 2) *Obſeruatio de hemeralopia.* Auctore Cl. FOVRNIER. Vitioſum hunc viſus ſtatum in plus quam ſexaginta militibus videre contigit Cl. Auctori. Oculorum igitur partes exteriores examinans, hasque in optimo ſtatu conſtitutas reperiens ſtatim coniecit, malum reſidere in retina. Quo circa vomitoria iis exhibuit, atque pone aures veſicatoria applicuit. Remedia ſperatum reddiderunt euentum. Breui enim tempore elapſo aegrotantes melius diſcernere potuerunt

erunt obiecta, atque uſurpatis et continuatis iis remediis priſtinam plane recuperarunt viſus integritatem. A perſpiratione capitis ſuppreſſa hincque oriunda humorum ſpiſſitudine ortum id eſſe malum oſtendit. Factum enim fuit, ut miles quidam, altera vice hoc malo afflictus, ad Cl. Auctorem venerit, atque rogatus reſponderit, ſe hebetiorem ſtatim acquiſiuiſſe viſum, ſimul ac caput, ſudore perfuſum, aurae valde frigidiori incautus expoſuerit.

3) *Epitome diarii experimentorum, quae ad comprobandos mercurii ſingularis, Facultati medicae Pariſienſi exhibiti, effectus in pluribus venereis inſtituta ſunt.* Referunt de hocce remedio, quod eandem quam mercurio communiter uſurpato adſcribunt, utilitatem praeſtet, contra vero ab omnibus iſtis incommodis, quae ab iſto obſeruantur, liberum prorſus inueniatur. At vero, cum hocce arcanum non deſcriptum et reuelatum proſtet, his igitur quae diximus, ſuperſedere cogimur, hoc tantum monentes, iſtud remedium unguentum fuiſſe mercuriale, quod ope frictionis membris venereorum applicarunt. p. 182.

4) *Nouae obſeruationes anatomicae de via mediaſtini ſecundum longitudinem faciei interioris ſterni.* Auctore Cl. MARTIN. p. 197.

5) *Litterae*, quas Cl. RECOLIN ad *Editorem huius diarii* dedit, ad obſeruationem a Cl. DESPUECH menſ. Nouembri 1755. huius diarii inſertam ſpectant, atque oſtendunt, haemorrhagiam arteriae laeſae non ab agarico applicato, ſed a compreſſione ſimul adhibita ſublatam fuiſſe. Declarant praeterea, quod magnum omnino ſubſit periculum, ſi, ut a Cl. DESPUECH factum fuiſſe dicitur, octo diebus elapſis omnis in tali caſu remoueatur apparatus, nec ulterius laeſae arteriae habeatur cura. Aneuriſma enim, ſi apparatus ad triginta vel et quadraginta dies relinquatur, impediri, omni autem apparatu poſt paucos dies ſtatim remoto, oriri omnino poſſe, ortumque p. 204.

ob hanc cauſam per ſaepe iam fuiſſe, Cl. Auctor experientia edoctus affirmat.

p. 208. 6) *Obſeruatio de Abſceſſu in perinaeo.* Auctore Cl. BONTE.

p. 216. 7) *Deſcriptio Angli cuiusdam, ſingularis ſpeciei, quem vulgo nominarunt The Porcupine man, ſeu Hiſtricem.* Auctore Cl. ASCANIO. Homo, qui hic deſcribitur, absque ulla deformitate, et ſine ullo vitio ſanus editus fuit: Quinque autem vel ſex ſeptimanis a partu elapſis in toto corpore multas atque paruas animaduerterunt excreſcentias, quae ſenſim ſenſimque excreſcentes veras ſetas corneae duritiei exhibuerunt. Longitudo earum ſex, craſſities vero duas aut tres lineas conſtituit. Totum corpus, excepto capite palma manus et planta pedis, undiquaque ſetis obſitum fuit, quae colore liuido praeditae et lumini expoſitae pellucidae apparuerunt, omni autumno decidentes iterumque renaſcentes. His licet obſtantibus foeminam tamen duxit, et ſex liberos, itidem cute ſetoſa praeditos, procreauit.

p. 222. 8) *Litterae*, quas Cl. MARTEAV ad Cl. RAVLLIN exarauit, *de angina gangraenoſa et epidemica* agunt. Has ſequitur

p. 231. *Reſponſio* Cl. RAVLLIN ad Cl. MARTEAV.

In *menſe Aprili* 1756. reperitur:

p. 243. 1) *Continuatio epitomes diarii experimentorum, quae praeſentibus Commiſſariis, a Facultate Pariſienſi conſtitutis, cum mercurio illo ſingulari facta ſunt.*

p. 253. 2) *Obſeruatio de ſuppreſſione diuturna urinae et excretionis aluinae in virgine, malo hyſterico affecta.* Auctore Cl. POMME, *filio.* Inter alia mala, quae foeminam hanc excruciarunt, notanda in primis venit urinae ſuppreſſio, quae per aliquot menſes durauit, ita, ut ne gutta quidem per tantum tempus exire potuerit. Veſica igitur ſollicite examinata nec ullam in ea repererunt guttulam. Balneo tandem

aquae

aquae frigidae per decem horas quotidie uſurpato urinam demum emittere valuit, atque reſtituta iterum fuit.

3) *Alui adſtrictionem, duos annos durantem obſeruauit* Cl. DEVILLIERS. Notandum hic eſt, quod iſte aegrotans, durante obſtructione quotidie vomitum expertus ſit. p. 257.

4) *Litteras, de rabie hancque curandi methodo* ad Cl. MOLINARD dedit Cl. DARLVE. Ex his videmus, unguentum mercuriale vulneribus ab animali rabido inflictis affrictum et turpethum minerale interne ſumtum multum in triſti hoc morbo laudari. Multis enim exemplis praeſtantiſſimos mercurii effectus probare ſtudet Cl. Auctor, et quamuis unum exemplum adduxerit, ubi mercurius exhibitus nihil praeſtitiſſe videtur, nihilo tamen minus de bonis mercurii effectibus Cl. Auctor omnino perſuaſus eſt. Mercurium enim ibi non rite applicatum eſſe putat, qua propter eum, ſi aliquid praeſtare deberet, diu et abſque interrupta ſerie uſurpandum imo et ſaliuationem eo interdum excitandam perque aliquot tempus continuandam eſſe, praecipit. p. 258

5) *Obſeruationes anatomicas tres* inſeruit Cl. TARGIONI TOZZETTI. In tribus diuerſis cadaueribus: 1. epiglottidem deficientem; 2. veſiculae fellis abſentiam; 3. tandem ductum pancreaticum duplicem animaduertit. p. 281.

6) *Obſeruatio de vulnere quodam capitis.* Auctore Cl. BEAVREGARD. p. 284.

7) *Obſeruatio de fractura cum deſtructione.* Auctore Cl. TRECOVRT. p. 288.

8) *Deſcriptio Mumiae vetuſtae omnium partium integritate conſeruata, haud pridem Claromontii in Aluernia detectae.* Auctore Cl. STROPE. Inter alia, quae de corporibus humanis conditis, id eſt, ſic dictis Mumiis, referunt, quaeque et hic ſollicite annotarunt, notatu valde dignum fuit, quod omnes fere partes p. 290.

eandem

eandem mollitiem habuerint, quae recens defunctis propria eſſe ſolet. Color cutis idem fere fuit, ac in mortuis obſeruatur, atque diſquiſitis partibus non nullis internis, maximam partem molles iſtas repererunt, ita, ut haec mumia reſpectu mollitiei ab aliis differat et notari hinc mereatur. Ex characteribus inuolucro externe impreſſis colligerunt, ante quingentos forte annos corpus hoc conditum fuiſſe, atque ad ipſum corpus quod attinet, iſtud hominem tredecim vel quatuordecim annorum iudicarunt. Corpus hoc et adhuc in noſodochio de Riom dicto aſſeruatur et oſtenditur. Sequitur

p. 299. 9) *Breuis corporum condiendorum hiſtoria.* Auctore Cl. ROVELLE. Varium nimirum condiendi modum ex veteribus et HERODOTO in primis collegit Cl. Auctor, huiusque artis breuem hic fecit mentionem.

p. 304. 10) *Obſeruationes de correctore opii communicauit* Cl. GARNIER. Hunc correctorem in caſtoreo ſe reperiſſe putat Cl. Auctor, iſtud enim aequaliter cum opio mixtum praeſtantiſſimos edidiſſe effectus, atque iis adeo, qui opio, absque incommodo relicto uti non potuerunt, optime conueniſſe, perhibet.

p. 309. 11) *Obſeruationem de effectu ſucci papaueris occaſione puncturae, ab ape factae*, addidit Cl. DELAISTRE. Infantis nimirum digito, ſtatim ac ab ape punctus fuit, ſuccum lacteum papaueris albi hortenſis applicuit et obſeruauit, dolores non ſolum confeſtim ceſſaſſe, ſed nullum etiam incommodum ſecutum fuiſſe.

p. 311. 12) *Speciem quandam febris putridae epidemicae Carrouge in Normannia obſeruatae* deſcripſit Cl. GERARD.

p. 316. 13) *Epitome theſeos, quam in ſcholis medicorum defendit* Cl. DANIE DESPATVREAVX. Praeſide Cl. MISSA. Quaeſtionem nimirum *utrum mercurio camphorato in curanda lue venerea utendum?* affirmando

reſoluit

reſoluit, et mercurium hunc venereos absque omni ſaliuatione, quam in curandis eiusmodi hominibus ceu noxiam reiicit, curaſſe affirmat.

In menſe *Maio* 1756. occurrit:

1) *Epitome diarii experimentorum, quae in ſex foeminis venereis ad effectus mercurii, facultati medicae Pariſienſi exhibiti, denuo probandos inſtituta ſunt* a Cll. QVERENET et MAVFLATRE. p. 323.

2) *Litteras de furore uterino cum abſtinentia periodica coniuncto ad Editorem huius diarii* dedit Cl. DE-VILLIERS. p. 337.

3) *Obſeruationem de noua quadam vermium per aluum egreſſorum ſpecie* Cl. BVREAV communicauit Cl. GEOFFROY. Vermes, quorum mentio hic facta eſt, interdum ſolitarii interdum in unum glomerem collecti egreſſi ſunt. Hi, coaceruatim exeuntes, figuram inuolucri caſtaneae iunioris repraeſentarunt, innumeros aculeos paruos oſtendentes. Quilibet autem per ſe conſideratus granum tritici, reſpectu magnitudinis aequauit, cuius finis, ceu cauda, filum quinque vel ſex linearum, tenui aciculae ſimile, exhibuit. In dorſo ſulcum paruis aſperisque pilis obſitum, in inferiori autem parte pinnam quaſi, in qua canales diſtincte apparuerunt, Cl. Auctor animaduertit. Tandem taeniam quoque quatuor pedum longitudine, cumque ea tres vermium deſcriptorum globos ſimul exiiſſe, perhibet. Aegra, quae hos vermes ope remediorum anthelminticorum excreuit, multis moleſtisque ſymptomatibus cruciata fuit, quae autem, vermibus omnibus expulſis, demum ceſſarunt. Remedia, quae hunc in finem exhibuit, fuerunt mercurialia, rhabarbarum, filix mas et foemina atque helleborus niger. Vtilitatem igitur eorum in expellendis vermibus ſatis ſuperque expertus reliquis cunctis anteponit et commendat. p. 341.

4) *De*

p. 353. 4) *De venenata infectione ab arſenico inducta et ope eruptionis miliaris curata obſeruationem* communicauit Cl. GVILBERT. Diris admodum ſymptomatibus motibusque conuuſiuis, ab arſenico excitatis, eruptionem demum miliarem ſuperueniſſe, Cl. Auctor perhibet, atque cunctis accurate annotatis ſequentes appoſuit Quaeſtiones: *Nonne in febribus malignis miliaribus eadem phaenomena, quae hic deſcripta, maximam partem et ibi obſeruantur? Eſtne eruptio illa, quae aegrotanti vitam ſeruauit, criſis, quae iſtam febrium ſpeciem terminat? Eſſetne aliqua analogia inter ſubſtantiam arſenicalem et cauſam, morbum hunc funeſtum, producentem?*

p. 356. 5) *Epiſtola*, quam *ad Editorem huius diarii* dedit Cl. LAVIENNE, foeminae meminit, quae violentis conuulſionibus, contra remedia omnia rebellibus, per non nullos annos laborauit, et tandem ſuccubuit. Cranio poſt mortem aperto duodecim productiones oſſeas ſemi pollicem longas valde acutas, piam matrem perforantes, cerebrumqne quodammodo prementes repererunt.

p. 359. 6) *Obſeruatio de infante quodam cum omnibus partibus extra infimum ventrem propendentibus nato.* Auctore Cl. MELLET. Praeter hepar ingens nihil in cauitate abdominis locatum fuit. Omnia autem, quae in cauitate peluis eſſe ſolent, et hic naturaliter reperta fuerunt.

p. 363. 7) *Obſeruatio de lapide, qui poſt mortem in veſica hominis, ante viginti annos remedio ſaponaceo uſi, repertus fuit.* Auctore Cl. HAZON. Homo ante viginti annos calculo laborat, hincque per tres menſes omni die viginti quatuor uncias remedii ſaponacei ſumit. Tempore hoc elapſo omnia ſymptomata, calculoſis ſolemnia, ceſſant, ipſeque calculus euaneſcere videtur. Ab eo tempore nunquam iterum de calculo conqueſtus viginti annos ſanus vixit, et maraſmo tandem ſenili obiit. Veſica poſt mortem diſ-

quiſita

quiſita lapidem quendam fortiter veſicae adhaerentem et ita implicatum repererunt, ut non niſi aliqua adhibita vi auelli potuerit. In cauſam igitur, cur remedio, ante viginti annos uſurpato, omnis a calculo excitata moleſtia ceſſarit, inquirens Cl. Auctor aſſerit, alium adfuiſſe calculum, libere in veſica fluctuantem et a remedio iſto ſolutum, eum vero, quem poſt mortem reperit, ita durum fuiſſe, ut a remedio iſto ſolui non potuerit. Pro diuerſa enim calculorum compage remedium iſtud vim ſuam exercere, vel et nihil valere Cl. Auctor affirmat.

8) *Obſeruatio de abſceſſu cruris cum fractura et carie, totam fere tibiam occupante.* Auctore Cl. BRILLOVET. p. 366.

9) *Obſeruatio de dyſenteria habituali ictu gladii curata.* Auctore quondam Cl. VANDERMONDE. p. 369.

10) *Obſeruationem praecedenti ſimilem* inſeruit Cl. BRAT. In utroque caſu febris et ſuppuratio larga excitata fuit, ita, ut vulnere ſanato dyſenteria etiam ſanata fuerit. p. 370.

11) *Obſeruatio de tumore carcinomatico permagno, cuius extirpationem ſuſcepit* Cl. CIVADIER. p. 374.

12) *Litteras de aqua minerali nuperrime Paſſy in domo Cl.* CALSABIGI *detecta ad Editorem huius diarii* exarauit *Anonymus.* p. 377.

13) *Nouam analyſin aquarum, de Forges dictarum,* communicauit Cl. MARTEAV. Quod de aquis iſtis mineralibus hic legitur, epitomen opuſculi, de iisdem exarati et a nobis iam recenſiti * ſiſtit. p. 379.

14) *Deſcriptionem febris miliaris epidemicae* in tractus Bourbonnenſis oppidulo Cuſſet obſeruatae addidit Cl. DEBREST. p. 393.

In *menſe Iunio* 1756. deprehenditur:

1) *Continuatio et finis experimentorum cum mercurio* Cll. QVERENET et MAVFLATRE, *praeſentibus* p. 403.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. I. p. 30.

bus commiſſariis Facultatis Medicae Pariſienſis publice inſtitutorum.

p. 412. 2) *Litteras de curatione morſus a viperis facti* ad Cl. BERNARD DE IVSSIEV dedit Cl. MARTIN. Alcali nimirum volatile adhibuit, atque uſum eius in morſu viperis extollens duobus exemplis confirmauit.

p. 417. 3) *Noua experimenta de irritabilitate et ſenſibilitate partium ab Ill.* HALLERO *inſtituta.* Cum tentamina haec iam ante aliquot annos Commentariis Societatis Regiae ſcientiarum Gottingenſis inſerta habeantur, atque earum rerum, quae in laudatis commentariis continentur, mentionem fecerimus *, illa tantum indicaſſe hic ſufficit.

p. 449. 4) *De fiſtula lacrymali eiusque curatione diſſertatio, in qua noua curandi methodus proponitur* a Cl. TILLOLOY. Vario fiſtulae lacrymalis ſtatu deſcripto Cl. Auctor declarat, quaenam ſit ſuſcipienda curandi methodus. Ob hanc igitur cauſam in cauum fiſtulae fruſtum ſpongiae praeparatae ad dilatandum intromitti iubet, hocque cauo ſatis dilatato canalem naſalem, ope ſpecilli globuloſi aperiendum, poſtmodum autem cereum proportionatum ad naſum uſque immittendum, calloſitatem autem lapide infernali auferendam eſſe praecipit. Laudat hanc tractandi methodum in fiſtula ſimplici, hancque reliquis cunctis anteponit. In fiſtula complicata autem, ita nimirum fiſtulam cum carie coniunctam appellat, cariei rationem prius habendam, poſthac vero eundem iſtum modum adhibendum eſſe arbitratur.

p. 457. 5) *Obſeruatio de tumore quodam cyſtico carcinomatico facto, et ope cauſtici mitiſſimi ſanato.* Auctore Cl. BRILLOVET. Cauſticum hoc ex ſequentibus paratur: Funditur nimirum alcali cum auripigmento, poſtmodum aqua ſoluitur, ſolutio filtratur, puluisque in filtro remanens ſiccatur et ad uſum reconditur.

6) *Ob-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 695. ſeqq.

6) *Obſeruationes chemicas de liquore quodam, Eau de Luce, dicto* communicauit Cl. MACHY. Hic liquor, per aliquot annos Pariſiis iam cognitus et pro arcano huc uſque habitus, ad ſales volatiles oleoſos pertinet. Qui enim ſub examen iſtum vocarunt, perhibent, eum ſalis alcalini volatilis odorem, cui bituminoſus quidam et ſuccini oleo ſimilis odor ſubſit, exſpirare. De hisce igitur liquoris iſtius partibus ceu conſtitutiuis Cl. Auctor perſuaſus oleum ea propter ſuccini ſpiritu vini ſoluit, cumque eo ſalem dein ammoniacum volatilem praeparauit; quo facto, verum iſtum liquorem, *Eau de Luce*, dictum ſeſe obtinuiſſe refert. p. 460.

7) *Continuatio hiſtoriae febris miliaris epidemicae* in tractus Bourbonenſis oppidulo *Cuſſet* obſeruatae. Auctore Cl. DEBREST. p. 468.

III.

S. A. D. TISSOT, Medicin. Doctoris Diſſertatio de febribus bilioſis ſeu hiſtoria epidemiae bilioſae Lauſannenſis An. MDCCLV. Accedit tentamen de morbis ex manuſtupratione. Lauſannae. Sumptib. Marci - Mic. Bouſquet et Soc. 1758. 8. pl. 18.

In deſcribendo morbo, Lauſannae anno 1755 obſeruato, Cl. Auctor occupatus primo huius non ſolum, verum et praecedentis anni conſtitutionem commemorat, dein morbi phaenomena et cauſas recenſet, his curationem victumque aegri adiungit, porro de morbi reliquiis mentionem facit, tum de remediis chirurgicis et medicis pariterque praeſeruatione agit, hisque omnibus tandem non nulla conſectaria adnectit. In altero tractatu, quem de morbis ex manuſtupratione conſcripſit hicque adiunxit, primo ſymptomata enarrat, deinceps aetiologiam ad-

 ponit,

ponit, porro de pollutione nocturna agit, poſtea gonorrhoeae ſimplicis mentionem facit, poſtremo
p. 1. monenda quaedam addit. Quod ad aeris conditionem, priori tractatu recenſitam, attinet, feruidam anno 1754 aeſtatem, ſubſecutumque autumnum calidum, hiemisque initium valde pluuioſum et tepidum, poſt haec autem, accedente Ianuario, rigidum frigus, per quatuordecim dies ſaeuiens, tunc quidem remittens, aſt ultra medium Februarii durans, tum vero Martio menſe tempeſtatem pluuioſam, Aprili aerem feruentem, Majo frigus iterum, per totum fere menſem durans, magnumque tandem Iunio et Iulio menſe Cl. Auctor adnotauit calorem.

p. 4. Obſeruationibus his praemiſſis ipſe nunc morbus atque eius ſymptomata recenſentur, inter quae primaria, laſſitudinem, debilitatem, cibi faſtidium, frigoris moleſtam continuamque ſenſationem, ſomnolentiam ſine ſomno, circa veſperam horrorem cum ſubſequente calore non quidem vehementi aſt moleſto, capitis dolorem, pulſum celerem et debilem, atque ſub initium morbi aluum adſtrictam, ſub finem autem paulo laxiorem in mitiori morbi gradu fuiſſe legimus. In grauiori autem omnia haec acerbiora et in primis calorem intenſiorem, pulſum celeriorem, acutiſſimosque capitis dolores, ſomnumque nullum aut turbulentum, aegros non reficientem, Noſter obſeruauit, Idemque ſudores, morbo vigente, nec non diarrhoeam initio morbi accedentem ſemper fere nocuiſſe, atque ipſam febrem, in mitiori morbo remittentem, in grauiori ad integram apyrexiam non perueniſſe, et, tertianae fere typum ſeruantem, alternis ſemper diebus acerbiorem apparuiſſe, adnotauit.

p. 14. Cauſam huius morbi putridum bilioſumque fuiſſe humorem, viſcera chylopoietica, duodenum et hepar in primis occupantem, temporisque progreſſu aut mala medicatione omnem humorum maſſam inquinan-

quinantem Cl. Auctor ſtatuit, atque putredinoſum
hunc humorum ſtatum in calida ſaepiusque dein mu-
tata aeris temperie, nec non copioſiori, ob olerum
penuriam, victus hinc animalis aſſumtione quaeren-
dum eſſe arbitratur.

Ad curationem quod ſpectat, morbum hunc, ſa- p. 25.
libus digeſtiuis, remediis antiputredinoſis herbisque
ſaponaceis prius tractatum, tunc demum euacuanti-
bus optime obediiſſe animaduertimus. Cum enim
iſte morbus ex talium morborum genere fuit, quo-
rum fomes unico euacuante expelli nequit, ſed ubi
requiritur, ut materia mobilis prius et fluida redda-
tur, neceſſarium ea propter viſum fuit, et hunc mor-
bum tali medendi methodo tractare. Acceſſit etiam
hoc, quod, licet fomes mali circa praecordia et vi-
ſcera chylopoietica haeſerit, maſſa tamen humorum
putrida labe etiam infecta fuerit, ita, ut materia, cir-
ca hepar et inteſtina ſtabulante, euacuata aegri qui-
dem paululum leuati ſed non curati fuerint, inde ne-
ceſſarium fuit, ut ſtatu humorum putredinoſo prius
correcto euacuantia demum adiungerentur. Inter
haec non ſolum emetica ſed ea in primis, quae ſur-
ſum et deorſum materiam expellunt, laudat, atque
inter ea tartarum emeticum, aqua copioſa et ſyrupo
quodam dilutum vicibusque partitis aſſumtum, reli-
quis cunctis palmam praeripuiſſe, perhibet. Ipe- p. 36.
cacuanham non laudat; tales enim effectus eam non
praeſtitiſſe, imo aluum adſtrictam reliquiſſe, nihilque
ideo aut nec tantum valuiſſe, notat. Aſt in his p. 38.
ſolis non acquieſcens, digeſtiua continuauit, die-
busque aliquot elapſis euacuantia ex ſalibus, manna,
tamarindis et interdum ſennae foliis propinauit, id-
que ter quaterue repetiit. Praeter haec ſapones ve- p. 48.
getabiles, aceſcentes, et quibus grauior morbi gra-
dus fuit, acida mineralia dulcificata adhibuit, opti- p. 59.
mique uſus iſtos fuiſſe, annotauit. At enim vero, p. 60.
cum in non nullis quoque aegrotantibus pertinax

quoque acceſſerit delirium, veſicatoria hinc applicanda curauit Noſter, de quibus autem dicit, delirium non ſolum manſiſſe, verum et morbum in peius mutatum fuiſſe; laudat contra ſinapiſmos, atque delirium, iſtis applicatis, pauco tempore elapſo imminutum poſt tres aut quatuor dies tandem ceſſaſſe, morbum autem ipſum multo mitiorem factum fuiſſe, obſeruauit.

p. 73. De diaeta aegrotantium Noſter etiam ſollicitus, aërem in conclaui ſaepe renouandum curauit, atque aegris ipſis tenuem tantum diaetam, ex auenae excorticatae decocto tenui ſaccharique pauxillo conſtantem imperauit, iisdemque pro potu ordinario ptiſanas frigidas, non calidas, tales enim in putridis morbis maxime nocere monet, commendauit, et, ubi nec caloris exceſſus adfuit, vini etiam hauſtum conceſſit. Morbo autem ſuperato, nilque niſi debilitate remanente victum ex animalibus tenerioribus, ut vitulis, pullis gallinaceis cet. herbisque demulcentibus, ut radicibus ſiſari, tragopogoni cet. imperauit, vinum exhibuit motumque in aere campeſtri ſuadens curationem demum abſoluit.

p. 84. Febre ſuperata, curatione autem vel tarde ſuſcepta, aut male inſtituta vel et citius finita morboſae relictae fuerunt reliquiae, inter quas obſtructiones hepatis biliofas prae reliquis annotauit Noſter, optime vegetabilium ſaponaceorum aceſcentium mellis-
p. 101. que uſu diuturno reſeratas. Quae autem ex debilitate ſuperfuerunt mala, ut ſenſuum hebetudo, virium languor, ventriculi dolor, agrypnia cet. ea omnia tonicis lenioribus ut cortice peruuiano, martialibus, vinis generoſis et frictionibus ſuperauit, uſumque eorum per aliquot tempus continuando priſtinam aegrotantibus ſanitatem reſtituit.

p. 113. Ad palliatiuam curationem Noſter accedens, ſymptomatum, uno duntaxat caſu excepto, de reliquo nullam ſe habuiſſe rationem dicit. Ipſius enim

morbi

morbi curatione rite inſtituta ſymptomatum curatione non opus eſſe, optime exponit. Quod autem ad caſum illum ſpectat, ubi ſymptomaticam curationem ſuſcipere coactus fuit, Cl. Auctor perhibet, aegrotantis cuiusdam moroſi potumque renuentis abdomen, ob aerem a bile putrida rarefactum, ita inflatum fuiſſe, ut, ob metum plurium ſubſequentium damnorum, iſtius rationem prius habere cogeretur. De frigidae igitur aquae uſu in compeſcendis flatibus ſiſtendaque putrefactione Noſter certiſſimus, lintea aqua frigida madefacta abdomini applicuit, frigidamque inſimul bibi iuſſit. Quo facto urgens hoc ſymptoma profligauit, ipſiusque dein morbi continuauit curationem.

Finito omni, quem de febre bilioſa communicare neceſſarium duxit ſermone, rationem, cur non nullis, ad febres bilioſas alioquin laudatis remediis uſus plane non fuerit, nunc demum addit Noſter, atque primo declarat, quam ob rem venae ſectionem in tali morbo inutilem imo noxiam exiſtimauerit. Cum namque, eo opinante, fomes mali in canali alimentorum viſceribusque chylopoieticis haeſerit, isque ſuam hinc expulſionem, putredinis generatae correctionem viſcerumque deinde robur indicauerit, atque horum effectuum nec ullum praeſtare potuerit venae ſectio, eam ea propter omni iure intermiſit, imo celebrandam iſtam in eius modi morbis ceu noxiam reputauit. Probe enim monet, venae ſectionem nihil valere, imo potius nocere, ubi cauſa mali non a plethora nec a nimio vaſorum robore pendeat. Cum autem ad ſuperandos morbos putridos firmae requirantur vires, hasque venae ſectio deiiciat, cum porro venae ſectione inſtituta vaſa reddantur bibula, atque ſanguinis inde maſſa ob abſorptam putredinem magis inficiatur, cum denique ii, qui putridis corripiuntur morbis, ob lentam putridae materiei collectionem diu iam plethorici eſſe deſierint, venae ſe- p. 121.

 ctionem

ctionem inde adminiſtrandam bono cum ſucceſſu haud unquam eſſe, quiuis, haec dicta perpendens, concedet. At vero cuncta haec, quae ratione et veterum non ſolum, verum et recentiorum auctoritate aſſecutus eſt Noſter, ea inquam propria experientia atque exemplis, hunc in finem adductis, iam nunc illuſtrat, atque confirmat. Quibus enim vena ſecta fuit, ii vel periere, vel ſi euaſerunt, tantam debilitatem retinuerunt, ut per multum tempus vires colligere non potuerint. Haemorrhagias praeterea ſpontaneas nunquam in hoc morbo profuiſſe; eosque omnes, in quibus iſtas obſeruarunt, obiiſſe Noſter annotauit, indeque collegit, quod, cum ſanguinis fluxiones, a natura factae, nihil valuerint, etiam artificiales multo minus boni quid praeſtare potuerint. Aſt non in omnibus tamen morbis putridis venae ſectionem reiicit. Cum enim, ut quidam putant, putridi etiam deprehendantur morbi, quibuscum phlogiſtica ſimul coniuncta eſt diatheſis, iſtis ea propter venae ſectionem mederi poſſe ideoque inſtituendam eſſe concedit.

p. 157. Abſorbentia remedia, a non nullis in putrido morbo commendata, merito omiſit. Cum enim iſta acidum duntaxat corrigant, atque in putridis morbis haec potius conducant, illa proinde ceu inutilia imo tanquam noxia, acidum in morbis memoratis adhibitum deſtruentia, reiecit.

p. 160. Et ſudoriferis uſus non fuit, idque ob rationem, partim quia ſudores ſpontaneos noxios fuiſſe obſeruauit, partim quia iſtos excitando ſanguinis maſſam alterari hincque putredinem augeri arbitratus fuit, atque ob eandem fere rationem et diuretica omiſit.

p. 164. Cardiaca in initio morbi et ante euacuationem ſuſceptam, debilitate licet praeſente, non adhibuit. Euacuantia enim idem hoc, quod cardiaca ſtricte ſic dicta valent, et hic praeſtitiſſe annotauit, imo illa, ceu calida et ſtimulantia morbique cauſam augentia, conſide-

conſiderate omiſit, euacuantibus autem praemiſſis interdum quoque adhibuit, prae reliquis liquorem anodynum mineralem HOFFMANNI extollens.

Et quamuis capitis dolores pertinacesque vigiliae cum iſto morbo adfuerint, narcoticis tamen abſtinuit, ſciens omnino, iſtis uſurpatis euacuationes aluinas, ſumme hic neceſſarias, impediri, eaque ipſa nihil inſuper ad immutandam mali cauſam quid conferre poſſe, p. 167.

Ad praeſeruationem demum quod attinet, eo tempore, quando eius modi morbi regnant, alimenta in pauciori copia ingerenda, et talia, quae morbo non fauent, eligenda, aerem porro calidum vitandum, corpus mouendum, aluum laxam ſeruandam, omniaque animi pathemata vitanda ſuadet. Cuncta haec ratione et experientia ſuffulcit, regulasque dein eruit, quas ceu generales in omnibus eiusmodi morbis obſeruandas nec inutiles prorſus cenſemus. p. 170. p. 172.

Tractatus alter, quem de morbis ex manuſtupratione communicauit Cl. Auctor, multarum obſeruationum, et libri in primis, qui primum in Anglia ſub titulo Onaniae prodiit, epitomen ſiſtit. Quae ad theologiam ibi ſpectant, Noſter omiſit, quae autem medica ſunt, hic tranſtulit, in compendium redegit, proprias obſeruationes immiſcuit, publicique iuris nunc fecit.

Ad initium opuſculi mox de liquoris ſeminalis praeſtantia agitur atque oſtenditur, paruam eius profuſionem plus debilitare maioremque viribus inferre labem, quam quadraginta unciarum ſanguinis detractionem. p. 181.

Symptomata enarrans Noſter, plura mala, ſeminis profuſionem nimiam ſequentia, recenſet, quorum primaria adducimus, ſtatimque, crebram liquoris genitalis profuſionem nimiamque laſciuiam non ſolum ingentem corporis imbecillitatem ſequi, ſed et animum valde debilitari, notamus. Ita enim ingens p. 183

perſaepe et plenaria virium proſtratio, omnium tam vitalium quam naturalium animaliumque actionum languor, ſenſuum viſusque in primis hebetudo, intellectus memoriaeque imbecillitas vel et huius defectus haud raro obſeruantur. Imo alii multo maiores poenas ſuſtinent et ſeminis profuſioni indulgentes corpore conuelluntur, epileptici fiunt, ad quemcunque motum ſemen inuoluntarie profundunt, ſomno carent, nullum ultra motum ſuſtinent, ad quaeque ſubeunda inepti fiunt, marceſcunt, facie deturpantur, liueſcunt viribusque prorſus deficientes miſere tandem pereunt.

p. 205. Sed quaenam ſtupendorum horum effectuum cauſa? certe, qui perpenderit, quam elaboratiſſimum ſubtiliſſimumue fluidum ſit liquor genitalis, nerueo fere fluido ſimillimus, qualemque vim ad elaborandum iſtum natura impenderit, is ſane non mirabitur, cur huius nimium diſpendium tam horrenda tamque irreparabilia fere ſequantur damna. Quod ſi praeterea attente conſiderare quis velit, quod ii, qui quotidie absque coitu ſemen nimis proliciunt, uni ſemper cogitationi, venereae, inhaereant, ideoque animum non ſolum a ſeuerioribus negotiis abducant, verum et partes, generationi dicatas, eo diſponant, ut natura, omnes fere humores eo deriuare, quaſi aſſueſcat, reliquisque hinc partibus ſuccus ſubducatur nutritius, mirum ſane non eſt, cur in eiusmodi hominibus et animus et corpus tam mire deturpetur.

p. 227. His expoſitis ad curationem corporis, ita debilitati, reſpicit Noſter, atque ſua aliorumque experientia edoctus, difficulter iſtam ſuccedere, affirmat, de ea tamen non plene deſperans. Inter alia igitur, quae ad corpus tale roborandum nutriendumque commendantur, Noſter in primis corticem peruuianum et balnea frigida, aut ſi cortex, ob phlogoſes, vomicas non nullasque obſtructiones adhiberi nequeat, vel balnea iſta ſolum vel alio tempore et

aquas

aquas martiales, in primis ſpadanas laudat, deque his in primis aſſerit, quod ventriculum eo inſimul diſponant, ut lac, talibus corporibus ceu nutrimentum maxime commendandum, facilius feratur inque uſum conuertatur. Aſt, licet hoc reliquis cunctis anteponat Noſter, corpora tamen huic interdum aſſueſcere nullo modo poſſe ait, hincque lac ebutyratum illi ſubſtituit, carnesque inſimul aſſatas, non vero elixas, atque exactam de reliquo diaetam, in primis ſiccam, cum ſuperius laudatis remediis roborantibus coniunctam ſedulo commendat.

Pollutionum nocturnarum mentionem faciens Noſter, triplicem earum ſpeciem ſtatuit. Prima iuuenibus, ſucco plenis, vegetis, caſtis propria ex redundantia ſeminis oritur, haecque, ſi rara, nulla medela indiget, ſin vero frequentius ſuccedens debilitatem atque inde pendentes morbos inducat, ſola tantum diaeta lautiori ſubducta, tollitur. Secunda in hypochondriacis, tum ſine materia, tum cum eadem dicendis obſeruatur. Priorum pollutionibus medentur tonica. Poſterioribus autem ſucci ſaponacei, lacque ebutyratum prius exhibendum, tunc aquae martiales concedendae atque obſtructionibus reſeratis, balneo tandem frigido utendum eſt. His enim optime mali hypochondriaci reliquias et pollutiones ſanari, Cl. Auctor arbitratur. Tertia denique ſpecies in iis, qui ſemen nimis prolicientes repente ab illicito hoc more abſtinent, obſeruatur, iisdemque, quae ſuperius dicta, curatur.

p. 247. p. 252. p. 257.

Ad inuoluntarium tandem ſeminis effluxum a nimia eiusdem allectatione remanentem caeteris cunctis anteponuntur balnea frigida, atque inter interna remedia laudatur cortex peruuianus, iniectiones autem adſtringentes ceu noxiae et inutiles prorſus interdicuntur.

Cunctis his ad finem perductis, nimia ergo ſeminis, ſola manu prolecti, profuſione plus quam ipſo p. 260.

concubitu debilitari, peſſimas infirmitates induci, atque mentem ipſam infirmari inſigniterque corrumpi Noſter tandem concludit.

IV.

Sur la formation du coeur dans le poulet; ſur l'oeil; ſur la ſtructure du jaune etc. Premier Memoire. Expoſé des Faits. Par Mr. DE HALLER Preſident de la Societé Royale des Sciences de Gottingue, Membre de l'Academie des Sciences de Paris, de celle de Chirurgie; de la Societé Roy. de Londres etc. à Lauſanne, chez Marc-Mich. Bouſquet et Comp. 1758. 12. pl. 20.

et

Sur la formation du coeur etc. Second Memoire. Precis des obſervations; ſuivi de Reflexions ſur le developement: avec un Memoire ſur pluſieurs Phenomenes de la Reſpiration. Ib. Eod. pl. 16½. tab. aen. 1.

i. e.

De formatione cordis in pullo; de oculo; de ſtructura vitelli etc. Commentarius Prior. Obſeruationum Indiculus. Auctore DE HALLER. etc.

et

De formatione cordis etc. Commentarius Poſterior. Summa obſeruationum; quas animaduerſiones de euolutione ſequuntur: una cum Commentario de pluribus reſpirationis phaenomenis etc.

Qui

Qui conſummatiſſimus in re anatomica a quouis habetur Ill. HALLERVS, quiue tam egregia tamque multiplici eruditorum laborum copia litterarium locupletauit orbem, is alios nunc indefeſſi exhibet laboris fructus. Cum enim iſtud, quo nunc fungitur, munus ab anatomicis Ill. Auctorem abducat, imo plane impediat, aliud ea propter obſeruationum genus ſibi elegit, quod ſolus et absque ullius adiumento inſtituere perficereque valet.

Oua nimirum, ut de formatione cordis certi quid determinari poſſit, incubantibus gallinis ſuppoſuit, atque, quicquid, reſpectu huius propoſiti occurrit, notauit, imo et alia, quae inter obſeruandum ei obuenerunt, ſimul collegit, literisque mandauit. Cum autem argumentum, ut ipſe fatetur Ill. Auctor, non nouum ſit, ſed multae et a priſcis iam temporibus obſeruationes eiusmodi proſtent, eos igitur, qui de hac re quidquam notarunt, auctores adducit, quidque praeſtiterint, enarrat. Inter omnes vero, quorum mentio hic facta eſt, MALPIGHIVM laudat, huncque ceu accuratiſſimum extollit. Atque, cum iſte primus fere ſit, qui de formatione cordis pulchras reliquit obſeruationes, eum igitur hac in re ſequutus Noſter, ipſe obſeruationes inſtituit, idque eum quidem in finem, ut problema illud, a MALPIGHIO de ſanguinis circulo in corde pulli propoſitum, enucleetur, clariusque euadat. Dixit namque laudatus MALPIGHIVS, ſanguinem in pullo ex ventriculo cordis dextro in ſiniſtrum per canalem ad modum breuem tranſire. At, cum pulmones, ut Noſter oſtendit, eundem ſitum, qui in quadrupedibus obſeruatur, et in auibus habeant, ſanguisque ex cordis ventriculo dextro in arteriam pulmonalem, ex hac in venam, tum ex ea per ſinum cordis ſiniſtrum in ventriculum tranſeat, Noſter ideo comprehendere non poteſt, quomodo MALPIGHII aſſertum cum rei veritate coniungi poſſit. Ad eruen-

dam

dam igitur hanc veritatem oua incubata diſquiſiuit, microſcopio tenellas partes ſubiecit, experimenta ſemel inſtituta multoties repetiit, et cuncta phaenomena, quae ei obuenerunt primo huic tomo mandauit. At vero, cum res ita comparatae ſint, ut ob arctum nexum in compendium commode a nobis redigi nequeant, hactenus dictis acquieſcere, nemo nobis malam in partem interpretabitur. Hoc unicum tantum adhuc notamus, obſeruationes non ſolum de corde, quod primarium fuit obiectum, ſed et alias inſimul de oculo et vitello hic comprehendi.

Ad alterum commentarium quod attinet, iſte ſummam eorum, quae experimenta crebro inſtituta ſaepiusque repetita inter ſe communia habent, ſiſtit, et corollaria inde deſumta exhibet. Cum autem tam multifariae in aureo iſto libello occurrant res, ut in recenſendis iſtis ob arctos nobis circumſcriptos limites Illuſtrem Auctorem ubique ſequi nequeamus, primaria duntaxat momenta adducere liceat. En! igitur, quae decerpere hinc inde placuit.

p. 4. Folliculus, qui ab aliis cicatricula dicitur et in vitello reperitur, opacus eſt et albus amniique membranae ſuppoſitus falſe pro iſta habetur et multo minus foetus rudimenta in ſe recludit.

p. 12. Aſt amnios membrana, folliculo ſuper impoſita, foetus primordia continet atque ita pellucida eſt, ut per eam totus tranſpareat folliculus, ab incautis inde pro dicta membrana habendus.

p. 18. Annuli, in vitello reperiundi, varie ſenſim colorati apparent, et celere incrementum ſumentes primo tantum incubationis tempore obſeruantur. Horis enim 85. elapſis euaneſcunt.

p. 22. Vaſcula, quae *figurae venoſae* nomine hic donantur, totum fere ouum occupant, vitellum et albumen firmant, et teſtas interius ita inueſtiunt, ut ceu membrana conſiderari poſſint. Circa medium incubationis tunica haec pulchre colorata et iniectione

ne quaſi repleta cernitur, circa finem vero pulpoſa et ſat craſſa ſub teſtarum membranis reperitur.

His enarratis ipſius foetus mutationes nunc deſcribuntur. Hora 12. elapſa primum iſte apparet. Praeter caput et caudam nihil tunc in conſpectum venit, nihilque pariter diſtincte cernitur. Dein ſenſim mutatum apparet caput et horis 70. elapſis prima alarum veſtigia deprehenduntur, atque in capite duae veſiculae pro cerebro, una pro roſtro, una pro fronte et una tandem pro occipite obſeruantur. Poſt dies quatuor hepar valde mucoſum apparet. Hora 120. cerebrum fluidum, cranium bullae tranſparentis inſtar atque integumenta, caro et oſſa, pectus formantia, tenui membranae, vix viſibili, ſimilia ſunt. Eodem tempore et inteſtini recti initium apparet. Hora 131. foetus primi motus ſpontanei obſeruantur. Hora 138. pulmones et ventriculus. Hora 142. inteſtina reliqua, renes roſtrumque ſuperius. Hora 168. cerebrum mucoſum. Hora 190 foetus roſtro aperto in liquore amnii et caro in pectore apparet. Hora 194. ſternum apparere incipit. Hora 210. latera nunc completa roſtrumque magis conſpicuum fit, cuius partis ſuperioris dimidium cartilagine durius eſt. Eadem hora veſicula fellea primum conſpicitur. Hora 236. foetus bile viridi nunc praeditus et membranis ſuis exemtus notabiliter ſe mouet. Hora 240. pennarum veſtigia, cranium cartilaginoſum et capſulae renales apparent. Hora 264. oculi admodum magni in conſpectum veniunt. Hora 288. coſtae pulmones utcunque obtegunt. Hora 331. lien ventriculo contiguus, pulmonesque ad pectus accedunt. Hora 355. Foetus ſaepe roſtrum aperit iterumque claudit. Hora 451. primus a foetu auditur ſonus. Hora 480. vocem iterum intra ouum edit foetus absque eo, ut rima in teſta conſpici poſſit. Quod ad incrementum foetus ſpectat, iſtud die primo admodum celere eſt, paulo tardius ſubſequente, p. 42.

imo

imo quo plures ab incubatione dies effluunt, eo tardius, quoue pauciores eo celerius animaduerti poteſt incrementum.

p. 64. Cum cordis formatio, obſeruationes has inſtituendi, cauſam dederit, iſtius ea propter ampla hic traditur hiſtoria. Prima veſtigia cordis iam pulſantis, albi, pellucidi figuramque ſoleae ferreae repraeſentantis hora 48 in conſpectum veniunt.

p. 68. Vena caua primis horis non apparet; venae enim umbilicalis adhuc continuum eſt. Eodem tempore et una tantum auricula, venae umbilicalis venaeque cauae continuatio, exiſtit. Ad tertii diei finem amplius venae cauae caput interuallo albo ſeſe diſtinguit, unaque tantum auricula ſaccum format. Ad quarti diei finem vero in auricula duo ſemicirculi apparent, iſtoque finito illae a vena caua et canali auriculari ſeparantur. Tunc temporis auriculae ſaccum duobus quaſi cornubus conſpicuum formant, illarumque ſiniſtra amplior eſt dextra.

p. 74. Canalis, quem auricularem vocat Ill. Auctor, eſt portio quaedam cordis, quae ex ventriculo exiens auriculae inſeritur. Apparet iſte iam cum corde, primum viſo, et de die in diem imminuitur, imo diebus 16. elapſis non amplius animaduertitur.

p. 78. Ventriculus ad diem uſque quartum ſimplex tantum cernitur, eoque tempore, quo cor ceu ſemicirculus apparet, iſte oualis, breuis, canali tamen auriculari paulo longior, albus, ſat craſſus et muſcularis iam eſt, apicemque habet, qui quotidie acutior euadit. Tempore hoc durante non niſi una tantum ſanguinis gutta conſpicitur. Hora 144. ventriculus duplex apparet, atque alter quidem, qui tunc prodit, dexter eſt, duaeque ſanguinis guttae iam nunc deprehenduntur. Ventriculus ſiniſter, qui primo apparet, a MALPIGHIO pro dextro habetur, et quod iſte pro ſiniſtro habuit, id bulbus aortae eſt. Hinc igitur iſtius viri error, dicentis, ſanguinem ex dextro

dextro ventriculo per breuem canalem tranſire in ſiniſtrum.

Aorta in prima foetus origine et ante formatio- p. 82.
nem auricularum iam in conſpectum venit, ex ventriculo, tunc temporis ſolitario, exiens magnamque circuli, a corde repraeſentati partem conſtituens. Poſt horas 57. ea iam pulſat atque tunc et rami ſenſim ſenſimque egredientes notantur.

Ad mutationes cordis in genere quod attinet, ea- p. 93.
rum quatuor in primis animaduertuntur, atque prima quidem eſt, quando cor ſoleae ferreae figuram repraeſentat. Tunc enim canalis auricularis longiſſimus, ventriculus oualis et valde breuis, atque aorta admodum longa deprehenditur. Hanc mutationem alia, quae ſecuuda eſt, excipit. Horis nimirum 50. elapſis cor ſub forma laquei apparet, tuncque auriculae diſtinguuntur, ventriculus vero adhuc unus oualis et absque apice eſt, inque aorta ſinus et bulbus cernitur. Tertia mutatio, ad finem quarti diei deprehendenda, in appropinquatione partium ad cor conſiſtit, e. g. vena caua atque auriculae, paululum huc uſque a corde remotae, propius nunc ad cor acceſſiſſe videntur. Quarta demum mutatio ad cor penitus formatum ſpectat; die enim ſexto iſtud formam adulti iam habere oſtenditur.

Mutationum harum cauſa prima eſt attractio par- p. 98.
tium mutua. Vna enim firmior facta alteram attrahit, quae etiam firmior tunc euadit. Alteram cauſam ſiſtunt pulmones ſenſim ſe euoluentes. Quo magis enim hi explicantur, eo plus ſanguinis accipiunt; inde ventriculus dexter eiusdemque auricula euoluitur omnesque tunc partes magis formatae occurrunt. Rebus igitur ſic ſe habentibus cor ceu annulus primum apparens in laqueum mutatur, hocque mutato iſtud tandem completum cernitur.

Ad finem ſecundi diei cor ſeſe iam mouet, licet p. 105.
ne ulla quidem ſanguinis gutta tunc temporis anim-

aduerti

aduerti poſſit. Horis autem 48. elapſis duae veſiculae pro ventriculo et aortae bulbo habendae pulſant et ſanguine iam colorato praeditae inueniuntur. Poſt horam 50. tres deprehenduntur veſiculae pulſantes, quarum prima auriculam, adhuc ſolitariam, ſecunda ventriculum, itidem tum temporis ſimplicem, et tertia tandem aortae bulbum conſtituit. Pulſationes earum ita ſe inuicem excipiunt: primo pulſat auricula, dein ventriculus tandemque bulbus aortae. Aſt duabus auriculis totidemque ventriculis formatis pulſationes ita ſe habent: primo ambae auriculae ſimul contrahuntur, atque dum in diaſtole hae ſunt, ventriculorum ſtatim ſequitur contractio.

p. 110. Poſt horam 138. pulmones primum in conſpectum veniunt. Cauſa, cur non prius adpareant, eorum eſt pelluciditas. Ita enim diaphani ſunt, ut etiam hora 144. elapſa vix diſtingui adhuc poſſint. Licet vero in prima origine, reſpectu aliarum partium, admodum parui adpareant, ſubitum tamen incrementum poſtea capientes, reliquis partibus, ratione molis, neutiquam cedunt. Atque, prout creſcunt, ita etiam colorantur et ſenſim ſenſimque rubelli, non autem rubri fiunt.

p. 123. Hepar ad finem quarti diei apparet, tuncque ſemi pellucidum, mucoſum et ſemi coagulatum eſt. Ad finem quinti pallido rubrum fit et ad finem ſexti formatum iam reperitur.

p. 125. Veſicula fellea die octauo deprehenditur, atque die decimo vel et duodecimo elapſo viridis eſt, et ab eo tempore de die in diem colorem profundiorem, ſaporem vero amarum die decimo quarto acquirit.

p. 127. Ventriculi valde teneri et albi prima delineatio hora 138. cernitur, decimo autem die craſſior idem apparet, imo undecimo iam muſculoſus eſt. Hora 236. in eo coagulum album, cum bile mixtum, ſimilisque materies ſed magis fluida in ingluuie reperitur.

ritur. Haec eodem modo, ut albumen, a ſpiritu vini et igne coagulatur.

Inteſtinum rectum cum reliquis ad finem quinti p. 130.
quidem, ſed non ſatis diſtincte reperitur, et ad finem ſeptimi primi inteſtinorum apparent gyri.

Allantois ad finem tertii diei deprehenditur. Hu- p. 133.
ius incrementum ſubitum eſt. Ope pedunculi iſta cum uracho connectitur, inſimulque inteſtino recto adhaeret, et liquorem continet, qui primo tempore diaphanus et fluidus, ultimo autem mucoſus eſt.

Vitellus tempore incubationis omni momento p. 138.
augetur, atque liquor, eo contentus, fluidior ſemper fit et virideſcens, ad finem vero incubatus in inteſtina pulli reconditur. Arteriae, quibus vitellus donatur, ab arteria pulli meſenterica proueniunt, venae autem cum trunco venae portarum prope hepar coniunguntur, inſimulque vaſa etiam deprehenduntur, quae cum vaſis albuminis communicant. Per haec, liquorem albuminis in vitelli ſaccum deriuari, miſceri, mixtumque ad pullum deuehi, Ill. Auctor aſſerit, idque ex eo probat, quia albumen de die in diem imminutum, pondus autem vitelli auctum, huncque ipſum fluidiorem ſemper obſeruauit.

Oculus poſt duos dies primum apparet, et al- p. 159.
bus tunc nec coloratus eſt. Ad quarti diei finem niger color in choroidea obſeruatur. Ad dimidium incubationis uſque tempus oculus magnus eſt, ſubitumque eius ad ſeptimum uſque diem deprehenditur incrementum, dieque hoc elapſo retina et corona ciliaris conſpicitur. Licet autem illa, ſcilicet retina, lenti cryſtallinae accedere videatur, iſta tamen eo non peruenit, ſed alia inter hanc et retinam tenuis et criſpata reperitur membrana, quae lenti adhaeret, cumque retina connectitur. Die octauo membrana haec annularis, primum apparens, coronam ciliarem ſuſcipit. Falſum igitur eſt, ſi non nulli vel coronam ciliarem vitrei corporis membranae impoſi-

tam, vel retinam ad lentem cryſtallinam produci coronamque ab ea ſuſcipi autumant.

p. 172. Obſeruationibus his praemiſſis conſectaria quaedam adnectuntur, ex quibus ſequentia notamus.

Mutationibus rite adnotatis partium euolutio probatur. Elongantur nimirum iſtae nec quidquam iis apponitur.

p. 175. Soliditas partium a liquore mucoſo gelatinoſo oritur. Hic enim per vaſcula fluens omni momento ſui generis elementa attrahit, quae fluidiori parte orbata indurantur.

p. 176. Cauſa, cur partes, non conſpiciendae, viſibiles dein euadant, partim in partium ſimplicitate partim in opacitate earum poſita eſt. Ita e. g. pulmones non niſi ſexto die elapſo in conſpectum prodeuntes tunc temporis ſatis magni inueniuntur. Cum itaque ei poſt hunc diem tam magni appareant, ante eundem neutiquam deprehendendi, ratio ſane in promtu erit, ſi dixeris, eos ante ſextum diem ita eſſe pellucidos, ut conſpici minime poſſint.

p. 179. Sed unde igitur partium opacitas? Certe, qui perpenderit, partes ex liquore mucoſco pellucido oriri, hunc autem vel tantillo fluidioris partis amiſſo ſtatim albeſcere, opacitatis hinc etiam habebit rationem.

p. 180. Colorum mutatio a corde dependet. Prout enim huius vires creſcunt, ita etiam humores condenſantur, hincque varii colores oriuntur. Confert tamen et quidquam calor ab extra communicatus.

p. 181. Sapores et odores eodem tempore cum coloribus naſcuntur. Ita bile, viridi facta, amarities eius ſtatim deprehenditur.

p. 182. Figurae partium, reſpectu incrementi tam mire variantes, vel ab organorum augmento vel imminutione vel tandem abolitione dependent. Ita non nullae in principio magnae apparent, quae formatione perfecta vel paruae fiunt vel prorſus euaneſcunt. Exemplo

emplo ſit vitellus, qui incubationis tempore augetur, iſto autem elapſo et foetu nunc perfecto imminuitur, imo plane euaneſcit.

Prout partes mutantur, mutatur etiam earum ſedes. Ita v. g. vitellus et inteſtina tempore incubationis extra abdomen locantur, quae autem, muſculis abdominalibus formatis, ob horum irritabilitatem attrahuntur et intra abdomen reconduntur. p. 184.

Partes foetus omnes iam formatae in principio ſunt, et quamuis ut in adulto minus quidem appareant, vere tamen exiſtunt omnes. Prout enim cauſae mutantur, partes etiam mutari ſolent. p. 185.

Foetus in ouo iam formatus exiſtit, ipſaque mater cuncta foetus eſſentialia in ouario continet. Aſſertum hoc ſequenti nititur fundamento. Vitellus eſt continuatio inteſtinorum foetus, illiusque membrana ad inteſtinorum internam uſque producitur, quae autem in ventriculo, pharynge et ore continuata deprehenditur. Porro membrana vitelli externa eſt et inteſtinorum externa, ad meſenterium et peritonaeum uſque continuata. Tandem vitelli inuolucrum ipſa eſt foetus cutis. Si igitur vitellus vera pars eſt foetus, atque ille absque admiſſo mare et in omnibus ouis reperitur, non ne igitur omni iure dicendum, foetum in matris ventre exiſtere? At vero, ſi quis obiiciat, cur a maſculo admiſſo mutationes tamen ſingulares oriantur, huic facilis datur reſponſio. Minima nimirum circumſtantia variat rem. Forſitan in ſemine virili latet quaedam vis, nobis adhuc incognita, quae partium quarundam incrementum adauget, easque ſibi ſimiles adeo reddit. p. 186.

Organa, quae fluida huc uſque apparent, eundem praeparant ſuccum, qui firmis condenſatisque proprius eſt, illorumque functio tunc temporis eadem iam eſt, qualis in perfecte formatis et ſolidis reperitur. E. g. renes inuiſibiles urinam iam tradunt p. 191.

allantoidi viſibili. Nonne iſthoc phaenomeno ſyſtema euolutionis confirmatur ulterius?

p. 193. Die octauo cerebrum nihil niſi aqua pellucida eſt, et tamen foetus tunc temporis ſe mouet, imo cor eius diu iam pulſans obſeruatur. Hoccene probat fluidi neruei actionem, inſimulque declarat, irritabilitatem partium nec a tenſione nec ab elaſticitate pendere?

p. 197. At enim vero tranſeamus nunc ad reſpirationis mechaniſmum, de quo obſeruationes huc adnectere Ill. Auctori placuit. Litis igitur inter b. HAMBERGERVM et Ill. Auctorem de reſpirationis mechaniſmo agitatae hiſtoria breuiter recenſita Ill. Auctor perhibet, b. HAMBERGERVM breui ante obitum infirmitatem hypotheſeos ſuae agnouiſſe, litteris ad Virum quemdam datis ſponte feſſum, ſe hypotheſin iſtam tantum defendiſſe, metu, ne perderetur fama, ſi publice reuocaretur. Ad confirmandam igitur ſuam de reſpiratione ſententiam Ill. Auctor ea, quae hanc ob cauſam inſtituit, experimenta iam nunc communicat; et ſectione quidem prima omne, quod ad motum muſculorum intercoſtalium et coſtarum pertinet, enarrat; ſectione ſecunda varias obſeruationes, mechaniſmum in et exſpirationis tantum declarantes, absque eo, ut controuerſia tangatur, proponit; ſectione tertia cuncta, quae ad pleurae contiguitatem ad pulmones ſpectat, recenſet, et ultima tandem ſectione varia experimenta de pondere pulmonum ſpecifico, cum aquae pondere comparato, deque ſuffocatis inſimul animalibus exhibet.

p. 212. Quod ad actionem muſculorum intercoſtalium pertinet, primo experimenta, hunc in finem inſtituta, recenſentur, hocque facto conſectaria dein adnectuntur, ex quibus ſequentia notamus.

p. 247. Inſpiratio eſt actio vitalis, exſpiratio autem nullo adiumento indiget. Thorax enim eleuatus propria vi deſcendit et coſtae eum locum proprio itidem

niſu

niſu iterum occupant, quem ante inſpirationem habent. Porro interualla coſtarum oſſearum imminuuntur in inſpiratione, elongantur in exſpiratione. Impoſſibile autem eſt, muſculos agentes elongari. Actio enim et contractio inſeparabiles ſunt.

Quod ad actionem muſculorum intercartilaginoſorum ſpectat, b. HAMBERGERVS cum Ill. Auctore eandem fouit ſententiam; dixit namque iſtis eleuari coſtas, et tamen poſtea muſculis internis deprimi coſtas aſſeruit. Itaque tum horum tum illorum muſculorum fibris eandem eſſe directionem, hincque actionem oppoſitam exerceri non poſſe, Ill. Auctor oſtendit. p. 248.

Coſtas Noſter conſiderans declarat, ſuperiores minus mobiles eſſe inferioribus, imo primam earum pene immobilem, ideoque muſculis internis pro vecte inſeruire. p. 249.

De actione tandem muſculorum intercoſtalium Ill. Auctor agens aſſerit, eos in inſpiratione intumeſcere, corrugari, indurari, ſitum mutare et perpendiculares fere factos notabiliter contrahi, in exſpiratione contra eos elongatos immobiles et obliquos fieri, eodemque tempore agere, quando intercoſtales externi et intercatilaginoſi in actione conſtituuntur. p. 259.

Interualla coſtarum in inſpiratione coarctantur, et quo magis mobiles ſunt coſtae, eo arctius reperitur interuallum e. g. inferiores coſtae valde mobiles ſunt, hinc et earum interualla magis coarctata euadunt. p. 262.

Experimenta, ob diaphragmatis actionem ſuſcepta, docent, iſtud in inſpiratione deſcendere motuque eius in inſpiratione ſanguinem venae cauae inferioris repelli, huncque iterum in exſpiratione aſcendere ad cor tendentem. p. 289.

Experimenta, ob contiguitatem pleurae et pulmonum inſtituta, probant, pulmones in quadrupedibus pleurae eſſe contiguos, nec ullum etiam inter p. 323.

pulmones et pleuram reperiri aerem, in auibus contra deprehendendum. Remotis namque coſtis, pleura etiam illaeſa, pulmones hanc tetigiſſe, quaue inciſa illos ſtatim, ob aerem intrantem, ſubſediſſe, Ill. Auctor obſeruauit. Si igitur aer inter pulmones et pleuram reperiretur, nulla deprehenderetur mutatio pleura inciſa, quia aeri iam eſſent aſſueti pulmones. Si porro aer inter memorata viſcera haereret, pulmones poſt mortem collaberentur, verum poſt hanc iſti dilatati pleuraeque contigui inueniuntur. At ſi quis obiiciat, aerem inter pulmones et pleuram rariorem exiſtere, hic ſciat, poſt mortem omnia frigida eſſe et pulmones tamen reperiri dilatatas. Si tandem aer adeſſet, bullulae tunc pectore, aquae ſubmerſo, exirent, quod phaenomenon in auibus quidem, aſt non in quadrupedibus obſeruatur. Aſt caute experimentum hoc inſtituendum; laeſione enim pulmonum vel minima facta bullae ſtatim aereae ob aerem, pulmones intrantem exeunt. Ad obſeruationem autem quod attinet, mediaſtinum nempe ceu inflatam apparuiſſe veſicam, iſta omnino fallax eſt. Hocce enim phaenomenon ipſe vidit Ill. Auctor, aſt re penitius examinata laeſionem reperit, qua alio tempore vitata iſtud iterum obſeruare haud contigit.

p. 355. Sectione tandem quarta experimentis praemiſſis, pulmones reſpiratione nondum exercitatos in aqua ut reliquas partes ſubſediſſe, reſpiratione autem exercitatos aquae innataſſe, Ill. Auctor affirmat. Vltimi huius phaenomeni cauſam in aere viſcoſitatibus veſicularum irretito, pulmonesque hinc leuiores reddente quaerit. Difficulter enim ita irretitum aerem exire perhibet. An autem pulmones aquae innatantes foetum prodiiſſe viuum notent, dubium omnino manet. Fieri enim poteſt, ut foeus uteri orificio capite egreſſus reſpiret, paulo poſt autem intra ipſum partum obeat, et mortuus inde excutiatur. Ergo pulmones, aquae innatantes, foetum quidem reſpi-

raſſe

raſſe notant, minime vero determinant, utrum iſte intra vaginam, an extra eandem reſpirationem exercuerit.

Quod tandem ad ſuffocatos pertinet in eorum ventriculo, pulmonibus et trachea nullam ſe reperiſſe aquam multi dicunt, imo innumeros homines per horas, dies, quid? quod per ſeptimanam aquae ſubmerſos et mortuos inde extractos vitam recuperaſſe, alii itidem perhibent. Contrarium ſtatuit Ill. Auctor. Cuncta enim animalia, aquis ſubmerſa poſt duo aut tria minuta mortua extracta ita manſiſſe, ſemper obſeruauit, inque viſceribus memoratis ſemper etiam aquam reperit. His igitur experimentis Ill. Auctor confirmatus de omnibus auxiliis, quae ad vitam ſubmerſis conciliandam adhibent, parum vel nihil ſperandum eſſe concludit.

V.

Diſſertatio inauguralis de inteſtini duodeni ſitu et nexu, Auctore LAVRENTIO CLAVSSEN, Hafnienſi. Lipſiae 1757. 4. pl. 4½. Tab. aen. 2.

Inteſtinum duodenum a variis iam auctoribus depictum fuit, nullus vero ſatis accuratam iconem inteſtini huius exhibuit. Situs enim illius abſconditus difficilem delineationem efficit. Ad pedes cadaueris collocatus delineator, flexum praecipuum ſub hepate a latere veſiculae felleae verſus renem dextrum deductum nunquam apte cognoſcet. Si vero a cadaueris dextro latere poſitus tractum hunc attendit, tunc finis duodeni verſus principia ieiuni excurrens vel obſcure, vel in ſitu obliquo conſpicitur. Hiſce difficultatibus occurrere tentat Cl. Auctor. Ligaturam nimirum ieiuno ad pollicis diſtantiam ab eius origine iniecit, ut ventriculus et duodenum flatu diſtendi potuerint.

Reclinatis deinceps quodammodo viſceribus vicinis omnem duodeni tractum conſiderauit, zona coli quoque in media parte diuiſa. Eſt vero duodenum prima inteſtinorum tenuium pars, quae ob flexum ſuum alimenta ſemidigeſta ad tempus retinet, lentius mouet et digerit, celerique poſtea progreſſu in ieiu-
p. 19. ni conuolutiones propellit. Flexus duodeni tres ſunt, quorum primus et ſuperior a pyloro oritur, cum quo verſus corpora vertebrarum reflectitur, ſurſum tendit et fere cardiae altitudinem attingit. Hoc flexu facto, mox deſcendit et a latere veſiculae felleae ad renem accedit. Prope ſuperficiem huius interiorem flexus ſecundus ſiue inferior poſitus eſt et in progreſſu inteſtinum coecum attingit, quod quidem in prima icone non perſpicitur, in altera vero, ubi partes vicinae remotae ſunt, extremitas renis inferior in conſpectum venit, et ita deſcenſus duodeni ad coecum comprobatur. Adſcendit deinde inteſtinum noſtrum, in meſocoli radice ad pancreatis confinia deducitur, et flexum tertium format, qui in ieiunum continuatus finem duodeni a principio ſuo non multum diſtare declarat. Addit tandem Cl. Auctor argumenta quaedam phyſiologica uſum duodeni ſpectantia et morbos ex illius laeſione oriundos erudite conſiderat.

VI.

Diſſertatio inauguralis phyſico-medica, ſiſtens hiſtoriam fontis Holzenſis in Alſatia, germanice *Holzbad* dicti, quam publico eruditorum examini ſubmittit IOHANNES KRATZ, Argentoratenſis, d. 10 Mai. 1757. Argentorati typis Io. Henr. Heitzii, 4. pl. $3\frac{1}{2}$.

Quia nullum, quod de aquis medicatis agit, ſcriptum facile praetermittimus, eam ob cauſam etiam hanc diſſertationem indicabimus, licet noui quid

quid non habeat. Longe lateque congeſtis plurimis, tam veterum, quam recentiorum de fontium origine opinionibus, ſe illi denique ſententiae aſſentiri adſerit Cl. Auctor, qua probatur, fontem *Holzenſem* ex p. 13.
hydrophylacio quodam, in proximorum montium intimis recondito, et cum mari communicante, ortum ſuum habere, dum ſcilicet aqua, vaporum forma aſcendit, fornicibus cryptarum terrae adhaeret, in guttas coit, ad maiora receptacula abit, per ſtrata arenoſa ſe diffundit, et tandem, qua data porta, e terra prorumpit. Vltimum in primis colligit, ex aquarum puritate, quam nullo alio modo melius aquis communicari putat, quam per talia ſtrata ſabuloſa tranſeundo, ubi percolantur. Appellatur autem hicce fons, fons *Holzenſis*, germanis *Holzbad*, quod nomen a ſilua adiacente, propequam proſilit, accepiſſe, Cl. Auctor dicit. Situs autem eſt noſter fons in Alſatia inferiore, qua quinque milliaria gallica ab Argentorato diſtat. Mercurius thermometri p. 16.
Fahrenheitiani, in fontem immiſſi, ſemper ad gradum 57 deſcendit, hinc eius aqua noſtris manibus frigida adparere debet. Quod ad huius aquae grauitatem ſpecificam attinet, paulo leuiorem eam aqua deſtillata inuenit Cl. Auctor. Et in hac leuitate et puritate maximam praerogatiuam quaerit. Solutiones enim argenti, mercuri viui et ſublimati ab affuſa aqua noſtra non turbantur. Neque additus ſyrupus violarum et ſpiritus vitrioli, neque affuſum oleum tartari per deliquium et decoctum gallarum quandam ei inducunt mutationem. A ſolo aceto lythargyrii mutatur, quod alias certiſſimum eſt indicium, aliquas ſaltem particulas alienas, ſeu peregrinas, in eiusmodi aquis contineri: id quod etiam ſequentia probant experimenta. Libris enim 240 huius aquae lente euaporatis obtinuit reſiduae materiae ſalino-terreae unciam unam, drachmas tres et ſcrupulum unum. Huius materiae unciam dimidiam indidit re-

tortae, et deſtillando acquiſiuit guttulas aliquas liquoris manifeſte *acidi*, et empyreumatici. Sale dein a terra, quam *calcaream* reperit, per ſolutionem, coctionem et euaporationem, elixiuationem et cryſtalliſationem, hos labores chemici dicunt, ſeparato, accepit illius, uti ait, tres ſpecies, quae cryſtallorum
p. 19. forma etiam differebant. Quasdam ex his, quae prismata referebant, carbonibus ardentibus iniectas, fragorem, uti *nitrum*, ſpargiſſe, perhibet: quum aliae figuram cubicam habentes, eodem modo tractatae, more *ſalis communis* ſonum, quem chemici decrepitationem vocant, edebant: aliae denique, figura parallelipipeda gaudentes, in igne facile fluebant, et dein in calcem mutabantur, quem ad modum a *ſale mirabili* GLAVBERI id fieri ſcimus. Salem communem et mirabilem GLAVBERI aquis ineſſe omnes facile concedent: verum de nitro dubitabunt, id quod etiam Cl. Auctor profſpexit, quare ad Cl. MARGGRAFF *Berolinenſis* et Cl. SPIELMANNI *Argentoratenſis* experientias prouocat, qui nitrum in aquis putealibus inueniſſe teſtantur. Quum autem memoratae partes adeo exigua quantitate inſunt aquis *Holzenſibus*, parum virtutis ab illis expectari poſſe ipſe autumat Cl. Auctor: plus tamen leuitati et puritati aquae attribuit. Eas ideo cum Toeplicenſibus, Piperinis, Haſſiacis, a ſerpentibus nomen trahentibus, et Schleuſingenſibus comparat, quae leuitate et puritate ſe commendant. Interne licet noſtrae aquae etiam adhibeantur, magis tamen adplicantur externe, ubi partes emolliunt, tenſas laxant, et poros cutis aperiunt. Qua de re in morbis arthriticis, podagricis, ſcorbuticis atque cutis vitiis
p. 26. earum uſus eſt maximus. Quando autem Cl. Auctor in fine diſſertationis, et quidem eiusdem §. XXVIII in ea eſt opinione, ad imitandas aquas minerales nil magis expeti, quam aquam puram; quia addito ſpiritu ſulphuris volatilis, ſalis tartari, ſalis ſodae, mirabilis

rabilis GLAVBERI, Sedlizenſis, nitri, vitrioli martis, terrae calcareae cet. omnis generis atque naturae pro lubitu parari poſſent aquae medicatae minerales, uſitatiſſimis effectu et virtute aequales: merito de ſuae adſertionis veritate dubitamus. Illud enim τὸ θεῖον, ſeu elaſticum atque aethereum principium, quod ſpirituoſitas quibusdam audit, et aquis mineralibus ſpecificum eſt, easque ab aliis omnibus compoſitionibus et mixturis diſtinguit, iisdem nulla arte communicari poteſt. Summus enim creator, hoc aquis naturae ope largiri, ſolum ſibi huc uſque vindicauit.

VII.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année MDCCLIII. avec les mémoires de mathématique et de phyſique pour la même année, tirés des regiſtres de cette Academie. A Paris de l'imprimerie royale. MDCCLVII. 4. mai. Hiſt. 1 alph. 18 pl. Mém. 3 alph. 9 pl. 25 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria Academiae Regiae ſcientiarum ad annum 1753, cum commentariis mathematicis et phyſicis.

O*bſeruationum* ad *Phyſicam generalem* ſpectantium:

1) Mentionem facit vermis, in *Cayenna* ſaepius ſub cute equorum, canium, felium, auium et non nunquam hominum reperiundi, quem naſci probabile eſt ex ouo, a muſca quadam in cutem animalium dormientium inſerto. Hic vermis tumorem efficit cum inflammatione, cui febris coniuncta eſt. Si tumor ille per conſueta remedia aperitur, vermis qui- p. 72.

dem

dem in conſpectum prodit, ſed difficillime extrahitur. Quare ſolent, impoſito folio Nicotianae aut braſſicae Caraibicae, vermem necare; quo facto ſponte una cum pure exit, et vulnus breui ſanatur.

2) Quarto Nouembris die An. 1753 hora a meridie quarta in regione *Bituricenſi* conſpectus eſt globus ingens igneus, caudam longiſſimam habens, in altitudine viginti circiter pedum inter ſeptentriones et ortum per aliquot minuta ſecunda horae ſuſpenſus. Dein ex eo magna fumi albi copia eſcendit, et confeſtim bis fragor tormenti bellici exploſi auditus eſt. Nullam noxam hoc meteoron attulit, et ne quidem coeli ſerenitatem mutauit.

3) Simile meteorum quarto Decembris eiusdem anni et eadem diei hora obſeruatum eſt in tractu *Burbonenſi*, coelo etiam ſereno. Figuram habebat pyroboli, et ab ortu in occaſum motu recto uniformi ferri videbatur, tandem in ſcintillas diſſoluebatur cum ſonitu obſcuro.

4) *Tulli* in *Lotharingia* d. 11 Iulii praedicti anni hora poſt meridiem ſecunda grando decidit, quae homines non nullos et multa animantia domeſtica occidit vel vulnerauit. Aqua, in qua haec grando ſoluta eſt, in vaſe euaporata, reſtitit e 2 ſextoriis pauxillum terrae, quod circiter 2½ granorum pondus habuit, et cum acidis fermentauit.

p. 75. 5) Obſeruatio deſcribit parelium, *Lugduni Batauorum* 18 Octobris viſum.

6) Cl. DV TOVR obſeruauit, ad experimentum electricitatis vulgo ſic dictum *Muſſchenbroekianum* pro vitro adhiberi poſſe talcum, quod, pelluciditate excepta, adeo differt a vitro, ut ne quidem vitrificabile ſit. Nam lumina talci, cuius utraque ſuperficies foliis auri in medio obducta erat ſic, ut circum circa margo nudus relictus eſſet, impoſita virgae ferreae electrificatae, ceteriſque eo modo, quo in experimento Lugdunenſi utuntur, factis, non ſolum com-

motionem

motionem electricam ſenſit, ſed etiam ſcintillas elicuit, quae folium chartae luſoriae talco impoſitum perforarunt. Quid nunc, inquit hiſtoriographus Academiae, habendum eſt de figura, quam poris vitri non nulli tribuunt, et quae poris materiae a vitro tam diſcrepantis, niſi euidentia argumenta afferantur, nequit adſcribi?

7) Cl. ALLAMAN paralyſin ſingularem linguae, ordinariis remediis non cedentem per ſolam electrificationem penitus ſuſtulit; et Cl. LE ROY quendam Academiae Correſpondentem, dentium dolore excruciatum, nec non Profeſſorem publicum in uniuerſitate Argentoratenſi, ſurditate laborantem, per eandem artem ſanitati reſtituit.

8) Fatum b. RICHMANNI * Profeſſoris quondam Petropolitani, inter omnes notum, narratur, et quae in ipſius cadauere tam extrinſecus, quam intrinſecus, deprehenſa ſunt fulminis electrici, quo periit, ſigna, breuiter recenſentur. p. 78.

9) Vltima obſeruatio eſt de deſcenſu liquoris in thermometro ex aqua extracto, et in aere, qui 2 gradibus calidior erat, quam aqua, ſuſpenſo.

Pergimus ad *Obſeruationes anatomicas*, in quarum *prima* narratur, ex veſica viri cuiusdam inciſa extractam eſſe ſpicam materia calculoſa incruſtatam. Hanc ſpicam aeger olim, cum ruri eſſet, et calculi dolores ſentiret, in urethram ſe ipſum introduxiſſe, ſed inde retrahere non potuiſſe, recordatus eſt.* p. 128.

2) Cl. HERISSANT refert, in cadauere viri repertum eſſe pulmonem, lobo ſiniſtro carentem, et locum huius lobi occupatum corde, ita ut cor in medio p. 130.

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 724.

** Conuenit cum obſeruatione Cl. SENFFII, quam vide in diſſertatione Cl. PLATNERI de calculo ad veſicam adhaereſcente. vid. Opuſculorum Eiusdem Tom. I. p. 207.

dio eius cauitatis, quam lobus ille replere ſolet, libere ſuſpenſum eſſet; unde in illo viro, adhuc viuo, nullus motus cordis unquam percipi potuerat. Pericardium adeo expanſum deprehendit, ut ſiniſtra pectoris cauitas illo, tanquam altera pleura, obducta eſſet, adhaerente ubique pericardio ad veram pleuram per contextum fibroſum laxum. Lobus pulmonis deficiens in pus abierat, quod partim inter pericardium illud monſtroſum et pleuram, partim in tubo membranaceo continebatur, qui una cum trunco aortae uſque ad arterias emulgentes deſcendebat, et in ſaccum, ouo gallinaceo mole aequalem, deſinebat. Vir ille vitam ad quinquaginta quinque annos protraxerat, per quindecim extremos aetatis annos aſthmaticus fuerat, tandemque acutum dolorem in ſiniſtro pectoris latere queſtus in febrim ardentem cum conatu vomendi incidit, quo morbo, per violentum emeticum remedium aucto, periit.

p. 131. 3) Idem Vir Cl. deſcribit pullum gallinaceum, cuius quidem uniuerſum corpus quodam quaſi emphyſemate tumebat, femur autem laeuum ab interiori latere geſtabat tumorem pugni magnitudine. Hic tumor a morte pulli, 4 circiter menſes nati, apertus oſtendebat totum canalem inteſtinorum, qui per annuli oblongi ſpeciem, a muſculis abdominis formati, deſcenderat. Locum ab inteſtinis relictum ingluuies, vehementer expanſa, implebat. Inter flexus inteſtinorum extenſi erant diuerſi ſacci membranacei, qui ex altera parte in telam celluloſam inter cutem et muſculos per plurima parua foramina hiabant, ex altera autem parte in duas veſicas membraneas, ſub ſterno poſitas, et pulmoni, qui PERRALTO carnoſus dicitur, antrorſum iunctas. Hac via aeris, quem pullus reſpirauerat, pars perpetuo in cellulas tunicae adipoſae propulſa fuerat.

4) Exemplum ſuperfoetationis manifeſtum. Quod equam uno eodemque partu equum et mulam peperiſſe docet. 5) Conti-

5) Continet deſcriptionem lienis ob monſtroſam figuram ac molem, ſitumque admodum inſolitum notabilis. Arcte adhaerebat toti peritonaei portioni, quam muſculi transuerſi tegunt, et occupabat abdominis partes anticas laterales inde a regione epigaſtrica uſque ad oſſa pubis, quibus incumbebat, pertingebat etiam ad partem muſculorum iliacorum, et obtegebat epiploon, hepar, inteſtina, renes, veſicam, cet. nec non ventriculo et parti omenti ſuperiori aliquatenus adhaerebat. Viſcera haec ſingula ſana deprehendebantur, ipſe vero lien corruptus erat, et plenus puris, etſi paullo ante mortem iuuenis, in cuius cadauere hic lien repertus eſt, et qui pro hydropico tractatus erat, iam ſedecim ſextariis (8 *pintes*) puris, repetita paracenteſi, ſuppeditaſſet. p. 132.

6) Haec obſeruatio debetur Cl. BARONIO, qui Academiae oſtendit cerebri bouis magnam partem oſſificatam, reliqua parte bene conſtituta. Attamen ob hoc cerebri vitium animal neutiquam languebat, ſed optime valere videbatur, cum mactaretur. p. 134.

7) Haec ſpectat ad quaeſtionem, num ouum in ouario feminae praeexiſtat, et quae ex Cl. HALLERI experimentis in 40 ouibus captis conſequuntur, continet, videlicet, ante diem decimum ſeptimum a conceptu fruſtra quaeri ouum in ouario vel tubis, reperiri autem plerumque materiam aliquam gelatinoſam in conſtrictiori quadam parte tubae haud procul ab ouario, quae materia principium oui eſſe videatur.

8) Haec quae eundem Viri Cl. auctorem habet, obſeruatio docet, dari ſyſtolen et diaſtolen in vena iugulari, in caua inferiori uſque ad femur, et in ſubclauia uſque ad baſilicam, quae motus alternatio facile percipi poſſit, et non a motu cordis, ſed a reſpiratione pendeat, ita, ut diaſtole earum venarum in exſpiratione, ſyſtole autem in inſpiratione contingat.

9) Haec

p. 136. 9) Haec eiusdem Auctoris, partim ligaturam nerui non ſemper noxiam, partim inſenſibilitatem tendinum et membranarum concernit; quae obſeruatio quantos motus excitauerit, nondum ſopitos, notum eſt.

10) Agitur haec de pene ſalmonis, quem eiusdem Viri Cl. diſcipulus detexit, et de ſinubus duobus venoſis, quos in animantibus amphibiis animaduertit Cl. MECKELIVS, et quibus ea apta reddi autumat, ut diu ſub aquis degere queant.

p. 137. 11) In hac hiſtoria traditur acus in iuſculo clam deglutitae, quae nunc poſtquam per uniuerſum inteſtinorum canalem ſine noxa promota eſſet, tandem in ano haeſerat cum exquiſitiſſimo dolore, atque inde feliciter extracta fuit.*

p. 138. 12) De vacca, quinque vitulos in utero geſtante, qui etiam, ſalua matre, in lucem editi ſunt, duo viui, ceteri mortui, exponitur.

13) Haec obſeruatio docet, feles admodum diu ſine potu viuere poſſe. Felis caſtratus, magnus et craſſus, cui potus ſuccceſſiue ſubtractus fuerat, duos annos duosque menſes absque omni potu vixit, ſola carne elixa nutritus, et, licet ſubinde ſitim per ſigna declararet, tamen non male ſe habere viſus eſt. Cibo pauco erat contentus. Excrementa dura et ſicca biduo ſemel, lotium autem interea ſexies vel ſepties reddebat.

p. 139. 14) In hac refertur de muliere, quae per duos annos et decem menſes cuncta grauiditatis ſigna, excepto menſtruorum defectu, ſenſit, omniumque intelligentium iudicio pro grauida habita, tandem puerum enixa eſt, corpore praeditum neque monſtroſo, neque ſolito maiori. Eadem mulier poſt hunc partum

* A fruſtulo ligni ſine incommodo deglutiti et per canalem alimentorum tranſeuntis inter plicas orificii ani tandem haerentis, ſimiles haemorrhoidariis dolores oriri vidimus, qui, extracto ligno, ceſſarunt.

tum iterum grauidatam ſe dixit, et inde a principio huius praegnationis quinque anni cum octo menſibus ipſi, cetera bene valenti, iam lapſi erant, quum haec ſcriberet hiſtoriographus Academiae, nec tamen adhuc inſtabat partus.

15) De manu arida agitur ex terra ante centum annos effoſſa, in qua oſſa metacarpi tendinibus ſuis, muſculis, et cute tecta apparent, ſed omnia penitus exſiccata ſunt, et oſſa colorem viridem habent. Vnde, iudicio Academiae, ea manus videtur imbuta eſſe liquore quodam vitriolico, aut ea forſitan materia, quae oſſa in iaſpides coeruleas (*turquoiſes*) transformat. p. 141.

16) Obſeruatio, quae ultima eſt, mentionem facit *anſeris Baſſani* ſic dicti, quia alibi, quam in inſula huius nominis prope Edimburgum, raro capitur. Cl. HERISSANT in hac aue multas partes inuenit, quibus ab aliis anſeribus differt.

Elogium Ill. IO. SLOANII * Hiſtoriae huius anni colophonem imponit. p. 305.

Inter *Commentarios* primum tenent locum Cl. LIEVTAVD *Obſeruationes anatomicae de ſtructura veſicae.* Haec veſicae deſcriptio a notionibus receptis, et multorum Anatomicorum obſeruatis multum recedit. In veſica unicam partem, nomine tunicae vel membranae compellandam, deprehendit V. Cl. nempe interiorem, quam urina humectat. In muſculoſa ſubſtantia huius viſceris nullum videt planum, nullum ſtratum, nullam directionem conſtantem fibrarum muſcularium, ſed merum irregularem fibrarum contextum, quem peritiſſimi anatomici induſtria p. 1.

retexere

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 366 ſeqq. et P. IV. p. 727 ſeqq.

retexere nequeat. Hinc muſculum, *detruſorem urinae* non nullis dictum, negat. Originem autem harum fibrarum tantum non omnium inuenit in proſtata, vel corpore ſpongioſo, quod feminis loco proſtatae eſt; quasdam enim etiam ab anterioribus ligamentis ſeu tendinibus veſicae oriri monet. Plurimae fibrae alligatae videntur inſertioni vrachi, quam tamen male a multis proxime fundum veſicae poni monet, quum collo in quibusdam ſubiectis propiorem inuenit, quam fundo. *Colli veſicae* nomen proprie non tribuendum cenſet, niſi orificio ampliato canalis excretorii veſicae, qui per proſtatam tranſit; quod orificium in ſtatu naturali non rotundum ſed ſemilunare eſſe affirmat, quum a parte poſtica tuberculum quoddam rotundum carnoſum exiſtat, quod figuram partis anticae huius orificii circularem interrumpat, et in ſemilunarem commutet. Hanc partem, quae eiusdem ſubſtantiae cum collo veſicae eſſe videtur, et in viris maior eſt quam in feminis, Cl. LIEVTAVD appellat *vuulam veſicae*, ob ſimilitudinem figurae et functionis, quae illam partem et vuulam in palato intercedit. Etſi vero ea pars a nullo anatomico deſcripta, ſed tantum in tabulis anatomicis SANTORINI depicta ſit; maxime tamen notabilem eam eſſe docet, quum ea ſaepe per inflammationem intumeſcens cauſſa poſſit fieri retentionis urinae, quae non niſi iniectionibus tolli poterit. Porro hanc vuulam tradit eſſe continuationem alius partis veſicae, aeque ignotae et aeque memorabilis, quae in regione poſtica veſicae in forma trianguli ab vuula iſta ad inſertionem utriuſque ureteris uſque, vel paullo ulterius extenditur, et propterea *trigonum* ab Auctore dicitur. Subſtantia eius differt a reliqua veſicae ſubſtantia, et ſimilis eſt illi, quae originem urethrae amplectitur. Componitur e fibris muſculoſis et aponeuroticis, quae a duobus ligamentis lateralibus, a ſymphyſi oſſium pubis ad paruum ligamentum

mentum ſacro-iſchiadicum extenſis, veniunt, et per interſtitia fibrarum corporis veſicae muſculoſi penetrant. Hanc ſtructuram huius partis impedire concipit Auctor, quo minus, relaxata veſica, plicae in ipſius cauo oriantur, orificia ureterum obſtructurae; cui uſui antrorſum etiam urachum inſeruire putat. In eodem trigono, quum pars ſit inflammationis capax, quaerit originem iſchuriae cuiusdam non nephriticae, neque veſicalis, ſed ab obſtructione orificiorum ureterum per intumeſcentem *trigoni* baſin ortae. Sphincterem in collo veſicae negat, tum quod accurata diſquiſitio talem muſculum non oſtendit, tum quod illius nullus uſus foret; quum enim fibrae annulares huius muſculi, ſecundum deſcriptionem eius a diuerſis auctoribus datam, admodum mixti et confuſi ſint cum fibris veſicae muſcularibus, alias directiones habentibus, non poſſet fieri, quin, his fibris ſe contrahentibus ad expellendam urinam, fibrae ſphincteris ficti ſimul ſe contraherent ad exitum lotio praecludendum. Rationem vero, cur in poteſtate noſtra ſit, urinae effluxum ſubito interrumpere, quaerendam docet in leuatoris ani parte antica, quam MORGAGNIVS pſeudo-ſphincterem veſicae vocauit.

2) *Obſeruatio coniunctionis inferioris veneris cum ſole* d. 31 *Octobris* A. 1751. *in Obſeruatorio regio Pariſino habita; et admonitiones de coniunctionibus huius planetae cum ſole eclipticis, quae* A. 1761 *et* 1769 *futurae ſunt. Auctore* Cl. LE GENTIL. p. 27.

3) Cl. MALOVINI *hiſtoria morborum epidemicorum et tempeſtatum* A. 1753 *Pariſiis obſeruatarum.* In prooemio huius hiſtoriae Vir Cl. breuiter diſſerit, quomodo aquarum, frumentorum et fructuum diuerſa diuerſis annis conditio morborum epidemicorum cauſſa fieri poſſit. Ianuarius anni 1753 caruit morbis p. 35.

bis epidemicis; tempeſtas frigida fuit, neque humida, neque ſicca, aquilone dominante. Mortui tamen ſunt hoc menſe Lutetiae 2693 homines, ſcilicet 1204 mares, et 989 feminae; nati autem 2354, pueri 1228, puellae 1126. In ſingulis reliquis huius anni menſibus et natorum et defunctorum numerus minor fuit. Per reliquam hiemis partem, quae ſicca fuit, praeter fluxiones et faucium morbos
p. 53. nulli morbi epidemici obſeruati ſunt. *Vere*, cuius principium ſatis humidum, finis valde ſiccus fuit, multi laborarunt arthritide et vera et ſpuria; *ſpuriam* vero appellat Auctor depoſitionem humoris e variolis degeneratis reliqui, vel ſcorbutici, vel alius naturae acris, in iuncturis extremitatum; atque hoc intereſſe inter veram et ſpuriam monet, quod in vera arthritide dolor ante tumorem ſentiatur, in ſpuria tumor una cum dolore oriatur, et magis rubeat, non nunquam etiam coeruleum colorem habeat, curationem quoque aliter eſſe inſtituendam, et ad purgationem ac purificationem liquorum corporis aegri ſine mora accedendum. *Aeſtas*, quae fuit inſolenter calida et ſicca, confirmauit, inquit Auctor, hoc medicinae principium, quod ſicca tempeſtate pauciores quidem ſint morbi, ſed acutiores et periculoſiores. Menſe Maio multi fluxionibus affecti ſunt, et pleraeque puerperae grauiter aegrotarunt; idque fere ſemper accidere puerperis, quotiescunque catarrhi graſſantur, experientia ſe didiciſſe ait Auctor.
p. 44. Eodem menſe epidemica fuit febris continua putrida, quae in quibusdam initium cepit a dolore vehementi in dextro pectoris latere, et in omnibus fere ſurditatem et mentis alienationem effecit, quae ad trigeſimum ſecundum diem morbi ſubſtitit; in non nullis puſtulae prodierunt, nigrum marginem habentes. Hic morbus, qui iuuenes magis quam maiores natu corripuit, et in coenobiis multos abſtulit, abundantiae bilis adſcriptus, et per venae ſectiones aliquot

ſtatim

ſtatim ab initio factas, nec non per ſubſequentes euacuationes fortiores, emeticis et purgantibus exhibitis, curatus eſt. *Autumni* initio coelum ſerenum fuit, et aer calidus ac valde ſiccus, ſub finem autem multum pluit, ſaepe hydrargyro barometri aſcendente. Morbi epidemici fuerunt variolae indolis malignae, rheumatiſmi arthritici cum febri, et alui fluxus. Iſtarum variolarum quum odor prorſus ſingularis obſeruatus fuerit, hac data occaſione Cl. Auctor medicos clinicos admonet, ut ad odorem variolarum attendant, praeſertim durante ſuppuratione. Foetidiſſimo odore non peſſimae indolis variolas prodi, ait. Diarrhoeas autem iſtas non ab arborum fructibus, etſi eorum illo anno magnus prouentus fuerat, ortas fuiſſe, inde colligit, quod ceſſante diarrhoea, eryſipelas ſe manifeſtauit, et non nunquam, eryſipelate diſparente, diarrhoea ſubſecuta eſt. Praeter illos morbos hac tempeſtate angina gangraenoſa, febres catarrhales, et haemorragiae frequentes fuere. Hoc anno Lutetiae Pariſiorum mortui ſunt 21716 homines, maſculini ſexus 11676, feminini 10040, nati vero 24058, nimirum 12445 pueri, et 11613 puellae. Barometrum, quod hoc anno inſolenter variauit, maximam habuit altitudinem 28½ poll. d. 24 Ianuarii, euro - aquilone ſpirante, et coelo ſereno; minimam, 26⅓ pollicum d. 24 Aprilis zephyronoto flante et aere pluuio. Ceterum ex relationibus medicorum Rothomagenſium Cl. MALOVIN deſcribit hic morbum epidemicum, qui Rothomagi ſub finem huius anni 1753. permultos neci dedit. Incepit tertio die poſt nebulam ſpiſſam et foetidam, quae d. 21 Nouembris dimidiam urbis partem occidentalem impleuerat. In altera urbis parte, ubi nebula fuerat nulla, nec morbus ille obſeruatus eſt. Inuaſit autem fere tantum iuuenilis aetatis homines cum cibi faſtidio, horrore, laſſitudine, et capitis dolore indies ingraueſcente. Quinta vel ſexta die p. 56.

 aegri

aegri lectum petere neceſſe habuerunt. Plerique ab initio fluxu alui bilioſo et ſeroſo, non nulli nauſea et vomitu afflicti ſunt. Cunctis fere ſanguis ex naribus ſatis frequenter, ſed parce, effluxit, pulſus fuit durus, ſed paruus, febris, initio leuior, intenſior facta eſt poſt unam alteramque venae ſectionem. Sanguis ex venis miſſus in gelatinae ſpeciem abiit. Poſt duo dies venter intumuit, contrectatus tamen non doluit; ventris autem tenſionem delirium ſecutum eſt; lingua humida quidem fuit, ſed nigra et plena paruorum ulcerum, quae etiam in labiis paſſim conſpecta ſunt. Quibusdam pedes, manus et facies tumuerunt. Qui releuati ſunt, non niſi trigeſima vel quadrageſima die a cubitu ſanitatem recuperarunt. In quibus autem ventris tenſio non remittebat, in his delirium ingraueſcebat, praecordia adgrauabantur, et mors ſequebatur quinto, ſeptimo, vel undecimo die morbi; non nulli tamen, quibus nempe venter decimo demum vel undecimo die intumuerat, ad decimum ſeptimum vel vigeſimum primum diem vixerunt, et in his leuis purpurae eruptio obſeruata eſt. Sectio eorum, qui hoc morbo perierant, oſtendit ventriculum colore rubro, fuſco liuidoque, atque ulceribus, lenticularum magnitudinem habentibus affectum, glandulas meſenterii turgidas, atque inteſtinorum varias partes ſphacelo corruptas, et tunicam villoſam in humorem viſcoſum reſolutam, reliqua autem viſcera et caput illaeſa. In curatione huius morbi abundantes euacuationes profuiſſe, medici experti ſunt; imminuta enim ventris tenſione, remittebat febris, et cutis humida fiebat. Remedium purgans, quod maximo cum fructu repetitis vicibus, uno die interiecto, aegris exhibitum eſt, quam primum abdomen turgere coeperat, compoſitum fuit ex pulpae Caſſiae uncia una, ſalis vegetabilis drachmis duabus et tartari emetici granis duobus pro quinque doſibus,

quarum

quarum una poſt alteram, dimidio horae interpoſito, propinata fuit.

4) Cl. CASSINI DE THVRY *Obſeruatio tranſitus mercurii per ſolem* d. 6 *Maii, in Obſeruatorio regio habita.*

5) Cl. GVETTARD *Commentarius de lapidibus Poudingues, germanice Wurfſtein dictis.* Nomen *Pudding* Angli impoſuere lapidi opaco aggregeto ex fruſtis ſilicum rotundis, unitis per materiam duram, quae polituram admittit. Auctor vero Cl. et hoc vocabulum in *Poudingue* conuertit, et ſignificatum eius adeo extendit, ut omni lapidi conueniat aggregato ex quibuscunque lapidibus, ſiue per materiam arenoſam, quae in lapidibus proprie *Puddings* dictis obſeruatur, ſiue per terram ferrugineam, ſiue per margam, ſiue per cretam cet. coniunctis, ſiue politurae capaces ſint, ſiue minus; et in hoc commentario recenſet quasdam eiusmodi lapidum ſpecies, polituram non admittentes, et in Gallia praecipue reperiundas; exponit etiam ſuas de origine illorum lapidum coniecturas. Inſeruit quoque huic commentario notabilem enumerationem et deſcriptionem diuerſorum ſtratorum terrae, quae in putei foſſione Lutetiae Pariſiorum inde a ſuperficie uſque ad profunditatem 136 pedum gallicorum reperta ſunt; inter quae ſunt ſtrata, (quorum profundiſſimum 90 pedes a ſuperficie diſtat), quae ex ligno putrefacto conſtant. p. 63. p. 79.

6) Cl. LE FRANÇOIS DE LA LANDE *altera commentatio de parallaxi lunae, continens deducta ex obſeruationibus, Regis iuſſu habitis Berolini a menſe Martio uſque ad Auguſtum* 1752, *et ad obſeruationes in promontorio Bonae Spei habitas comparatis.* p. 97.

p. 106. 7) Cl. DE LASONE *Obſeruationes phyſicae de thermis Vichienſibus.* Harum thermarum hiſtoriam phyſicam traditurus Cl. Auctor, primo locum, ubi ſcatent, deſcribit, deinde ipſos eorum fontes, numero ad ſeptem, porro qualitates his aquis communes, et differentias exiguas, quae ſingulorum fontium illorum aquas intercedunt, tum experimenta phyſica et chemica cum ipſis aquis inſtituta; quibus omnibus de earum uſu medico pauca ſubiungit. Duobus in locis haud procul a fontibus bitumen, et alio loco terram nigram bituminoſam reperit Vir Cl. Et quum haud dubie pluribus in locis prope has thermas in materia latent, huic qualitati ſoli attribuit unctuoſam ſeu ſaponaceam harum aquarum indolem; id quod etiam bituminoſus odor, quem ſpirant, confirmat.
p. 111. Docte et ſapienter optat, ut qui fontes minerales inquirunt, non ſolum analyſi aquarum chemicae incumbant, ſed etiam ſoli circumiacentis et ſtratorum terrae in vicinia naturam et indolem ſcrutentur, quo tandem detegere liceat artificium naturae in aquis medicatis producendis, et verae phaenomenorum cauſ-
p. 119. ſae reddi poſſint. Singulare quid eſt, bis quotannis, vere et autumno, ad has thermas pecudes venire, eminus etiam, et in trium leucarum diſtantia odorem harum aquarum ſentientes, et tanto cum deſiderio accurrere, ut ſibi mutuo bibendi occaſionem praeripere certent, atque illae, quae per *Allerium* fluuium natare neceſſe habent, aqua huius fluuii, quamuis ſitientes, inter nandum abſtineant. Ex
p. 124. analyſi autem harum thermarum ſequitur, eas et ob principium quoddam ſalinum, et ob terram abſorbentem, eſſe alcalinas, et continere ochram quandam, et principium ſpirituoſum, nempe ſubſtantiam alcalinam volatilem, ſingularem et ſui generis unicam, licet ea in pluribus aliis aquis medicatis occurrat, quam Cl. Auctor putat eſſe compoſitam ex terra alcoholiſata et volatiliſata coniuncta partim cum principio

cipio oleoſo bituminis, partim et praecipue cum aere, qui in his aquis aeque abundare videtur, atque in aquis *Selteranis* ſecundum Cl. VENELII experimenta. Efficacia harum thermarum dependet a vi reſol- p. 131. uendi et aperiendi; quare in concretionibus bilioſis ac lymphaticis, et aduerſus calculos renum et veſicae, ſalutares ſunt, ſi ad fontes ipſos bibantur (nam transportatae multum virtutis amittunt); at vero non conducunt aegris, quibus temperamentum ſiccum eſt ac cholericum, quorum ſolidae partes facile irritabiles ſunt, vel quibus nerui ſunt admodum ſenſibiles.

8) *Obſeruatio tranſitus mercurii per diſcum ſolis die 6 Maii* 1752. *mane*, *praeſente Rege*, *habita a* Cl. LE MONNIER *iuniori*.

9) *Commentationis* Cl. GVETTARD *de lapidibus* p. 139. *Poudingues dictis pars altera*. In hac parte agitur de lapidum horum eis ſpeciebus, quae poliri poſſunt, et in Gallia reperiuntur. Non autem ſolum ipſi hi lapides, ſed etiam loca, ubi inueniri ſolent, deſcribuntur, et doctae coniecturae de ortu eorum lapidum, et de mutationibus, quae in ſuperficie telluris in illis regionibus acciderunt, nec non alia hiſtoriae naturalis memorabilia ubique interſperguntur.

10) *Obſeruatio mercurii in ſole* d. *6 Maii habita a* p. 193. Cl. BOVGVER.

11) Cl. BOVRDELIN *Commentatio de ſale ſedatiuo*. p. 201. Salis, quem HOMBERG *ſedatiuum* dixit, natura nondum adhuc ſatis perſpecta fuit. Equidem vulgaris opinio eſt, probabilibus non nullis argumentis nixa, acidum huius ſalis eſſe vitriolicum: ſed quum haec opinio mera coniectura ſit, quae etiam per nupera Cl. BARONI inuenta, qui ſalem illum ex borace per quodlibet acidum minerale, immo per acidum vege-

 tabile,

tabile, extrahi poſſe demonſtrauit, multum probabilitatis amiſit; operae pretium ſe facturum putauit Cl. BOVRDELIN, ſi per experimenta in naturam acidi ſalis ſedatiui inquireret, partim experimenta ab aliis iam inſtituta repetendo, partim noua adhibendo. Quoniam acidum nitri et acidum vegetabile, ſi alterutrum in ſale ſedatiuo lateret, per facillima experimenta ſeſe manifeſtarent: quaeſtio huc redit, utrum acidum vitrioli, an acidum ſalis marini compoſitionem ſalis ſedatiui ingrediatur. Ad hanc igitur quaeſtionem decidendam Vir Cl. plurima experimenta cepit, quorum tamen aliquot tantum in praeſentia enarrat. Haud paruus eorum eſt numerus; et quanquam ſpem Auctoris haud impleuerunt, lectu tamen et conſideratione digniſſima ſunt, ſed quum nobis Cl. Auctorem per ea omnia ſequi non liceat, commemorabimus duntaxat hoc loco ea, quae Vir Cl. longo ſuo et ingenioſo labore de ſale illo edoctus
p. 241. fuit: 1) decompoſitionem ſalis ſedatiui per acidum vitrioli aeque ac per reliqua acida mineralia difficillimam et fere impoſſibilem habendam eſſe; 2) ineſſe huic ſali principium quoddam phlogiſticum, a non nullis quidem chemicis ipſi negatum, ſed quod manifeſto ſe prodat per odorem ſpiritus ſulphurei volatilis, quotiescunque ſal ſedatiuus cum oleo vitrioli igni committatur; 3) veriſimile eſſe, ut acidum huius ſalis ad naturam acidi ſalis marini accedat. Hanc vero poſtremam propoſitionem Auctor ipſe nondum ſatis certam habet. Collegit eam quidem e duobus experimentis, primo, quam phlegma, quod partes aequales ſalis ſedatiui et carbonum in puluerem re-
p. 220. dactorum ex retorta diſtillauerant, affuſa argenti per ſpiritum nitri ſolutione, materiam albam, quae igne
p. 241. fuſa veram lunam corneam exhiberet, ſecundo, quum, ſolutione mercurii per ſpiritum nitri confuſa cum phlegmate, quod ex diſtillatione partium aequalium ſalis ſedatiui et carbonum natum erat, haberetur praeci-

praecipitatum perfecte album, non flauum, quale prodiiſſet, ſi acidum huius phlegmatis naturae acidi vitrioli particeps fuiſſet: verum enim vero quia horum experimentorum primum plusquam decies repetitum nunquam iterum eundem habuit ſucceſſum, alterum autem Cl. BOVRDELIN repetere nondum potuit, pro certo quidquam de natura acidi in ſale ſedatiuo affirmare nondum audet, ſed denuo examini hanc rem ſubiicere ſtatuit.

12) Cl. DE L'ISLE *Commentarius de diametro apparente mercurii, et de tempore, quod immerſioni eius in diſcum ſolis, atque emerſioni ex illo in coniunctionibus inferioribus eclipticis impenditur.* p. 243.

13) Cl. BARON *experimenta de glaciei euaporatione.* Conſtat, BOYLIVM in libro ſingulari ſolidis etiam corporibus atmoſphaeras ſuas aſſertum iuiſſe. Iudicio tamen Cl. BARON in ſola glacie demonſtrauit, ſoliditatem euaporationi non obſtare, cetera vero in libro illo enarrata experimenta non oſtendunt, niſi hoc, eſſe quaedam corpora ad ſenſum duriſſima et ſicciſſima, quae tamen adhuc aliquam humiditatem habeant, et exſiccationem quandam admittant, et in corporum quorundam poris incluſum aerem poſſe fortiori eorum corporum frictione ſic agitari et calefieri, ut ille ex eis exeat, et atomos quosdam de ipſis corporibus ſecum auferat. At vero de ipſius glaciei euaporatione, quam non nulli phyſici ex imminutione ponderis, quam glacies in duriſſimo etiam frigore patitur, collegerunt, et frigoris intenſitati proportionalem eſſe ſtatuerunt, dubitatio ſaepe oborta erat Cl. BARON, quoties conſiderauerat, euaporationis notionem cum natura congelationis, qua particulae aquae in continuam maſſam conſtipantur, pugnare videri. Quamobrem hieme anni 1753. naturam de hac quaeſtione per propria experimenta p. 250.

conſulere

p. 263. conſulere inſtituit, quae hic deſcripſit, et ex quibus didicit, imminutionem ponderis glaciei libero aeri expoſitae non eſſe intenſitati frigoris proportionalem, neque deberi frigori, ſed vento, (in tectis enim vaſis aſſeruata glacies nihil ponderis per plures dies, au-
p. 266. cto quamuis gelu, amiſit), neque ergo proprie poſſe glaciei attribui euaporationem, quippe quae a motu inteſtino liquidi potiſſimum proficiſcitur, ſed decrementum ponderis glaciei, quod euaporationi ceu cauſſae vulgo adſcribatur, fieri mera ablatione ſubtiliſſimarum particularum, quibus ſuperficies glaciei tanquam puluere tecta ſit, per frictionem aeris ſu-
p. 268. per ea agitati. Et his ſubtiliſſimis glaciei particulis in terris borealibus aeri permixtis, et per boream ad nos delatis effici putat frigus illud ſubitaneum, quod per hiemem ſaepe cum moleſtia ſentimus, et cuius ratio per ſolam caloris priuationem vix poteſt explicari.

p. 269. 14) Cl. LE GENTIL *Obſeruatio coniunctionis eclipticae mercurii cum ſole, quae mane* d. 6 *Maii* 1753. *accidit, habita in obſeruatorio regio; una cum indagatione verae inclinationis orbitae huius planetae ad planum eclipticae.*

p. 279. 15) Cl. HERISSANT *inquiſitio organorum vocis quadrupedum et auium.* Poſtquam DODART formationem vocis in homine, iudicio Cl. Auctoris, optime explicauit, ipſe in organa vocis brutorum, ab humana adeo diuerſae, inquirere apud animum conſtituit. Multum diuerſitatis in his brutorum organis deprehendit. Quaedam animantia, veluti feles, taurus, ceruus, dromas cet. voces ſuas formant ſola glottide, ſeu *organum vocis ſimplex*, ut Auctor loquitur, habent. Cetera, ſtilo Auctoris, *organum vocis compoſitum* habent, ſeu inſtructa ſunt, praeter glottidem, aliis etiam inſtrumentis, quorum in voce formanda uſus eſt, nimirum quaedam membrana tendinea,

elaſtica,

elaſtica, ſupra glottidem extenſa, velut equus, alia pluribus diuerſis membranis, non nulla ſaccis plus minus amplis et denſis, membranaceis aut oſſeis veluti porcus; ſunt quoque, in quorum larynge eſt cauitas ad inſtar tympani, per quam ſoni admodum fortes efficiuntur, veluti aſinus et mulus. In auibus organorum vocis apparatus adhuc multo magis eſt compoſitus: non enim ſolum duos habent larynges, ſed etiam praeterea multas membranas tenues in bronchiis pulmonis carnoſi, in ſingularibus arteriae aſperae cauitatibus, et in pectore extenſas. Omnium et ſingularum harum partium et deſcriptiones Vir Cl. hic tradit, quas iconibus adiectis illuſtrat, et mechaniſmum dilucide explicat.

16) *Analyſis chemica biſmuthi, ex qua inter plumbum atque illud ſemimetallum analogia apparet. Primus commentarius. Auctore* Cl. GEOFFROY, *Filio.* p. 296. Labores ſuos, analyſi huius ſemimetalli impenſos, Vir Cl. ad Cl. POTT proceſſus direxit. Per calcinationem variis modis inſtitutam pondus biſmuthi nunquam inuenit imminutum, (quod tamen ſecundum Cl. POTT fieri debebat,) ſed ſemper auctum tertia decima circiter parte. Calx biſmuthi, ſine addito fuſa, abiit in vitrum flauum, quem ad modum calx plumbi, et crucibulum ſimiliter quidem corroſit, multo tamen lentius. Sandicem quoque ex calce biſmuthi Vir Cl. parauit, eodem modo, quo ex calce plumbi, et ab ſandice plumbi non diuerſum, niſi quod colorem minus amoenum haberet. Quae Cl. POTT de argenti per biſmuthum depuratione docuit, repetiit Cl. GEOFFROI; et hoc loco cautelas, ab illo haud indicatas, ad ſucceſſum tamen operae neceſſarias, tradit. Porro experimenta ſua deſcribit, quibus didicit, ex biſmutho in igni haberi poſſe lithargyrium, illi, quod ex plumbo fit, prorſus ſimile; vitrum biſmuthi, fuſum in cupella, a maſſa eius aeque

que minus imbibi, ac vitrum ſaturni (contra Cl. POTT); ad praecipitationem argenti ex minera per ſcorificationem plumbo ſubſtitui poſſe biſmuthum; vapores ſeu fumos copioſos ex biſmutho, durante fuſione, aſcendere, qui inflammabiles ſint, et flamma coerulea ardeant; atque adeo volatile eſſe hoc ſemimetallum, ut de 2 unciis non niſi 24 grana lithargyrii poſt horam relinquantur (utrumque contra Cl. POTT experientiam); requiri tamen ad vaporum illorum aſcenſum aeris liberum acceſſum, et hinc in vaſis clauſis aut nihil aut parum in flores ſublimari; flores bismuthi, ſine addito paratos, fixos eſſe, ſed non arſenicales; flores ex plumbo ſine addito eadem methodo natos, et colore luteo ad flores biſmuthi accedere, niſi quod illorum color ſit dilutior, et pariter fixos eſſe, ſed aliquid arſenici in ſe continere; denique biſmuthi maſſam omnem in fumos conuerti et per auras diſſipari poſſe, aeque ac plumbum.

p. 313. 17) *Diſquiſitiones de theoria mercurii, Auctore* Cl. DE THVRY.

p. 323. 18) *De tranſitu ſanguinis per hepar foetus humani. Prima commentatio. Auctore* Cl. BERTIN. Recenſitis veterum ac recentiorum de ſtructura hepatis in foetu humano et de tranſitu ſanguinis per illud variis ſententiis, duas praecipue notat Vir Cl. opiniones, quae hodie omnium fere conſenſu receptae ſunt, ſcilicet omnem ſanguinem, quem vena umbilicalis vehat, effundi in ſinum venae portae, atque inde ſecundum quosdam partem eius recta per canalem venoſum in venam cauam fluere, partem, cum ſanguine venae portae confuſam, per ſubſtantiam hepatis diffundi, ſecundum alios autem omnem ſanguinem venae umbilicalis in ſinu venae portae miſceri cum ſanguine venae portae, atque mixti hujus ſanguinis partem ad canalem venoſam deferri, a vena caua recipien-

cipiendam, partem reliquam per ramos ſinus venae portae in ſubſtantia hepatis diſtributam penetrare ad ramificationem venarum hepaticarum, et per eas in truncos harum venarum, tandemque per hos ad venam cauam venire. Sed has opiniones Cl. BERTIN et diſtributioni venae umbilicalis, quam FABRICIVS AB AQVAPENDENTE iam optime cognouit ac deſcripſit, et legibus, quas fluidorum motus obſeruat, contrarias deprehendit. Verum ergo ſanguinis in foetus humani hepate motum a falſis anatomicorum et phyſiologorum commentis vindicaturus, ſuſcipit in hac et ſequentibus commentationibus demonſtrare, 1) in p. 330.
foetu hominis venam portae ſinum formare nullum, neque ramum ſiniſtrum habere, ſed ſoli lobo dextro hepatis ramos praebere; 2) ſiniſtrum autem lobum totum, una cum parte haud exigua dextri, venas ſuas a vena umbilicali accipere; 3) ſanguinem venae portae in foetu a laeua verſus dextram, non a dextra verſus ſiniſtram, dirigi, ideoque ſanguinem venae umbilicalis ſeſe immiſcere ſanguini a trunco venae portae allato, non, ut vulgo creditur, hunc ſanguinem ad illum deferri; 4) ſimulac naſcatur homo, fluxum ſanguinis in hepate ſubito contrariam nanciſci directionem, et, ceſſante ſanguinis per venam umbilicalem fluxu, eum, quem vena portae aduehat, omnibus ramis venae umbilicalis, per hepar diſperſis, potiri. Quod propoſitum exſecuturus, initium facit ab accurata deſcriptione capitis venae umbilicalis, ſeu eius partis, qua ſe haec vena hepati immergit, cui deſcriptionem venae portae ſubiungit. Vtriuſque venae deſcriptionem icone adiecta illuſtrat. Quum autem ſine icone iſta deſcriptiones harum venarum vix intelligi poſſint; nos hoc loco tantum enotabimus praecipua conſectaria, quae Auctor ex illis deſcriptionibus deducit: canalem venoſum cum omnibus ramis venoſis, in ſciſſura tranſuerſali et in medio ſciſſurae longitudinalis hepatis foetus obuiis, procedere

p. 345. cedere a ſola vena umbilicali: ramum vulgo ſic dictum
dextrum ſinus venae portae eſſe confluentem venae
umbilicalis et venae portae, et quem ſiniſtrum dicant
ramum illius ſinus, verum eſſe ramum venae umbi-
licalis: canalem venoſum cum vena portae nihil ha-
p. 352. bere commune: magnum illum truncum venoſum,
conſtanter in ſciſſura transuerſali hepatis foetus poſi-
tum, eſſe venam umbilicalem, et pro parte ſinus
venae portae perperam haberi: venas ſingulas, in
illa ſciſſura transuerſali obuias, et in ſubſtantiam he-
patis penetrantes, cum vena portae coniunctionem
habere nullam, neque ex ea oriri: venam autem
portae lobo tantum dextro vaſa ſua ſanguiſera largiri,
neque ſolam, ſed in coniunctione cum ramo dextro
p. 355. venae umbilicalis, adeo ut numeri omnium vaſorum
ſanguiferorum in hepate quarta duntaxat pars circi-
ter venae portae originem ſuam debere cenſenda ſit.

p. 366. 19) *Obſeruatio eclipſis veneris a luna, 27 Iulii
mane in Obſeruatorio habita a* Cl. DE THVRY.

p. 369. 20) Cl. GVETTARD *Commentarius de variis na-
turalibus corporibus e Muſeo Sereniſſ. Ducis Aurelia-
nenſis depromtis.* Corpora, de quibus hic agitur, ſunt
partim foſſilia, partim animalia. Inter foſſilia, quae
maximam partem ex Aſia et Africa venerunt, hic de-
ſcribuntur ſtalactites ex montibus *Hottentotorum*, cry-
ſtallus montana ex inſula *Madagaſcar*, variae ſpecies
ſchiſti ex *Cochinchina* et regione *Capitis bonae ſpei*,
quarzum, lapides talcoſi, et granitae ex eadem re-
gione, nec non ex Braſiliae prouincia, quae *Rio-
Ianeiro* vocatur, tandemque lapides Vulcanii ex in-
ſula *Bourbonia*, ſulphur, ad *Caput bonae ſpei* reperi-
undum, pyritae Cochinchinenſes, et minerae ferri
globoſae ex inſula *Madagaſcar*. De animalibus Cl.
Auctor in poſterum agere pollicetur.

21) Cl.

21) Cl. LE GENTIL *Obſeruatio eclipſeos veneris a luna, habita in obſeruatorio d. 27 Iulii mane.* p. 401.

22) *Hiſtoria vermis-leonis. Auctore* Cl. DE REAUMUR. In hiſtoria academiae regiae ad annum 1706 mentio facta eſt vermis, qui arenae vel terrae puluerulentae cumulum excauat in figuram infundibuli, et in fundo deliteſcit, inſectis non nullis inſidias ſtruens. Huic vermi ibi datum eſt nomen *formicae-vulpis*, ut ab alio, qui formica-leo vocatur, diſtingueretur. Sed illuſtris Auctor huius commentationis conuenientius iudicauit nomen *vermis-leonis*, ipſumque animalculum dignum, cuius natura et mores exactius et plenius deſcriberentur. Vermis hic eſt ex eorum genere, qui pedibus carent, et in muſcas, duabus tantum alis inſtructas, transformantur. p. 402.

23) Cl. PINGRE *Obſeruatio tranſitus mercurii per ſolem d. 6 Maii mane.* p. 420.

24) Cl. NOLLET *Comparatio inter maxime celebria phaenomena electricitatis eum in finem inſtituta, ut appareat, ex paucis horum phaenomenorum reddi poſſe ceterorum omnium, quae hactenus innotuerunt, rationem.** In hac commentatione, cuius continuationem Cl. Auctor promittit, expenduntur quaedam Cl. FRANKLIN experimenta, quae in Europa quoque cum magna hominum admiratione excepta ſunt. Sed quanquam Cl. NOLLET ea experimenta ingenioſe et ſubtiliter excogitata eſſe concedit, attamen negat ea adeo noua eſſe, ut ex aliis iam cognitis explicari nequeant, aut aliquid nondum cognitum nos edoceant. Et *primo* quidem experimentum, quod titulo *effigiei magicae* inſignitur, non eſſe docet, niſi variationem experi- p. 429.

* Lecta in conuentu publico poſt feſtum paſchatis.

experimenti *Muſſchenbroekiani*, etiam anno 1747 a Cl. IALLABERT ſimilia experimenta cum tabulis vitreis capta eſſe. Praeterea negat, FRANKLIN ex ſuis experimentis recte collegiſſe, quod vitrum
p. 434. fluido electrico impermeabile ſit. Contrariam ſententiam euinci arbitratur hoc experimento. Cylindrum cauum vitreum, qui diametrum quatuor, altitudinem decem pollicum habebat, et collo inſtructus erat, impoſuit orbi antliae pneumaticae, poſtquam in collo illius cylindri glutine aerem excludente firmauerat ampullam minorem vitream, quali pharmacopolae ad liquida medicamenta exhibenda utuntur, ita ut venter ampullae in collo cylindri contineretur, et orificium ampullae cum orificio colli cylindri in eodem plano eſſet, venter autem ampullae ſuperficiem interiorem cylindri nullibi tangeret. Deinde tantum aquae infudit in ampullam, ut quarta eius pars vacua maneret, obturauit eam ſubere, per quod filum metallicum traiecerat, aerem ex cylindro extraxit, et virgam ferream, cui filum illud metallicum applicauerat, electricam reddidit. Quo facto, ſtatim et ampulla et cauitas cylindri lumine impleta eſt, non uniformiter diffuſo, ſed per diuerſa ampullae puncta, quaſi per cribrum, transmiſſo, quod diuerſos conos lucidos formauit, baſes in ſuperficie ampullae habentes; vertices horum conorum internam ſuperficiem cylindri attingentes diffluxerunt tanquam in riuulos, qui verſus fundum cylindri in ſuperficie interna eius manarunt; et quum manu cylindro prope collum eius impoſita, altera manu conductorem attingeret, ſenſit ſuccuſſionem electricam ſatis magnam. Sicut autem Cl. NOLLET experimentum *Muſſchenbroekianum* longe aliter quam Cl. FRANKLIN explicat, ita et in experimento illo non opus eſſe communicatione inter externam et internam ſuperficiem lagenae vitreae, contra FRANKLIN nouo experimento demonſtrare annititur. *Secundo* virtutem corporum

porum acuminatorum attrahendi electricam materiam dudum ante *Philadelphica* experimenta cognitam fuiſſe monet Cl. NOLLET; attamen idem fatetur, hoc noui in hac re ingenioſum FRANKLIN vidiſſe, quod clauus ex altera parte acuminatus, ex altera obtuſus vel rotundo capite iuſtructus, non eadem phaenomena oſtendat, ſiue caput, ſiue cuſpis ad conductorem adducatur. Sub finem denique huius Commentationis duo monet, quae ob magnam utilitatem inde in eos, qui electricitatis experimentis operam dant, redundaturam ſilentio praeterire non poſſumus. Alterum eſt, nunquam globum, per quem vis electrica excitanda eſt, tuto manu fricari, niſi poſtquam aliquamdiu puluillo frictus ſit: alterum, ut euitetur damnum quod in experimento *Muſſchenbroekiano*, ſi fortior adſit electricitas, imminet obſeruatori ſcintillas elicienti, quae auem enecent, vel aliquot folia chartae complicata perforent, cet. utendum filo ferreo (calami ſcriptorii craſſitiem habente) incuruato, quod in medio manu comprehenſum ſic teneatur, ut alterum extremum conductori, alterum corpori perforando proximum ſit; ſcintillis enim hoc modo elicitis, obſeruatorem vix ullam commotionem ſenſurum eſſe.

25) Cl. LE ROY *Commentarius de electricitate, in quo per ſeriem experimentorum oſtenditur, duas dari ſpecies electricitatis, quarum altera ex condenſatione fluidi electrici, altera ex eius rarefactione oriatur, et utramuis ſpeciem ſua peculiaria habere phaenomena, quibus ab altera perfecte diſtinguatur.** Cl. Auctor, quanquam cum FRANKLIN in theoria electricitatis ſentit, tamen verbis uti aptioribus, atque id, quod hic electricitatem *poſitiuam* dicit, electricitatem *per condenſationem*, id vero, quod huic electricitas *negatiua* p. 447.

S 2 eſt

* Lectus d. 14 Nouemb. 1753.

eſt, electricitatem *per rarefactionem* appellare mauult. Antequam autem experimenta enarrat, quibus ſententiam ſuam de duplici genere electricitatis confirmari putat, inſtrumentum deſcribit, cuius ope ex diſtantia, ad quam ſcintillae ex corpore electrificato eliciuntur, certum de fortiori vel debiliori electricitate iudicium ferri poteſt; modumque exponit, machinam electricam ſic collocandi, ut illi nullum fluidi electrici cum corporibus circumſtantibus commercium eſſe queat. Via, quam incedit in demonſtratione theſeos ſuae, haec eſt, ut ex hypotheſi, fluidum electricum eſſe fluidum elaſticum, in cunctis per ſe non electricis, neque electrificatis corporibus praeſens, eiusdemque in ſingulis denſitatis, et electricitatem tunc manifeſtam fieri, quum in aliquo horum corporum fluidum illud vel denſius vel rarius reddatur, quam in ſtatu naturali eſſe ſoleat, ut, inquam, ex hac hypotheſi ratiocinando deducat conſectaria, eaque vere locum habere per experimenta comprobet. Inter haec experimenta praecipua nobis videntur, quod omni commercio fluidi electrici inter machinam electricam et corpora circumiacentia interclufo, nulla electricitas effici poſſit, ſi conductor cum puluillo, globum fricante, per interpoſitum corpus non electricum iungatur; quod, ſi duorum bacillorum ferreorum cuſpidatorum, fulcro vitreo ſic, ut cuſpides a ſe mutuo parum diſtent, impoſitorum, alter cum conductore, alter cum machina paullo ante memorata ope filorum orichalcorum iungatur, in illius cuſpide conus luminoſus, in huius autem cuſpide punctum duntaxat igneum conſtanter conſpiciatur, ſi conclaue obſcurum, et electricitas notabilis excitata ſit; et quod, ſi globus eiusdem machinae electricae fricetur charta inaurata, ſuper baſi infundibuli vitrei, quod manu teneatur, expanſa, conductori electricitas, quam aliquot ſcintillis ex eo elicitis perdiderit, ſtatim reddi poſſit, inſerendo

in

in collum infundibuli ferrum acuminatum, prodeunte ſimul ex ferri huius cuſpide cono lucido duorum fere pollicum. Quod autem punctum igneum in cuſpide ferri acuminati, quae in vicinia corporis electrificati teneatur, ſit ſignum fluidi electrici ex hoc corpore in cuſpidem ferri tranſeuntis. Cl. Auctor colligit ex hoc experimento: filum ferreum cuſpidatum incluſit tribus tubis vitreis, ita, ut cuſpis tantum valde parum e vitro promineret, deinde cuſpidem illam in fulcro vitreo in diſtantia unius pedis a conductore collocauit, atque obſeruauit, multum electricitatis in conductore deſtrui, ſimulac punctum igneum in cuſpide oriretur, ipſumque filum valde electricum reddi, adeo ut digito alteri fili extremitati admoto, conus lucidus ex ea exiret; ſin autem cuſpidem inter et conductorem lamina ferrea vix pollicem lata teneretur, electricitatem fili fere omnem euaneſcere.

26) *Diſcuſſio duarum quaeſtionum de electricitate* etc. Auctore Cl. Abbate NOLLET.* Hic commentarius tanquam continuatio eius, quem Cl. NOLLET in publico conſeſſu Academiae praelegerat, exhibetur. Duarum quaeſtionum, quas ſibi diſcutiendas ſumſit Vir Cl. altera eſt, an duo genera electricitatis, poſitiua et negatiua, admittenda ſint, altera, an electricitas vitri eſſentialiter differat ab electricitate ſulphuris et corporum reſinoſorum. Prior tantum quaeſtio in hoc commentario tractatur, qui totus refutationi praecedentis commentarii, a Cl. LE ROY lecti, deſtinatus videtur. Incipit autem Cl. NOLLET a defenſione ſuae ſententiae, in motu fluidi electrici circa corpus electrificatum ſemper duo eſſe flumina, unum particularum ex corpore illo effluentium, alterum materiae ad illud affluentis; id p. 475.

 quod,

* Lecta d. 12 Nouembris 1755.

quod, qui FRANKLIN ſectantur, negant, affirmantes ex corpore poſitiue electrificato fluidum electricum tantum modo effluere, et ad corpus negatiue electricum duntaxat affluere. *Nemo dubitabit, quin Auctor hoc loco omnia argumenta congeſſerit, quae maximam vim habeant, ad ſententiam ſuam corroborandam, et aduerſariorum theſin euertendam: ſed illa exponere noſtra recenſendi breuitas non ſinit. Proximum eſt, ut neget probabile vel demonſtratum eſſe, quod fluidum electricum ſit elaſticum, eo ſaltim ſenſu, quo aer elaſticus dicitur, qui ſcilicet magnae compreſſionis et dilatationis capax eſt; nam omnem elaſticitatem fluido electrico denegare nequit, quum illud pro materia lucis et ignis habeat. Porro aerem quidem difficilius permeabilem eſſe fluido electrico, quam metalla, corpora animalia, cet. concedit, ſed omnino impermeabilem eſſe negat, ac facile euincit. De vitro eadem intelligas. Deinceps negat, punctum igneum in cuſpide ferri, conductori obuerſa, eſſe ſignum fluidi electrici intrantis cuſpidem: quum primo ferrum obtuſa extremitate praeditum, ſi loco ferri cuſpidati ponatur, flammulam longiorem oſtendat, quae ex illa extremitate egredi videatur; ſecundo ſi filum ferreum altero extremo infigatur bacillo cerae Hiſpanicae, et alterum extremum conductori admoueatur, ut flammula appareat, haec flammula viuidior reddi poſſit, fili extremum cerae proximum digitis tangendo: et tertio, etiamſi filum ferreum cuſpidatum tubo vitreo (ad modum quem Cl. LE ROY, ut ſupra diximus, excogitauit) veſtigatus impediri tamen non poſſit, quo minus fluidum electricum ad filum illud penetrat per ipſum tubum vitreum. Ad experimentum Cl. LE ROY de flamma e cuſpide fili ferrei prodeunte, ſi haec cuſpis admouetur puluillo machinae electricae nullum fluidi electrici cum circumſtantibus rebus commercium habentis, reſpondet Cl. NOLLET, illud negatiuam electricitatem

tem machinae non euincere, quum obſeruauerit ſimilem flammulam apparentem in cuſpide fili ferrei, ſi ea in parua diſtantia a parte globi, quae puluillo recens affricta eſt, teneatur, licet hanc globi partem negatiua electricitate pollere credendum non ſit. Abſtinemus pluribus ex hoc commentario excerpendis, quum ea fere omnia lectoribus noſtris, harum rerum curioſis, ex Cl. NOLLET epiſtolis de electricitate iam nota fore exiſtimemus.

27) *De aeris dilatatione in atmoſphaera. Auctore* Cl. BOVOVR. Theorema generale, quod dilatationes aeris atmoſphaerici a ſuperficie telluris verſus ſuperiora creſcant, ſicuti termini progreſſionis geometricae, magnis limitationibus opus habet, quas hic Auctor expendit. Sed quum hoc argumentum magis ad matheſin, quam ad phyſicam, pertineat: plura de eo hoc loco dicere alienum foret. p. 515.

28) *Obſeruatio eclipſis ſolis habita Thurgi* d. 26 *Octobris an.* 1753 a Cl. MARALDI. p. 539.

29) *Deſcriptio anatomica corporis feminini, cuius oſſa emollita fuerant. Auctore* Cl. MORAND. Etſi de raro morbo huius feminae, cuius patri *Queriau*, marito *Supiot* nomen eſt, plures iam ſcripſerunt, * inter quos etiam fuit Cl. Auctoris filius: tamen quum Auctori cadauer huius feminae ſuperiorum iuſſu fuerit permiſſum, ex quo ſceleton confecit, quod Academiae ſcientiarum donauit, deſcriptio, quam ipſe de mira conſtitutione corporis atque oſſium huius feminae hic exhibet, et magis accurata habenda eſt, et maiorem fidem meretur. Singula, quae in capite, in trunco, in extremitatibus ſuperioribus et p. 541.

 inferiori-

* Conf. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 384. et Vol. V. p. 137.

inferioribus, aliisque non nullis partibus corporis praeternaturaliter conſtituta et conformata, vel diſlocata et diſtorta inuenit, diligenter et minutatim deſcripſit, menſuris partium, ubicunque opus fuit, annotatis, et duas icones addidit, quarum altera corpus integrum feminae decumbentis, altera ſceleton

p. 548. eius refert. Extremitates inferiores ſic erant extrorſum in utrumque latus diſtortae et inflexae, ut pedes auribus proximi eſſent, ac feminae in alterum latus ſemiſupine iacenti planta pedis pro puluinari eſſet, cui caput incumberet. Muſculorum quidam, ut vaſtus externus, faſcia lata, et gracilis anticus, breuiores, denſiores et craſſiores erant, quam in ſtatu naturali, antagoniſtae autem eorum, biceps, ſeminervoſus, ſemimembranoſus cet. valde tenues, et praeter modum extenſi erant, adeo ut facile discerpi poſſent. De viſceribus hoc notabimus, duram matrem cum cranio confuſam, falcem, ſolito ſpiſſiorem, in dextrum latus inclinatam, et hinc hemiſphaerium cerebri dextrum maius ſiniſtro, ſanguinem extrauaſatum in ventriculis, plexum choroidem variooſum, in corde et vaſis maioribus concretiones polypoſas a terrimi ſanguinis fuiſſe. Cauſſam huius morbi Cl. MORAND coniicit fuiſſe, aut quod ſuccus terreſtris cretaceus, quem ſanguis ſecum vehat, formationi et nutritioni oſſium deſtinatum, non in oſſa depoſitus, ſed ad renes deriuatus, et cum urina excretus ſit, quippe in qua per totum morbum ſemper magna copia ſedimenti albi, terreſtris, cretacei inuenta eſt, aut quod fluida corporis acido quodam abundauerint, quod fibras oſſeas emolliuerit, et ex parte diſſoluerit.

p. 551. 30) Cl. DV HAMEL *Obſeruationes botanico-meteorologicae ad annum* 1752.

p. 582. 31) *Obſeruatio coniunctionis ſtellae β capricorni cum luna, habita a Cl.* LE GENTIL.

32) *Ob-*

32) *Obſeruationes occultationis ſtellae ε tauri, et veneris, poſt lunam, anno 1753 in obſeruatorio regio habitae a Cl.* MARALDI. p. 586.

33) *Paralleliſmus fluuiorum in quatuor telluris partibus, inſeruiens determinandis altitudinibus montium in globo phyſico terreſtri, qui in faſtigio aedis Luxemburgicae fabricatur. Auctore* Cl. BVACHE.

34) Cl. MONTET *ſecundus commentarius de aerugine.* In hoc commentario Auctor Cl. multa exhibet, explicationi vel emendationi eorum, quae in primo commentario de hoc argumento tradiderat, inſeruientia. Deinceps fuſius exponit de qualitate ac fermentatione vini, ad bonam aeruginem parandam neceſſaria, et de cauſſis magnae varietatis in illa fermentatione obuiae. Sed iam olim * nos hac de re tota tam multa dixiſſe meminimus, ut plura addere non opus videatur. p. 591.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. p. 596.

VIII.

Hiſtoria naturalis ranarum noſtratium, in qua omnes earum proprietates, praeſertim, quae ad generationem ipſarum pertinent, fuſius narrantur. Cum praefatione Ill. viri ALBERTI VON HALLER, Societ. Reg. Scientiar. Göttingenſ. Praeſidis. Edidit accuratisque iconibus ornauit AVGVSTVS IOANNES ROESEL VON ROSENHOF. Norimbergae, typis Ioan. Ioſeph. Fleiſchmanni, 1758. in form. regali, 1 alph. 10 pl. tab. aen. XXXXVIIII. linear. XXIV. coloribus viuis pict. XXV.

Die natürliche Hiſtorie der Fröſche hieſigen Landes, worinnen alle Eigenſchaften derſelben, ſonderlich aber ihre Fortpflanzung umſtaendlich beſchrieben wird etc.

Sic inſcribitur egregius hic de ranis et bufonibus liber, qui nunc integer et abſolutus prodiit, et de cuius prioribus plagulis ſuperius * indicium fecimus. Et deſcriptiones et delineationes hae reliquae itidem colore ad viuum illuſtratae prioribus, ſi, vel ad rei naturam delineandam vel ad pingendi artem reſpicias, plane non cedunt. Accedit huic operi praefatio ab Ill. DE HALLER, in qua, veluti patriae ſuae amans de fama per Cl. huius operis Auctorem adepta Germaniae iterum iterumque gratulatur, Auctorisque Noſtri merita digne praedicat. Addamus nunc ea, quae poſt id temporis, quo priores plagulas recenſuimus, in lucem venerunt.

p. 53. *Sectio tertia* in quatuor tabulis hiſtoriam *ranae viridis aquaticae* et quidem in *capite primo* illius *proprietates*,

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 85 ſeqq.

prietates, *coitum* et *generationem* exhibet. Rana haec nomen a colore et a loco, in quo plerumque habitat, accepit; alio in *Saxonia* ob ſingularem, quem edere ſolet, clamorem vocatur nomine *Mark*-vel *Quarkgeger*. Color huius ranae, licet mutabilis, profunde tamen plerumque viridis, maculis hinc inde nigris, nec non lutea linea per medium dorſum a capite ad extremum uſque corpus excurrente, ſimilique ab utroque latere, dorſi quaſi fines deſcribente conſpicienda, diſtinctus eſt. Praeter hunc colorem et clamorem, quo ab aliis ranarum ſpeciebus noſtra rana diſtinguitur, alia quoque, qua cum nulla alia ſpecie conuenit, nota eſt in capite, quippe quod non ſolum procerius et longius, ſed et anterius magis acuminatum deprehenditur. Maſculi a foemellis diſcernuntur duabus illis, quas clamantes ad oris latera ex angulis ipſius propellunt, veſicis et cute aſpera furuaque non nigra, ut in rana fuſca terreſtri, poſt coitum celebratum euaneſcente. In quibus autem hi characteres deficiunt, et in quarum ſuperficie corporis inferiori multae apparent maculae cinereae, foemellae ſunt. Magnitudine, auditu et viſu omnes reliquas, excepta quadam bufonum ſpecie, ſuperat rana haec, quae limum in piſcina, hibernaculum ſuum, vix ante Aprilis menſem deſerit, nec prius, menſe Iunii, coitum exercet. Nutritur non plantis, ſed variis inſectis et cum admodum vorax deprehendatur, illa non nunquam paſſeres iuniores, mures lacertasque aquaticas inuadit deuoratque. Ratio, qua maſculus cum foemella coire ſolet, eadem eſt, ac in rana fuſca terreſtri, leui tamen differentia, quod maſculus, oua dum foemella excludit, ſemine ſuo multis vicibus conſpergendo ea foecundet, (quod ipſi Cl. Auctori domi ſuae videre contigit,) et quod maſculus huius ſpeciei, licet veſiculis ſeminalibus minoribus praeditus ſit, et foemellae maiorem ouorum pariant copiam, rana terreſtri fuſca, duarum tamen

triumue

triumue foemellarum ouis impraegnandis par inueniatur. Oua harum ranarum, quae colorem magis pallide flauum quam fuſcum habent, et, quae ouis ranarum terreſtrium et arborearum multo ſunt minora, ſimulac excluſa ſunt, aquarum fundum petunt, poſtea non, ut alia, in illis aſcenſura. Satis copioſe Cl. Auctor nunc deſcribit ouorum horum mutationem in dies ab ipſo obſeruatam, ex hac annotemus, oua glutine flaueſcente cincta in dies mole increuiſſe, ut et ipſum gluten; poſt quinque dies in ſphaera priori aliam ortam fuiſſe ſphaerulam, quae utrum vacua an re aliqua plena fuerit, Cl. Auctorem ignorare; ex hac ſphaerula deinde ſenſim ſenſimque, variis mutationibus praegreſſis, euaſiſſe vermiculos, qui ex ſphaeris illis egreſſi et, glutine ab ipſis conſumto, in aqua natantes alium quaerebant victum, quem primum ex oblatis lenticulis paluſtribus, quibus continuo adhaerebant, deinde ex lactuca, cibo ipſis valde grato ceperunt. Gyrini hi, licet ab initio tam celere capiant incrementum, quo tamen ad ſolitam ipſis magnitudinem increſcant et in veras mutentur ranas, longius requirunt tempus, quam ii praecedentium ſpecierum: gyrini enim ranae terreſtris a vigeſimo primo Martii menſis ad duodetriceſimum uſque Iunii diem, in ranae arboreae, ab Aprilis fine ad uſque ſecundum diem Auguſti, hi autem a duodecimo Iunii ad Nouembris initium uſque increuerunt, atque adeo gyrini ſpecierum illarum tempus trium, et quod ſuper eſt, ii vero huius ſpeciei quinque menſium creſcendo conſumſerunt.

p. 61. *Caput alterum* exponit deſcriptionem internarum partium huius ranae. Miſſis iis, quae haec rana cum iis praecedentium ſpecierum communia habet, et quae absque icone vix intelligi poſſunt, ſequentia indicamus. Minus rubet cor in hac ſpecie, quam in ſuperius deſcriptis et motus eius in ipſo corpore diſſecto eſt diuturnior. Hepar huic ſpeciei fuſci ex

rubro

rubro coloris admodum magnum eſt, magnusque ven-
triculus, cuius motum periſtalticum etiam in illo ex
corpore euulſo per horam durare vidit Cl. Auctor.
Praeter teſticulum, appendices luteas et veſicam uri-
nariam depingit veſiculas ſeminales his ranis, licet
hae, quod mirum, multarum foemellarum ouis foe-
cundandis haud impares ſint, admodum paruas et
in papillam in inteſtino recto hiantem, quam penem
vocandam eſſe Cl. Auctor putat, deſinentes, quae
autem poſt coitus tempus collabuntur et quaſi euane-
ſcunt. Fellea veſicula maſculorum ratione lienis val-
de magna, foemellarum vero hic maior illa. Sub
finem huius ſectionis Cl. Auctor ſententias Cl. GAV-
TIER, quas dum de ranarum ſtructura, cum de illa-
rum generatione ſe inueniſſe gloriatur, explodit, et
haud absque ratione naturae contrarias eſſe oſtendit.

Hiſtoria ranarum nunc ad finem perducta, bu- p. 69.
fones in medium ducuntur, et quidem in *ſectione quar-
ta bufo aquaticus allium redolens maculis fuſcis* exami-
natur. Morem ſuum conſuetum et hic, et in ſequen-
tibus ſectionibus retinet Cl. Auctor, ita, ut in *capite
primo bufonis habitum externum* et *alias proprietates*,
in *capite altero ſtructuram internam* diſquirat. Germa-
nicum nomen *Kröte* deriuat ab antiquo vocabulo *kru-
pen*, qua in re ideo ab iis differt, qui a gallico voca-
bulo *Grotta* nomen deſumunt. Magna intercedit
bufones inter et ranas differentia: hae ob longiora
crura poſteriora per ſaltum cito a loco ad locum mo-
uentur, cum illi breuioribus cruribus poſterioribus
reptatu tantum incedant et vix ſaltu ſe promouere
poſſunt; deinde hae aſpectu ſunt amoeniores, illi
magis tetri; illis etiam magis, quam his ſolemne eſt,
ut lotium, homine quodam appropinquante, a ſe
eiaculent; illi etiam potius noctu, quam diu victum
quaerunt habitaculaque ſua deſerunt. Diuiduntur
bufones in terreſtres et aquaticos; illi inhabitant loca
ſub

ſub ruderibus effoſſa, hi vero uliginoſa; illi et hieme loca ſua non deſerunt, hi autem in fluminum limum et terram udam ſeſe immergunt. Inimici bufonum ſunt miluus cauda hirundinina, ciconia et aues aliae. Odor, a quo ſpecies haec nomen accepit et quem bufo hic ex ſe ſpargit, ſit ille in aqua vel in terra, allio ſimilis eſt, qui, agitato et vexato bufone, tam grauis et penetrans fit, ut lacrymas ex oculo eliciat. In diſſectione bufonum horum odor hic euanuit nec ullum percepit Cl. Auctor. Menſibus Martio et Aprili coitum celebrare ouaque parere ſolent. Praeter magnitudinem, qua foemella praeſtat maſculum, et colorem vix eſt differentia foemellam inter et maſculum, cum et in hoc caro illa nigra in pollice pedum anteriorum ranarum obſeruanda deficiat. Color fuſcus ob maculas, quibus aliae quaedam floride aurantii miniaceique coloris interſperſae ſunt, hic dilutior, illic ſaturatior deprehenditur, ita, ut ſuperior ſuperficies chartam, in qua inſulae varii magnitudinis depictae ſunt, referat geographicam et ut difficile ſit dictu, uter color haphe dicendus. Bufo hic differt etiam ab aliis ſpeciebus eo, quod unguem ſpurium quaſi corneum in pedibus poſterioribus ſubter calcem gerat, et quod oculorum eius pupilla contracta non tranſuerſe, ſed ad perpendiculum fiſſa eſſe videatur. Clamor huius ſpeciei haud gratus eſt: grunnit enim et coaxat maſculus, foemella vero ſuum ad modum tantum grunnit. In coitu maſculus non, ut in praecedentibus ranarum ſpeciebus, pectus foemellae, ſed lumbos ad crura poſteriora tantum amplectitur. Dum nunc foemella ſe ad oua parienda accingit, maſculus corpus ſuum valde contrahit, quo crura poſteriora in deſcripto amplexu longe a cruribus foemellae poſterioribus diſtantia, et anum ſuum magis orificio, ex quo ſperma exiturum eſt, appropinquet. Inter haec retracta crura oua a foemella edita quaſi retinet uſque dum ſemine ſuo irrorauerit, quo facto oua dimittit

mittit

mittit et crura ſua iterum extendit. Hoc eo facilius fieri poteſt, cum foemella oua ſua non uno temporis momento omnia, ſed per interualla prodat. In ipſo ſemine conſpergendo ad canum coeuntium morem ſe motitat maſculus. Sperma vero tam diu pendet ex ano foemellae inteſtini inſtar, pellucido muco nigrisque granis repleti, quam diu partus, qui ad ſex, octo et plures horas protrahitur, durat. Gyrinorum in ouis his oriundorum euolutio et incrementi hiſtoria a Cl. Auctore deſcripta ita comparata eſt, ut plane non ſe contrahi patiatur. Euolutio, incrementum et mutatio in veros bufones durat a duodecimo die menſis Aprilis ad viceſimum octauum uſque Iulii. Gyrini hi, adhuc dum pedibus deſtituti ſunt, perfectam piſcis formam habent, et tantae ſunt magnitudinis, ut paupera ruſtica gens iſtos piſces credat comedatque. Statim vero ac cauda tenellis bufonibus decreuerit, in aqua diutius contineri vix patiuntur, retenti in illa moriuntur. Odor quoque nunc, antea nullus, in illis exſurgit.

Caput alterum continet anatomicam gyrinorum et bufonis huius ſpeciei deſcriptionem in qua, praeter ea, quae intacta relinquere cogimur, annotamus, eſſe non ſolum bufonum ſed etiam ranarum gyrinis, teſte SWAMMERDAM, branchias ad aerem in aqua ducendum neceſſarias. In adultiori varia inuenit Cl. Auctor momenta, quibus haec bufonum ſpecies ab aliis ſecerni poſſit, inter quae hoc praecipuum videtur, quod canalis tenuis in utriuſque renis dorſo ad inteſtinum rectum progrediens, illudque perforans veſicularum vices gerat ſpermaticarum. p. 80.

In *ſectione quinta bufonis terreſtris dorſo tuberculis exaſperato oculis rubris* et *capite* quidem *primo* illius *generationis reliquarumque proprietatum* traditur hiſtoria. Haec bufonis ſpecies noſtris in regionibus notiſſima nomen accepit a loco, in quo ut plurimum p. 85.

reperi-

reperitur, a puſtulis et tuberculis, quae in dorſo habet atque a colore oculorum ad diſtinguendam ab hac aliam bufonis terreſtris ſpeciem, cuius oculi pallide flauent. Natura his bufonibus corpus valde ignauum, curtum arctumque largita eſt. Caput obtuſum ſupra maiores oculorum globos duo tubera, pone illos duo alia eaque maiora craſſioraque poſita habet, quae variis perforata ſunt poris. Crura anteriora quaternis, poſteriora quinis ſunt inſtructua digitis. Color ſuperficiei ſuperioris ipſis vix conſtans tribui poteſt, quippe qui nunc oliuae inſtar viret, nunc nigreſcit, nunc cinereus, nunc ex rubro vel flauo in fuſcum abit: inferior ſuperficies vero vel pallet vel ex albo in cinereum vergit. Oculorum rutilorum iris libere aperta circulum, contracta autem ſciſſuram horizonti parallelam deſcribit. Maſculi a foemellis differunt colore ſuperficiei inferioris, quae in foemellis multis ſaturatioribus maculis inſignita, in maſculis vero unicolor magis pallidiorque eſt; differunt etiam cruribus anticis, quae craſſiora et in pollice digitoque proximo non nulla cutis nigrae poſt coitum euanidae ſigna oſtendunt. Caueas ſuas, quas ſibi ipſi effodiunt, vix ante ſolis occaſum egrediuntur et noctu victum ſuum inſectis captandis quaerunt. In cellis etiam atque ſtabulis hic bufo interdum reperitur, quod Cl. Auctorem, ut credat, commouit, eſſe hanc ſpeciem illam ab aliis vocatam *cellarem.* Venenum, quo bufones hi a vulgo accuſantur, in dubium vocat Cl. Auctor. In coitu, cui menſe Martio et Aprili pro tempeſtatis clementia, nunc citius, nunc tardius, indulgent, amplectitur quidem cruribus anterioribus maſculus foemellam, ſed brachia non porrigit ad pectus uſque foemellae, digitos in alas tantum inſerit quaſi, ſimulque grunnit ululatque ad canium ululantium morem. Quo ipſum ouorum partum et illorum a maſculo factam foecundationem diſtinctius videret, multam Cl. Auctor adhibuit

hibuit operam, qua tandem didicit: poſt octo dies et poſt praegreſſam inquietudinem motumque in abdomine foemellae inſignem, eandem extenſis cruribus poſterioribus edere oua ſua; quo temporis momento et maſculum corpus ſuum extendere, ut ani ſui apertura ano foemellae e directo reſponderet; crura poſteriora tremula contrahere, et poſtremum ſui corporis laſciuientis inequitantis alteri, canis ad inſtar, motitare, cruribus poſterioribus edita una vice oua in globum colligere, quo eo facilius omnia, certe plura, ſemine ſuo irrorare poſſet, quod ceu liquorem turbidum ex diducto ano illum effundere vidit Cl. Auctor, quo facto, inter maſculi femora ita oua emergere, ut ex ano veluti propelli viderentur, poſt aliquam remoram paulisper maſculum crura ſua poſteriora a ſe inuicem dimouere, et oua hac vice a foemella emiſſa et a maſculo foecundata, duas ex nigris paruisque coralliis compoſitas et ad craſſitiem inferioris partis culmi accedentes lineas repraeſentantia in conſpectum prodire. Corallia haec dicta gluten tenax et pellucidum coniungit et, ne a ſe inuicem diffluant, efficit, nec linea iſta ſeiungitur a foemella lineas has poſt ſe trahente prius, quam omnia edita ſint oua, quod tempore duorum, trium pluriumque horarum termino fieri ſolet. Oua non ſingula ſuo circumdantur glutine, ſed omnia in filo illo glutinoſo tenaci haerent, non tamen ſine ordine, quippe duas alternatim efformant ſeries. Oua foecundata in dies mole auguntur, non foecundata etiam aucta diffluunt, et motum in aqua putredinoſum excitant noxio et interitu reliquorum gyrinorum, quod et iis praecedentium ranarum ſpecierum contigit. Tenellis bufonibus non diu habitaculum aquoſum gratum eſt, ſed ſtatim, ac quatuor adepti ſint crura, aquam deſerere ſtudent, et prope lacus paludesque eſſe malunt. Ab undecimo menſis Aprilis die ouula ſeſe mutant, et gyrini in bufonum mino-

rum formam increſcunt ad viceſimum uſque diem menſis Iunii, nec ſuo generi propagando ante quartum aetatis ſuae annum ſufficiunt.

p. 95. Ex *capite altero* haec liceat nobis indicare. Ouarium foemellae ex hac bufonum ſpecie maximum eſt, maximumque abdominis implet ſpatium atque duabus conſtat ex partibus, quarum quaelibet aliquot centena in ſe recludit oua. Vterus huius foemellae plane aliter eſt comparatus ac reliquarum et bufonum et ranarum; duorum ſcilicet refert cornuum formam, quae forte ratio, cur hae foemellae oua ſua duorum filamentorum forma pariant. In maſculo veſica ad modum ampla, adeoque pro magna urinae colligendae copia et in ſui defenſionem conſeruanda apta in duas diuitur partes aequales. Veſiculae ſeminales et in hoc conſtant unico tantum ex canali ter inflexo. Habitus externus ſceleton etiam ab aliis aliquo modo differre oſtendit.

p. 97. *Sectio ſexta* comprehendit *bufonis ignei* hiſtoriam. Bufoni huic quatuor a Cl. Auctore deſcriptorum minimo, nomen a maculis rutilis illis et viuide aurantiis, intermiſtis aliis coeruleis atro cinctis in inferiori corporis ſuperficie conſpiciendis, conſentiente LIBAVIO, fuit inditum. Vocatur etiam *Rubeta.* Bufo aquaticus eſt, quod crura poſteriora, quae membrana illa inter digitos extenſa et natando inſeruiente ſunt inſtructa, teſtantur. Ad modum timidus eſt ſemperque hominis adſpectum fugit, ita, ut et ex aqua raro totum caput, plerumque tantum nares et oculos porrigat et mox, appropinquante quacunque re, ſe protinus in fundum praecipitet. Sonum quidem edit maſculus huius ſpeciei, ſed ſurdum et citius reiteratum grunnitum riſum fere exprimentem haud ingratum. Oculi in his minus, quam in reliquis ſpeciebus, a ſe inuicem diſtant, quorum pupilla in obſcuro orb m, in aprico vero contracta triangulum tenui au-

reoque limbo circum datum deſcribat, ex quo Cl. Auctor buſonem hunc diurno tantum tempore in terram aſcendere concludit. Superficies ſuperior ſpurco et oliuae vel ſaturatiori vel pallidiori colore, ſparſis hinc inde variae magnitudinis tuberculis et puſtulis, tecta eſt; hoc color ſuperficiei inferioris ſuperius deſcriptus amoenior. Agilior haec *Rubeta* celeriorque et ſaltando et natando reliquis deprehenditur. Mirari meretur illius aſtutia, quam Cl. Auctor his verbis depingit: *quod ſi ab aquis*, in quas appropinquante quacunque re mox ſe immergit, *arceatur*, *ad terram ſeſe applicat*, *quo melius lateat minusque cernatur*, *ubi vero eandem turbaueris tetigerisque*, *adeo mira formam ſuam mutat ratione*, *ut credideris*, *beſtiam*, *quam modo oculis vidiſti*, *in aliam prorſus fuiſſe mutatam*; *ita ſcilicet caput*, *quatuorque cum pedibus crura in dorſo aluei inſtar contracta*, *collocat*, *ut ſuperficies potius inferior*, *aurantio*, *quam ſuperior*, *oliuae colore tincta*, *conſpiciatur atque ipſa colorem ſaltem mutaſſe videatur*. *Hanc formam per decem fere momenta ſeruat*, *donec ſe tutam rurſus arbitretur*; *ſi vero eandem denuo turbes*, *ex craſſiore crurum poſteriorum parte ſpumam emittit ſaponato ſimilem nullum tamen fundentem foetorem*. Percepit vero in illa diſſecanda Cl. Auctor in oculis ac naribus rodentem pruritum, qualem, qui coryza laborant, percipere ſolent. Cibus his naturalis ſunt inſecta. Libido coeundi oritur in iis interdum quidem menſe Maio et Aprili, ſed vana et irrita, Iunius enim menſis ipſi a natura coitus eſt conſtitutum tempus. Comprehendit maſculus foemellam, eodem modo, quo ille allium redolens foemellam ſuam ſolet. Conſumtis in amplexu venereo octo diebus, tandem foemella in fundum deſcendit, maſculus corpus ſuum valde contrahit, anumque ſuum appropinquat ad anum foemellae, poſterioremque corporis partem velociſſime ab uno ad alterum mouet latus, foemella nunc parum ſpermatis emittit, maſculus ve-

p. 100.

ro immota tenet ſua poſteriora crura. Statim vero, ac maſculus ſemine ſuo ſperma hoc excluſum irrorauit, illud in fundum decidit et ambo poſt aliquas inducias laborem repetunt duodecies pluriesue. Hoc ſperma ſemper in fundo retinetur, nec, niſi raro, ſuperiora verſus tendit. Oua in illo collocata omnibus aliis ſpecierum reliquarum maiora ſunt, licet magnitudine omnes reliqui bufones noſtrum praeant, et ſingula ſuo circumdantur glutine pellucido. Paucis poſt partum horis intumeſcebat hoc, ut Cl. Auctor obſeruauit, nec non ouorum moles, altero die oua globoſam formam mutauerant ita, ut alia impreſſa iuglandis putamen, alia pyri formam exprimerent, inter quae haec foecundata, illa vero minus foecundata erant. Gyrini ex his foecundatis ouis nati, ut et ii reliquorum bufonum, id peculiare habent, quod, cum ad modum tenelli ſunt, os eorum papilla quadam ſit praeditum, cuius ope laeui vitro ſe agglutinant et ex qua filum tenax deducunt, ex quo pendent, cuiusque auxilio quaſi repentes ſe promouent. Creſcunt interim gyrini hi et denique, cauda, quae ſingularis eſt huic ſpeciei, abſumta, veram induunt bufonis etſi minoris formam, qui deinde per hiemem ſub aqua in limo atque terra hibernant. Rubeta tertio demum anno generandi facultates acquirit, quis vero vitae illius terminus? Cl. Auctor definire nequit.

p. 104. *Caput alterum partes internas ignei bufonis* enumerat. Hepar his bufonibus ſemper fuſcum, veſica urinaria exigua nec, ut in aliis ranis et bufonibus, in duas partes diuiſa, praeterea ſingularis figurae, quae quippe par cornuum detruncatorum aequat; patet itaque ratio, cur hi bufones fugati nullum poſt ſe eiiciant liquorem. Differunt quidem ſceleton et generationi inſeruientes partes et maſculi et foemellae ab iisdem reliquarum ſpecierum partibus, tam leui vero diſcrimine, ut illud a nemine, qui tabulas de his partibus depictas contemplandi deſtituitur

tur copia, vel breuiter deſcribi vel accurate intelligi poſſe credamus.

Subiungit nunc in *Sectione ſeptima* Cl. Auctor *bu-* p. 107. *fonis terreſtris foetidi* et in *capite primo proprietatum eius*, *coitus et generationis* hiſtoriam. Bufo hic etiam *bufo arundineta habitans* (*der Röhrling*,) in Thuringia *cruciatus*, et in Saxonia *die Hausunke* vocatur. Paratur ex hoc coaceruatim circa feſtum S. Ioannis collecto oleum, quod inunctum articulorum doloribus et neruorum reſolutioni mederi fertur. Impoſuit Cl. Auctor bufoni huic nomen foetidi ideo, quod vexatus ille et irritatus foetorem ſpirat intolerandum odori pyrii pulueris accenſi ſimilem, ſed ingratiorem multo moleſtioremque. Tanta hunc inter et bufonem terreſtrem dorſo tuberculis exaſperato oculis rubris intercedit conuenientia, ut parum abfuerit, quin Cl. Auctor, unam eandemque ſpeciem eſſe credidiſſet, ſed mox, illo attentiori conſiderato oculo, apparuit, lineam illam luteam in dorſo a capite recta via per totum corpus procedentem, oculorum papillam pallidam et ex lucido viridi cineream, breuius contractiusque corpus, curtiora crura, deficientem inter digitos pedum alias expanſam membranam, eius modi eſſe notas, quibus hic ab aliis facillimo negotio diſcerni poſſet et ideo pro vera ſpecie eſſet habenda. Non ſaltat hic bufo, ſed pedibus inſiſtens ad muris inſtar currit; curſum vero ſaepius quieſcens interrumpit et una vice vix ſpatium quatuor quinqueue pedum poſt ſe reliquit. Superficiei corporis eius ſuperioris haphe ſaturatus oliuarum color eſt variis ad concinniorem poſitis ordinem fuſcis puſtulis aequalis magnitudinis notatus; color vero ſuperficiei inferioris ex lucide cinereo in oliuae non nihil vergit colorem; utramque ſuperficiem ad latus utrumque faſcia quaſi intercedit irregularis varie inflexa et dentata lucide ex rubro flaueſcens aliquot minoribus in-

 feriora

ſeriora verſus rubentibus puſtulis inſperſa; pone oculos aliae, pallidiores vero, et ad angulum oris aliae lucide carnei coloris puſtulae coaceruatae obſeruantur. Et hic buſo, ut reliqui omnes, veſcitur inſectis. Diei lumen etiam reformidat, nec, niſi nocturno tempore, habitaculum ſuum in muris dirutis petrarumque foraminibus vel elatiora ad loca vel ad tumulos in terra occupatum deſerit, in quo decem quin viginti inueniuntur. Loca haec, quum cum terra non ſemper ſint eodem plano, interdum ad tres pedes elata et ad perpendiculum recta ſunt, ut ideo mirum ſit, qui ad illa buſo peruenire poſſit. Sed fortuito caſu Cl. Auctor non nullos ope apicum digitorum corneae duritiei ſingularisque ſtructurae ſat ſecure, licet lentius, murum rependo ad ſciſſuram habitaculum ſuum vidit aſcendere, ex quo noctu eodem modo iterum deſcendunt. Hunc aſcenſum multum adiuuat pituitoſa, quam puſtulae humectant ſemper, ſuperficies inferior, quae muro applicata, aere inter hanc et murum inde expreſſo et nunc a tergo buſonem tantum ambiente adeoque ad murum apprimente, ſe arctius agglutinat ita, ut ex muro recto pendere poſſit ille. Coitus tempore, quod in Iunium menſem incidit, ingrediuntur aquas ſtagnantes ripis vadoſis nec non herbis et arundinetis circum vallatas, at in iis tamdiu commorantur, quamdiu rei venereae operam nauant. Gaudia ſua coitu percepta clamore, illi arboreae ranae clamore haud abſimili, maſculi produnt, in quo edendo etiam ut rana illa gulam, ut ſaccum aere plenum, inflant, qui dilute coerulei eſt coloris. Amplectitur in coitu maſculus foemellam fere ita, ut buſo terreſtris ſuam fere amplecti ſolet. Ouorum partus unius horae ſpatio abſoluitur. Prodit ſperma in duobus tenuibus filis, quale in buſone terreſtri dorſo tuberculis exaſperato, deſcriptum fuit; oua tamen in his non ſerie duplici, ſed unica tantum in glutine iacent. Nonaginta dierum

rum ſpatium, a die ſcilicet quinto menſis Iunii ad initium Octobris, uſque protractum ad euolutionem horum gyrinorum plenariamque in bufones mutationem requiritur. Statim vero, ac cauda defluxerit, diutius aquae ineſſe reſpuunt tenelli et loca ſicca quaerunt.

In *capite altero de internis* bufonis huius *partibus* p. 112. *praecipue generationi inſeruientibus* agit. Bufonem anatomice diſquiſiturus et illum viuum ad id negotii componens Cl. Auctor ex huius corporis ſuperficie albentem ſpumentemque humorem prorupiſſe vidit, quo prorupto mox intolerabilis foetor ortus fuit odore pyrii pulueris accenſi, nec non illo, quem tubuli non nulli fictiles recentes, quibus tabaci fumum ſugimus, olere ſolent, grauior moleſtiorque, parum alienus ab illo, qui ex auripigmento per trituram calente oritur. Tanta vi humorem hunc ex ſe ſpargunt, ut Noſtro Auctori quatuor pedes a quodam remoto non nullae guttulae in manus ceciderint. Odor illius difficillime diſſipatur nam per duos integros menſes loca in qua aliae guttulae defluxerant, tam grauiter foetere non ceſſarunt. Cauſam et originem huius rei, dum Cl. Auctor inueſtigauit, cute detracta in alis et circa inguina ex pallido flaueſcentem inuenit glandulam, qua omnes reliquarum ſpecierum bufones deſtituuntur, et quae tenuem canalem in alios graciliores diuiſum, qui forte huius humoris ſcaturiginem efficiunt, habebat. Glandulae hae diſſectae nihil exhibebant humoris nec foetoris, nihilo tamen minus has glandulas organa huic humori ſecernendo dicata eſſe credat Cl. Auctor. Vtrum vero humor ille venenum ſit, nec ne? ambigit. Reliqua diſcrimina in diſſectione obſeruata non tanti nobis videntur momenti, ut curatius illa adduceremus. Nobis ſufficiat duo illa oſſicula ſingularia in inferiori ſuperficie anteriorum pedum haerentia bufonem mu-

 ros

ros adſcendentem iuuantia adducere. Sub finem non nulla etiam de *bufonite* addit verba.

Abſoluit nunc Cl. ROESEL egregiam hanc ranarum bufonumque hiſtoriam et plus praeſtitit, quam promiſerat; duorum enim tantum bufonum hiſtoriae expectandae ſpem nobis fecerat. Maximam itaque ab orbe erudito et a quolibet, qui hiſtoriam naturalem amat, meretur laudem, qui naturali ranarum hiſtoriae, doctrinaeque de generationis negotio tantum accenderit lucis, quantum ante eum nemo; et nulli, praeunte nobis in praefamine Ill. HALLERO, aſſerere dubitamus, hoc libro ſibi tantum comparaſſe Cl. Auctorem famae, ut nunc cum viris maximi nominis et de re hiſtorica naturali optime meritis VALISNIER, REAVMVR, SWAMMERDAM, TREMBLEY, BONNET et CAROLO DE GEER conferri omnino mereatur. Eo auidius in fine huius operis praemiſſam lacertarum noſtratium expectamus hiſtoriam, quo magis nobis compertum eſt, fieri omnino poſſe, ut Cl. ROESELIVS viribus aetate et morbo fractis impediatur, quo minus ſtet ſuis promiſſis. Coniungamus noſtra vota cum iis, qui hiſtoriae naturalis incrementum cupiunt, et Ipſi nouas vires, vitamque tranquillam a ſummo precamur Numine, quo diligentiae ſuae fructibus uti diutius, et orbem litterarum nouis ditare poſſet ſcriptis tanto viro dignis.

IX.

Vorſtellung mancherley fremder und ſeltener Thiere, alle auf das richtigſte in Kupfer gebracht, der Natur gemäß mit ihren Farben abgebildet, und herausgegeben von IOHANN DANIEL MEYERN, *Miniatur-Mahler, dritter Theil. Nürnberg*, 1756. fol. mai. pl. 3½. tab. 40.

i. e.

Delineatio variorum exoticorum rariorumque animalium, accuratiſſime aeri inciſorum et ad viuum coloribus expreſſorum a IOANNE DANIELE MEYER, Pictore cet.

Licet primam atque ſecundam huius libri partem iam indicauerimus *, nunc tamen de altera parte quaedam adhuc monemus; tantum modo enim ſeptem tabulae ad nos miſſae erant, cum eius faceremus mentionem. Continet vero tota ſecunda pars plagulas 7½ et ut praecedens tabulas centum. In his non tantum icones animalium ad viuum et accurate delineatae deprehenduntur et naturam egregie exprimunt, ſed et ſceleta addita ad mechaniſmum motus animalium declarandum optime faciunt. Cum enim non ſolum animalia quadrupeda, ſed et multae aues repraeſententur, diſpoſitio clauicularum et ſterni in eorum greſſu et volatu aptius declarando nos inſtruit. Cum his etiam piſcium et reptilium ſceleta comparari poſſunt. In additis explicationibus lingua vernacula expoſitis plurima, quae hiſtoriam animalium illuſtrant, ex optimis auctoribus congeſta inueniuntur. Cum vero Cl. Auctor ob defectum talium animalium, quorum ſceleta ſimul exhiberi poſſent, ab inſtituto ſuo deſiſtere cogeretur, illud paullulum mutauit et tantum collectionem rariorum animalium, omiſſis

T 5 eorum

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 82 ſeq.

eorum ſceletis, in tertia parte edere ſibi propoſuit. Ad hoc perficiendum Cl. SEBAE locupletiſſimum rerum naturalium theſaurum et Academiae ſcientiarum Pariſienſis ſcripta elegit, in quibus icones animalium rariſſimorum deprehenduntur, ſecundum quas Cl. Auctor delineationes ſuas effinxit. Num vero colores ipſi animalium colori reſpondeant et ſecundum naturam expreſſi ſint, aliis diiudicandum relinquimus. Cum enim Auctores, qui animalia delineata et aeri inciſa exhibuerunt, colorem primarium nominando, pictorem inſtruxerint, ille mutationes colorum in variis corporis partibus non ſatis inuenire et inde naturae conuenientes icones exhibere potuit. Opus hoc continuare quidem ſecum conſtituebat Cl. Auctor, cum anno 1757 in febrem catarrhalem incideret, quae in lentam tranſibat Noſtrumque quadrageſimo quarto aetatis anno e viuis tollebat.

Hac quoque occaſione indicanda nobis adhuc eſt IOANNIS MARTYN hiſtoria plantarum rariorum a Cl. MEYERO edita, cuius decadem primam iam indicauimus, * acceſſerunt poſtea quatuor adhuc decades, ita, ut totum opus plagulas 6 tabulasque 50 contineat. Comprehenduntur vero in decade ſecunda: 11) *Virga aurea Marilandica, ſpicis florum racemoſis, foliis integris ſcabris.* 12) *Virga aurea altiſſima, ſerotina, panicula ſpecioſa patula.* 13) *Geranium Africannm arboreſcens Maluae fol. mucronato, petalis florum inferioribus vix conſpicuis.* 14) *Geranium folio Alceae tenuiter laciniato, flore pentapetalo, purpuraſcente, ſemine tenui.* 15) *Tithymalus Creticus, Characias, anguſtifolius, villoſus et incanus.* 16) *Caſſida Orientalis, Chamaedryos folio, flore luteo.* 17) *Aſter Virginianus, pyramidatus, Hyſſopi foliis, aſperis, calycis ſquamulis foliaceis.* 18) *Corona ſolis Caroliniana paruis floribus, folio trinerui, amplo, aſpero, pediculo*

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 81.

pediculo alato. 19) *Caſſia Bahamenſis pinnis foliorum mucronatis, anguſtis, calyce floris non reflexo.* 20) *Caſſia Barbadenſis pinnis foliorum mucronatis, calyce floris non reflexo.* In Decade tertia: 21) *Caſſia Marilandica pinnis foliorum oblongis, calyce floris reflexo.* 22) *Cotyledon Africana fruteſcens; foliis aſperis, anguſtis, acuminatis, flore vireſcente.* 23) *Sinapiſtrum Zeylanicum, triphyllum et pentaphyllum, viſcoſum, flore flauo.* 24) *Bidens Caroliniana, florum radiis latiſſimis, inſigniter dentatis, ſemine alato per maturitatem conuoluto.* 25) *Narciſſus totus albus latifolius polyanthos maior odoratus, ſtaminibus ſex e tubi ampli margine extantibus.* 26) *Geranium Africanum, arboreſcens, Ibiſci folio, anguloſo, floribus amplis, purpureis.* 27) *Abutilon Americanum, fructu ſubrotundo, pendulo e capſulis veſicariis criſpis conflato.* 28) *Ficoides Afra, folio triangulari, enſiformi, craſſo, breui, ad margines laterales multis maioribusque ſpinis aculeato, flore aureo, ex calyce longiſſimo. Tabula* 29 *et* 30 *fungos et algas plures continet.* In Decade quarta: 31) *Abutilon Americanum, flore albido, fructu e capſulis veſicariis, planis, conflato, pediculo geniculato.* 32) *Abutilon Carolinianum, reptans, Alceae foliis, giluo flore.* 33) *Linaria Hiſpanica, procumbens, foliis uncialibus glaucis, flore flaueſcente pulchre ſtriato, labiis nigro purpureis, et linaria coerulea foliis breuioribus et anguſtioribus.* 34) *Granadilla Americana, folio oblongo, leuiter ſerrato, petalis ex viridi rubeſcentibus.* 35) *Granadilla Americana, fructu ſubrotundo, corolla floris erecta petalis amoene fuluis, foliis integris.* 36) *Ricinoides paluſtre, foliis oblongis ſerratis, fructu hiſpido.* 37) *Maranta arundinacea, Cannacori folio.* 38) *Gronouia ſcandens, lappacea, pampinea fronde.* 39) *Milleria annua erecta, foliis coniugatis, floribus ſpicatis luteis.* 40) *Martynia annua, villoſa et viſcoſa, folio ſubrotundo, flore magno rubro.* In Decade quinta: 41) *Crotalaria Americana, caule alato, foliis piloſis,*

loſis, floribus in thyrſo luteis. 42) *Anonis Caroliniana perennis, non ſpinoſa, foliorum marginibus integris, floribus in thyrſo candidis.* 43) *Sinapiſtrum Indicum, ſpinoſum, flore carneo, folio trifido vel quinquefido.* 44) *Ricinoides herbaceum foliis trifidis vel quinquefidis et ſerratis.* 45) *Milleria annua erecta minor, foliis Parietariae, floribus ex foliorum alis. Milleria annua erecta ramoſior, foliis maculatis profundius ſerratis.* 46) *Limonium Africanum, caule alato, foliis integris hirſutis, petalo pallide flauo, calyce amoene purpureo.* 47) *Turnera fruteſcens ulmi-folia. Turnera fruteſcens folio longiore et mucronato.* 48) *Helleborine Americana, radice tuberoſa foliis longis, anguſtis, caule nudo, floribus ex rubro pallide purpuraſcentibus.* 49) *Granadilla folio haſtato, holoſericeo, petalis candicantibus, fimbriis ex purpnreo et luteo variis.* 50) *Granadilla folio lunato, flore paruo, albo, fructu ſucculento, ouato.*



X. The

X.

The Natural Hiſtory of Aleppo and parts adjacent, containing a deſcription of thy city, and the principal natural productions in its neighbourhood, together with an account of the climate, inhabitants, and diſeaſes particulary of the plague, with the methods uſed by the Europeans for their preſervation. By ALEXANDER RVSSELL, M. D. London printed for A Millar 1756. 4. mai. alph. 1. pl. 12½. tab. aen. 16.

h. e.

Hiſtoria naturalis Aleppi et terrarum adiacentium continens deſcriptionem urbis ipſius et praecipuorum naturae productorum agri vicini, accedit relatio de climate, incolis et eorum morbis, ſpeciatim de peſte et methodo, qua ab eius contagio ſe praeſeruant Europaei Auctore ALEXANDRO RVSSELL. cet.

Cum Cl. Auctor per tredecim annos Aleppi commoraretur et medicinam ibi faceret, de epidemicis morbis et ſpeciatim de peſte, per tres annos ibi graſſante obſeruationes non nullas congeſſit, quo exteris, in primis Anglis, qui in ea urbe commerciorum cauſa viuunt, conſuleret; interea vero et mores incolarum et varias eorum conſuetudines, ſitum urbis et agri vicini, corpora naturalia, quae in ea regione inueniuntur, tempeſtatum viciſſitudines et alia ad accuratiorem morborum cognitionem pertinentia ſtudioſe annotauit et ita praeſens opuſculum elaborauit illudque in duas partes diſtribuit. In prima nimirum parte de urbe ipſa eiusque ſitu expoſuit, inde ad vicinos agros degreſſus eſt et de cultura terrarum

climatis

climatis conſtitutioni reſpondente non nulla in genere praemiſit, poſtea plantas, mineralia et animalia deſcripſit, mores deinde, religionem, veſtimenta, victum, aedificia publica, et alia, quae hiſtoriam ciuilem ſpectant, curioſius declarauit, et non nulla ex his, iconibus additis, illuſtrauit, tandem ad morborum generalem conſiderationem progreſſus eſt. De his vero in altera parte amplius expoſuit, obſeruationes meteorologicas generales praemiſit, tempeſtatum viciſſitudines ab anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo ad quadrageſimum ſeptimum, et anni quinquageſimi ſecundi et tertii ſigillatim propoſuit, porro epidemicam conſtitutionem modo dictorum annorum fuſius proſequutus eſt, deinde de peſte egit et hanc quidem non tantum in genere conſiderauit, ſed eandem etiam Aleppi ab anno quadrageſimo ſecundo ad quartum vehementius graſſantem deſcripſit et methodum indicauit, qua Europaei ſe ab ingreſſu diri huius morbi praeſeruant, tandem de morbo ſeu ulcere aleppico pauca ſubiunxit. Noſtrum quidem nunc erit, varia ex ipſo opuſculo, quae notatu digna viſa ſunt, ſubiungere, et praecipue ad hiſtoriam naturalem et morborum conſiderationem reſpicere, ea enim, quae mores et conſuetudines concernunt, ita comparata eſſe videntur, ut cum omnium orientalium populorum in primis Muhammedis religioni addictorum viuendi genere conueniant.

p. 1. Aleppum, Haleb Arabum, metropolis Syriae eſt octo colliculis ſuperſtructa, latitudo ſeptentrionalis triginta ſex graduum et duodecim minutorum eſt, longitudo triginta ſeptem gradibus quadraginta minutis orientem verſus a londinenſi meridiano diſtat. Situ urbis et vicinis terris breuiſſime deſcriptis conſtantes anni temporum varietates pro climatis indole
p. 12. generatim indicat Noſter. A medio Decembris ad finem circiter Ianuarii hyemis vehementia aere frigido moleſta eſt, aqua autem rariſſime in niuem et glaciem

glaciem cogitur, flores potius vernales, violae, narciſſi et hyacinthi tunc prodeunt, et Februario menſe terrae ſuperficies viridi ornatu apparet, quo tempore etiam perſica malus et ſimiles arbores flores citius quam folia euoluunt. Martio igitur menſe vernale tempus gratiſſimum ſe offert, Aprili vero iam menſe aeſtus celeri mutatione ſubſequitur, qui menſe Majo iam ita urget, ut uſque ad medium Septembris nulla pluuia nec frigidiuſculus aer, niſi de nocte, corpora reficit. Circa finem Septembris demum pluuiae ſuccedunt, quae aere temperato et ſereno intercurrente incolas grate afficiunt. Menſe Nouembri pluuiae continuae et hyemis viciſſitudines uſque ad medium Decembris obſeruantur.

Recenſet poſtea Cl. Auctor plantas ſpontaneas p. 22.
et alias cultura productas, additis vel nominibus triuialibus, vel ex CASPARIS BAVHINI pinace vel TOVRNEFORTII inſtitutionibus citatis, ſequentes vero ex TOVRNEFORTII corollariis potiſſimum citatas plantas, artificioſa EHRETI manu delineatas et aeri inciſas exhibet. *Onobrychis orientalis galegae foliis erectior, floribus lineis purpureis utrinque reticulatis* TOVRN. Coroll. 26. *Thlaſpi orientale ſaxatile flore rubente, foliis polygalae, petalis florum aequalibus.* TOVRN. Coroll. 15. *Allium ſylueſtre ſiue moly minus albo amplo flore* TOVRN. Coroll. 26. dubie proponit, nec nobis videtur allii ſpecies, cum flos tubuloſus limbo ſexfido, tubo longiſſimo delineatur. *Onobrychis orientalis incana flore luteo, fructu magno radiato.* TOVRN Coroll. 26. ad onobrychidem fructu echinato minore C. B. P. 350. quae eſt hedyſarum 33. LINN. ſp. p. 751. forte ut varietas referri poſſet. *Lotus Graeca maritima, folio glauco et velut argenteo.* TOVRN. Coroll. 27. dubie proponitur, cum vulgari ſpecie quoad habitum conuenit. *Tragacantha orientalis veſicaria erectior, caule ab imo ad ſummam florido. Ilex aculeata cocci glandi-*

fera

fera glande maxima nunc cylindrica nunc ſubrotunda cupula echinata dubie proponitur, nec fructus in icone exprimitur. *Aſtragalus quidam montanus onobrychis aliis* dubie proponitur, vera aſtragali ſpecies eſt ut ex fructu patet, ad monſpeſſularum IOH. BAVH. in Hiſt. 3. p. 338. accedere videtur. *Phlomis orientalis hormini folio, flore minore calyce glabro*, ad ſaluiam potius, quam ad phlomidem referri meretur. *Phlomis orientalis anguſto et longiore folio, flore luteo* a phlomide foliis ſubrotundis tomentoſis crenatis inuolucris lanceolatis, LINN. ſp. I. p. 584. non niſi foliis oblongo cuſpidatis differre videtur. Dolendum omnino eſt, his nitidis figuris nec aliquam deſcriptionem nec citata Auctorum addita eſſe, pauca enim hariolando tantum aſſequi potuimus.

p. 47. Mineralis regni producta pauca omnino ſunt, deficit ipſa argilla vaſis conficiendis apta, terra fullonia tamen, qua loco ſaponis utuntur, aliquo in loco deprehenditur. Lapides arenarii et calcarei ad aedificia exſtruenda non deficiunt, et in planitie vicina magna ſalis communis copia efflorescit et colligitur.

p. 50. Ad deſcribenda igitur animalia et domeſtica et ſylueſtria progreditur Noſter, in his quoque pauca accurate definita, non nulla tamen nitide delineata inueniuntur. Kata, auis perdricis ſpecies videtur, gregatim accedit menſe Maio et Iunio, ardeae et gauiae ſpecies ad ripas fluuiorum deprehendendae. Inter piſces, quarum multas ſpecies recenſet, praecipue deſcripſit et delineauit ſpeciem ſiluro RONDELETII ſimilem, anguillam minorem et myſti duas ſpecies.

p. 136. Ad morbos frequentius occurrentes febres continuae et aliae earundem ſpecies, dyſenteria, rheumatiſmi, pleuritides et perineumoniae nec non ophthalmia referuntur, haec nunquam non occurrens longe frequentior eſt menſe Auguſto et Septembri praecipue inter eos, qui in aere libero dormiunt. Febres continuae vernales grauioribus ſymptomatibus ſtipatae

tae videntur quam autumnales, hae tamen illis longe pertinaciores ſunt. Dies critici eorumque mutationes tempori a veteribus notato in his terris magis reſpondere videntur, quam in noſtris. Ad phthiſin pulmonalem procliues in aere aleppico intra paucos menſes ſummum morbi augmentum experiuntur.

Sed mittamus haec et alia generatim de morbis propoſita, et ad ſpecialem tractationem in parte altera progrediamur. Caput nimirum primum tempeſtatum varietates per totum anni decurſum, quatenus easdem Cl. Auctor per obſeruationes meteorologicas plurium annorum cognouit, accurate proponit, utpote in morborum uniuerſalium conſideratione maxime neceſſarias. Ianuario menſe aut frigus quodam modo urget, aut pluuiae in primis de nocte cadunt; niues rariores ſunt, venti vero ex oriente et ſeptentrione mouentur. Februario menſe ſaepius pluit, ſed dies frigidiores interdum niues exhibent, interdum autem circa finem menſis, fauonio flante, coelum per plures dies ſerenum eſt vel tenuioribus nubibus tegitur. Martio menſe tonitrua et imbres crebriores ſunt, calor tamen aeris ſenſim paulatimque augetur. Aprili quidem menſe coeli ſerenitas maior eſt, in hoc tamen et ſequenti menſe interdum tonitrua et imbres haud raro cum grandine mixtae intercurrunt. Boreas et eurus calorem intendunt, fauonius vero eundem imminuit. Iunio, Iulio immo et Auguſto menſe coelum ſerenum eſt et, ventis quieſcentibus, nubes albae tenues vel nullae conſpiciuntur, aeſtus itaque vehementius urget, niſi fauonius interdum aerem temperatum reddat. Verſus finem Auguſti tenues et albae nubes frequentiores ſunt, et nocturno tempore roris copioſior geneſis obſeruatur. Septembri menſe et in primis verſus eius finem copioſae et obſcurae nubes eleuantur et pluuiae, quae primae dicuntur, cadunt aeremque paulo frigiodiorem efficiunt. Fulgura verſus ſeptentrionem ſaepius de no-

p. 147.

ſte apparent, verſus occaſum autem percepta pluuiam futuram praenuntiant. Venti ex occidente flantes, ut ſemper ferme, ſic hoc potiſſimum menſe frequentiores ſunt. Menſe Octobri gratiſſima eſt aeris temperies, inter viceſimum vero et triceſimum diem poſt primas pluuias nunc ſecundae ſequuntur, et tempeſtates et venti variantes ſuccedunt. Menſe Nouembri pluuioſa tempeſtas accedit, intermixta tamen non nunquam coeli ſerenitate, borea itaque et euro flantibus, nunc frigidior in primis matutino tempore aer eſt. Simili ratione Decembri menſe venti continuant, pluuiae crebriores ſunt nulla ferme ſerenitate coeli, ſed niue non nunquam intercurrente.

p. 158. Conſueta haec tempeſtatum variatio a climate et ſitu urbis pendens interdum ſingularibus prorſus mutationibus turbatur, in ſecundo igitur capite has varietates ab anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo ad quadrageſimum ſeptimum et annorum quinquageſimi ſecundi et tertii obſeruatas, ad explicandam morborum geneſin annotat. Nos ſpeciminis loco priores tres annos, in quibus peſtis Aleppi ſaeuiit, tantum ſiſtimus. Anno igitur quadrageſimo ſecundo frigidior erat hyems, ſed menſe Martio et Aprili calor inſignis et pluuiae parciores, a fine Maii per totum Iunium fauonius frigidam magis reddebat aeris temperiem, ſuccedebat poſtea feruidior aeſtas uſque ad primas pluuias Septembri menſe etiam parcius euenientes. Menſe Octobri pluuiae ſecundae quidem accedebant, ſed inde uſque ad decimum quartum Decembris diem ſerena nimis temperies aeris obſeruabatur, quo tempore poſt leuem terrae motum frigus ſuccedebat et ad medium Ianuarii anni quadrageſimi tertii durabat. Intercurrente quadam coeli ſerenitate pluuiae copioſae et hoc et toto Februario menſe conſpiciebantur. Martius frigidior erat, circa finem tamen pluuiae continuae ſuccedebant. Aprili menſe grata erat aeris temperies, ſed pluuias die

vigeſimo

vigeſimo accedentes excipiebat frigus. Menſe Maio et Iunio varia aeris diſpoſitio, mox frigida, mox calida inueniebatur, tonitrua in principio Iulii inſolita quadam ratione aerem commouebant, et ideo frigus ſequebatur, etiam Auguſto menſe ſaepius obſeruatum, Septembri magis calido exiſtente, uſque dum pluuiae primae ſubitaneum nimis frigus inducerent. Pluuiae ſecundae die vigeſimo quinto menſis Octobris accedebant, et ita continuabant, ut reliqua anni huius temperies regularibus ſupra deſcriptis mutationibus ſimilis eſſet. Menſe Ianuario anni quadrageſimi quarti copioſae niues et per aliquot dies perſiſtentes rariſſimo in his terris exemplo cadebant, menſe Aprili aliquoties terra commouebatur, Iunius et plures dies Auguſti iuſto calidiores erant, prima pluuia Septembris, parcior omnino, aeris calorem non ſatis moderabatur, circa finem tamen menſis aliae ſuccedebant pluuiae, quae ſufficiens refrigerium praeſtabant.

Mittamus nunc reliquorum annorum indicatas p. 190.
mutationes, et ex capite tertio epidemicos morbos annorum ſupra citatorum deſcribente, pauca tantum de tribus prioribus annis, quorum nimirum mutationes indicauimus, commemoremus. Initium anni quadrageſimi ſecundi morbos epidemicos non offerebat, ſed menſe Martio febres acutae cum dolore hypochondriorum frequentiores erant: in his purgatio alui antiphlogiſticis praeſtita, clyſteres emollientes et copioſa ſanguinis miſſio utilia erant auxilia, non quidem ad morbum penitus ſupprimendum, ſed ad regularem decurſum reducendum; his quidem neglectis vel febres morte terminabantur, vel morbo protracto in lentas mutabantur. Hae febres acutae tota quidem aeſtate occurrebant, vix tamen epidemicae dici poterant. Interea peſtis in vicinis terris iam ſaeuiebat, non tamen prius, quam circa finem Aprilis demum et principium Maii eius contagium etiam

 Aleppi

Aleppi obſeruabatur, morbusque ita increſcebat, ut multi ex populo tollerentur, circa finem Iulii tamen idem ceſſabat. Iulio menſe dyſenteriae frequentiores erant, quibus interdum petechiae accedebant. Menſe Septembri variolae epidemice graſſari incipiebant, quae Octobri menſe et confluentes et grauiores erant, nec, niſi ſub finem Decembris quodam modo mitiores euadebant. Circa medium Nouembris peſtis iterum ſaeuire incipiebat, minori tamen impetu procedens, et licet primis anni quadrageſimi tertii menſibus varioloſus morbus prorſus finiretur, peſtis tamen vehementia non deſinebat, cum potius per integrum annum, licet vario gradu, progrederetur. Haec tamen res Cl. Auctori non accurate ſatis innotuit, cum numerum demortuorum definire haud poſſit. Cum autem inter Chriſtianos menſe Maio potiſſimum quotidie ferme viginti vel triginta morirentur, et multi praeterea ex urbe ſeceſſerint, inter reliquos urbis incolas ſtragem longe maiorem fuiſſe certo certius eſt. Paulo poſt imminuebatur numerus de mortuorum, et a medio Nouembris uſque ad finem anni pauca peſtis veſtigia remanebant. Anno quadrageſimo quarto, menſe Februario tuſſes conuulſiuae infantum febre ſtipatae crebrius obſeruabantur, pleuritis vero et peripneumonia hoc et praecedenti menſe rarius occurrebant. Peſtis vehementia menſe Ianuario et Februario vix ulla erat, menſe Martio tamen ingraueſcebat morbus et uſque ad medium Auguſti durabat. Hoc tertio anno Noſter animo confirmatus aegros peſte affectos ipſe vidit, quorum curam praecedentibus annis tantum mediante miniſtro ſuſceperat.

p. 225. De peſte igitur aleppenſi capite quarto accuratius acturus Cl. Auctor in ſectione prima quaedam generalius annotata praemittit. Omni ferme decennio Aleppi peſtis una vice graſſatur et vel ex urbibus verſus ſeptentrionem vel verſus meridiem ſitis eo defertur.

fertur. Durante hyeme mitior eſt morbus, vernali tempore vehementior, et ad Iunium uſque increſcit, Iulio et Auguſto aliqua ex parte miteſcit, menſe Septembri et Octobri vix obſeruatus, quod etiam in rariori caſu, ubi peſtis Aleppi per tres annos ſaeuiit, ita accidit. Ex obſeruationibus quoque conſtat, dirum hunc morbum in Europa vehementius graſſari, quam in his terris. Temperies aeris calida progreſſum huius morbi infringit, licet enim in principio aeſtus accedentis increſcere videatur, poſt paucos tamen dies remittit. Variis quoque obſeruationibus Noſter cognouit eundem morbum aliquoties aegros inuaſiſſe.

In ſecunda ſectione peſtim annorum quadrageſimi ſecundi ad quadrageſimum quartum deſcribere ſuſcipit Cl. Auctor, et hac in re inſignem difficultatem inuenit, cum ſymptomata omnibus aegris non communia fuerint. Ab initio interdum morbus aegri vix grauis videtur, breui tamen infelix ſuccedit mutatio, interdum aegri vix de anxietate praecordiorum conqueruntur vomituque agitantur, cum ſubitanea morte extinguantur; interdum triſtia ſe offerunt ſymptomata, ſed breui poſt ſanitati reſtituitur aeger. Accuratam morbi ideam et ideo eruere non poſſumus, cum Noſter aegrotos non ſatis examinauerit, ſed ſparſas tantum ex aliorum recenſione collegerit obſeruationes, non nulla tamen ſatis certa occurrunt a nobis nunc indicanda. Horror, bilis porraceae vomitus, capitis et lumborum dolor, anxietas praecordiorum et ſubitanea virium proſtratio prodromi ſunt morbi venientis, et cum his iam lancinantes glandularum parotidum, axillarium et inguinalium dolores eueniunt. Febris et pulſus inſigniter variant, et vehemens interni caloris ſenſus externis ſignis non cognoſcitur. Tumor glandularum increſcens non raro tollit morbum, et ſuppuratio ſaepius ſuccedit reliquis ſymptomatibus imminu- p. 229.

 tis

tis vel diſparentibus, eaque ad diem decimum quintum protrahitur. Primo morbi impetu, non formato glandularum tumore, mors ſubitanea interdum conuulſione ſtipata euenit petechiis liuidis per totum corpus diſperſis. Qui primum morbi impetum ſuperant, aeſtu de nocte aucto delirant, matutino tempore morbus remittit et de dolore capitis vel bubonis incremento et dolore conqueruntur aegri, bubo tamen non raro decreſcit. Accedit in multis ex his carbunculus peſtilentialis puſtula ſcilicet obſcure purpureo colore cincta mox liueſcens ardente dolore moleſta. Hae puſtulae paſſim in variis ſuperficiei corporis partibus eleuantur, et ad pollicis unius et alterius magnitudinem in diametro increſcunt. Febris acceſſiones non diu durant, pulſus interea debilis eſt et reſpiratio laborioſa, quibus conuulſiui affectus haud raro ſuperueniunt. Bubones interdum ſubſident, carbunculi margo nigro colore tingitur, et multi die tertio moriuntur, paucos copioſus ſudor die tertio erumpens ſaluos reddit, pauciſſimis die quinto alius, ſed leuior ſudor criticus accedit. Ad ſeptimum vel undecimum diem productus morbus rarior eſt. De ſignis ex lingua, urina et alui fluxu petitis nihil certi allegare poſſumus. In peſte aleppenſi bubones ſemper praeſentes fuerunt, in iis tantum, qui ſubita morte extinguebantur, deficientes. Saepe ante ingreſſum morbi perceptus fuit glandularum dolor et tumor, interdum cum aliis ſymptomatibus vel paulo poſt idem acceſſit. Bubones oborti ad maturitatem non perueniunt niſi praegreſſo ſudore critico, qui ſaepius eosdem ſine detrimento aegri diſcuſſit, hi interdum gangraenoſi fiunt, et toti ulcere relicto ſecedunt. Carbunculi, qui ſecundo morbi die ut plurimum apparent, ſimiles ut plurimum mutationes ſubeunt, licet paſſim, nec in locis glanduloſis accedunt. Puſtulae materia cocta interdum ichoroſa repletae et variolarum inſtar mutatae rariores

ſunt.

ſunt. Haec dicta ſufficiant cum ratione methodi medendi nihil, quod certum ſit, eruere queamus et pauca de methodo prophylactica in ſectione tertia expoſita ſubiungamus.

Optimum quidem ad peſtis contagium euitan- p. 250.
dum remedium eſt urbem relinquere et incolatus montani ſalubritatem quaerere. Id olim faciebant Europaei Aleppi commerciorum cauſa commorantes, nunc vero, cum minor eorum numerus ſit, et praedones loca illa ob morbum ſecura, minus ſecura reddant, impoſſibile ferme eſt hanc viam eligere, inde tantum ſe domibus ſuis prouide includunt, et omne commercium cum reliquis urbis incolis fugiunt, quae quidem caute obſeruata negotiorum publicorum intermiſſio eos ab omni contagio immunes reddit. In principio quidem et quando numerus demortuorum non adeo inſignis eſt et ipſi et ſerui interdum in publicum prodeunt, eo prae reliquis attentionem dirigunt, ut ii, qui lintea lauant, cum infectis rem non habeant, ſi vero morbus vehementior redditur, omnia commercia cum aliis ſollicite euitant, et non niſi alimenta neceſſaria et aquam per catenam ferream hamo inſtructam in vaſis cupreis per domus feneſtram ſurſum ducunt. Panis quidem contagium non ſuſcipit et ideo tantum per tempus aeri libero exponitur, reliqua alimenta autem aqua aceto vini impraegnata immerguntur, et aeri exponuntur. Charta et literae amicorum commerciorum cauſa ſcriptae ſulphuris fumo corriguntur, nobis autem tutius viſum fuit literas ipſas in acetum immergere et easdem poſtea fumo admiſſo exſiccare. In noſodochio melitenſi ad fumigationem rerum ex infectis locis adductarum ſequens medicamentum praeparatur. Sumuntur nimirum ſulphuris librae ſex, auripigmenti, antimonii crudi, lithargyrii, ſeminis cumini, euphorbii, piperis nigri, zingiberis ana librae quatuor, aſſae foetidae, cinnabaris, ſalis ammoniaci ana librae

tres arſenici libra una, haec in pollinem redacta cum raſura ligni pini ſex libris et furfurum quinquaginta libris commiſcentur et in uſum ſuffimigii adhibentur. Triſtis vero eſt eorum, qui ſe contagio peſtifero ſubducunt, captiuitas a metu non ſemper libera, in tecto tamen aedificii plano, qualia in orientalibus regionibus ſunt, aere libero, qui nunquam contagioſus eſt, frui et cum amicis vicinis colloqui poſſunt. Pauca, quae Cl. Auctor de medicorum in viſitandis aegris occupatorum praeſeruatione monet, vix adducenda ſunt, cum maiorem omnino, quam ipſe ſuadet, attentionem neceſſariam eſſe iudicemus. Id ſaltim indicamus, extracti vel infuſi aquoſi corticis peruuiani uſum inter prophylactica remedia referri.

p. 262. Caput quartum et ultimum de morbo aleppico agit: ulcus cutaneum eſt, quod triplici ratione ſe ſiſtit. Tuberculum exiguum in principio percipitur per plures ſeptimanas haud moleſtum, quod poſtea ad pollicis circiter peripheriam extenditur et poſt aliquot menſes ſquamoſum fit materia acri exſudante, partibus vero interioribus integumentorum ſanis redditis, cruſta ſuperficialis decidit, et leuem notam in cute relinquit. Hoc ulcus *mas* dicitur et raro ultra octo menſes durat, alterum *foemininum* appellatur, et ut praecedens oritur poſt aliquot menſes, dolor excitatur et tunc ſaepius duplo maius praecedente redditur, magnamque ichoris copiam emittit, liuido itaque circulo cinctum ulceri ſcorbutico ſimile eſt, nunquam tamen altius, quam ad telam celluloſam penetrat, per plures menſes durat et tardius ſanatur, notamque priori peiorem per totam vitam in cute relinquit. Tertia huius ulceris ſpecies mitiſſima eſt, et ut plurimum a morſu millepedis cuiusdam inſecti deducitur, hoc, licet exiguum ſit, in multis tamen conditionibus cum prima ſpecie conuenit. Haec quidem ulcera in capite ſaepius, ſed et in extremitatibus oriuntur, et peregrini Aleppum accedentes poſt

aliquot

aliquot menſes hoc morbo afficiuntur. Medicamenta varia adhiberi vix poſſunt, cum magis laedant quam iuuent, emplaſtro mercuriali, addito balſamo ſulphuris, uſus eſt Noſter, eo enim incrementum ulceris cohiberi aſſerit.

XI.

Magazzino Toſcano d'inſtruzione e di piacere, Tomo I. in Livorno per Anton Santini et Compagni, 1754. 4. min. alph. 3. pl. 2. tab. aen. 12. Tom. II. 1755. ibidem. alph. 3. pl. 3. tab. aen. 13.

h. e.

Promptuarium Hetruſcum inſtitutioni et oblectamento dicatum. Tom. I et II.

Collectos variorum Auctorum libellos, in quibus non nullae artium liberalium et ſcientiarum partes illuſtrantur, in faſciculos cogere eosque definitis temporibus iis lectoribus tradere, qui diſcendi cupidi horas ſubceſiuas in perluſtrandis variis ad uniuerſam eruditionem pertinentibus doctrinis conſumere cupiunt, hoc ipſo potiſſimum tempore in variis Europae prouinciis non inutile fore viſum fuit, quo in iis etiam, qui ſcientias ex inſtituto colere nequeunt, aliqua earum idea formetur. Similem in finem etiam in magno Hetruriae ducatu non nulli eruditi in ſocietatem quandam coiuerunt, qui hoc, quod nunc indicamus, promptuarium Hetruſcum colligunt et *Liburni* per partes edunt. A menſe nimirum Martio anni quinquageſimi quarti huius ſeculi incipiendo, quolibet menſe quinque vel ſex plagularum faſciculus prodiit, in quo partim ea, quae eruditis ſcientiarum artiumque cultoribus placent, partim ea, quae a

ſubtili cognitione alienis utilia et grata ſunt colliguntur et proponuntur.

Quo autem pleniorem huius inſtituti ideam exhibeamus, primaria quaedam capita, quae theologiam, iurisprudentiam, philoſophiam, hiſtoriam, antiquitates cet. concernunt, indicemus. De libro IOBI, eius natura, argumento et auctore; ſententiae variae CICERONIS; de rationibus legum conſtituendarum et abrogandarum; de ſimilitudine veterum Europae incolarum et barbarorum Americae; de fertilitate Palaeſtinae; de architectura aedificiorum orientalium ad explicanda varia loca ſacrae ſcripturae *; de opere quod ruinas Palmirae tradit; de lege a MARCO AVRELIO in fauorem chriſtianorum ſancita; de libris ab eroſione vermium vindicandis; de Hetruſcis veteribus Tuſciae incolis; de quarta decalogi lege; de lemuribus; de peregrinationibus rite inſtituendis; de progreſſu iudaiſmi in china; de commerciis Anglorum; de diuinatione ſortes ſanctorum dicta; de Æneide VIRGILII; de antiquo marmore graeco; de PROCOPIO auctore hiſtoriae ſecretae IVSTINIANI non dicendo; de muſica ſacra et origine organi ad illuſtrandam picturam antiquam; de immortalitate animae; de machina, qua aqua mediante igne eleuatur; de educatione infantum; de inuidia; de Sarcophago Hetruſco cet. Adduntur ſparſim vitae illuſtrium, eruditorum et celebrium virorum, iconibus ſimul aeri inſculptis v. c. AMMINATI purpurati, AMERICI VESPVTII, DANTIS poetae, ANGELI POLITIANI, ANDREAE CAESALPINI, LEONHARDI DA VINCI pictoris. Subiunguntur in fine cuiuslibet faſciculi poeſeos italicae varia ſpecimina, noua litteraria cet.

Haec

* Et iconem et deſcriptionem inuenimus in libro Voyages de Mſr. SHAW dans pluſieurs prouinces de la Barbarie et du Levant, à la Haye 1743. 4. Tom. I. p. 352 ſeqq.

Haec ad alias eruditionis partes pertinent, nunc vero praecipue de iis dictur ſumus ſcriptionibus, quae hiſtoriam et ſcientiam naturalem nec non medicinam ſpectant, indicabimus itaque inſcriptiones diſſertationum et obſeruationum in his duobus voluminibus contentarum, et quarum plurimae ex promptuariis anglicis, imprimis ex eo, quod ingenuis viris dicatum eſt*, decerptae et alii libelli quoque eruditorum in linguam italicam verſi, et per partes in diuerſis faſciculis ſiue menſibus propoſiti inueniuntur, paucas tantum ſcriptiones plenius recenſitas dabimus.

In primo volumine agitur de conſeruatione ouorum; de frigoris effectibus in ſinu Hudſonis obſeruatis; de ſanguiſuga ſiue hirudine; de luſcinia; de ſomnis extraordinariis; de educatione infantum ad uniuerſales ſanitatis regulas diſpoſita; de ſpeciminibus quibusdam hiſtoriae naturalis Islandiae, Groenlandiae ex Cl. ANDERSONI opere depromptis; de cauſa incrementi ponderis in corporibus calcinatis; de vino Toccauienſi;** de vapore ſuffocante; de fertilitate terrae ingenere; de ſerpente caudiſono; de puluere nutriente in Gallia inuento; de cauſis naturalibus deſtructionis corporis humani; de lacu Neack in Vltonia Hyberniae prouincia obſeruata phyſica; de inſulis Moluccis et caryophyllis; de Veſuuii incendio anno 1754; de fodinis adamantis Golkondae etc.; de varietate indiuiduorum humanae ſpeciei; de *Ierboa* Arabum animali inter cuniculos et glires quaſi medio.

In ſecundo volumine, de operatione aeris in corpus humanus; *** de inoculatione variolarum

* *Gentleman's Magazine,*

** vid. Acta phyſico-medica Academiae naturae curioſorum, Vol. VII. Norimbergae, 1744. 4. in Appendice p. 1.

*** Diſſertation ou l'on recherche comment l'air ſuivant

rum * de partibus irritabilibus et ſenſibilibus animalium; ** de calce et gypſo; *** de phaenicoptero aue; de platina del Pinto; deſcriptio planimetrica metalli fodinae cupri in Hetruria. His ſummatim indicatis, ex iis, quae alibi indicata non inuenimus, non nulla fuſius recenſeamus.

Vol. I. p. 468. *Conſilium medicum de contagio tabis pulmonalis.* Ii nimirum, qui ſanitatis publicae cuſtodiendae curam habent, Collegio medico Florentino iniunxerunt, ut eas res indicarent, quae malignitatem phthiſeos ſuſcipere poſſent, quo in iis remouendis et purgandis cura adhibeatur. Proponitur ideo idea ſuppurationis, in qua eſſentia ulceris pulmonalis poſita eſt, purulenta enim plus minus ichoroſa materia non tantum in pulmone haeret, ſed reliquis etiam corporis humoribus reſorptione admiſcetur. Breue poſtmodum cauſarum examen ſuſcipitur, cum hic morbus frequentior ſit, et non tantum corporis diſpoſitio et laeſiones violentae pulmonibus illatae, ſed alii multi diaetae errores geneſin huius morbi praeſtent, inflammationes plus minus inſignes nobilis huius viſceris efficiendo: qua in re refrigerii aerei ſubitanei praecipue mentio iniicitur, ex quo haud raro pulmones male afficiuntur. Examinantur itaque opiniones variorum auctorum de contagio tabis pulmonalis, quae ſaepe nullis argumentis ſuſtinentur. GALENVS,

vant ſes differentes qualites agit ſur le corps humain par M. BOISSSIER DE SAVVAGES, à Bordeaux, 1754. 4.

* Commentarius Cl. DE LA CONDAMINE, vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 159.

** Auctore Ill. HALLERO Edit. Cl. TISSOT. vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 695.

*** Auctore Cl. MACQVER Hiſt. de l'academie des ſciences année 1747. vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. II. p. 229.

NVS, BALLONIVS, RIVERIVS in conſortio amicorum aliquam vim contagii ponunt, quam MORTONVS ad eos tantum extendit, qui cum aegro in eodem lectulo dormiunt, ſunt tamen et alii, inter quos HIERONYMVS FRACASTORIVS nominandus eſt, qui contagii huius vim vehementiorem pronuntiant, illudque ad duos annos uſque in veſtimentis aliisque utenſilibus haerere affirmant. Sed hi paucos habent conſentientes, praeſtantiſſimi potius medici et veteres et moderni huius contagii efficaciam non adeo inſignem eſſe dicunt. Et ipſi huius conſilii auctores particulas tranſpiratione ſecedentes impuras quidem et aerem inquinantes, ſed non adeo actuoſas iudicant.

Quo vero in morbis ciuium et incolarum praecauendis omnis cura adhibeatur, medici Florentini ſequens conſilium de obſeruandis aegris tabe pulmonali decumbentibus, eorumque variis veſtimentis et utenſilibus purgandis exhibuerunt. 1) Aegri in cameris ſpatioſis detineantur bene purgatis, aere, ne ſtagnando putredini anſam praebeat, feneſtris apertis ſaepe ventilato et renouato, floribus etiam et herbis recentibus gratum halitum perſpirantibus ubique diſpoſitis. 2) In lectulo aegri in primis munditiei linteorum ratio habeatur illeque crebrius mutetur, aegro in alium repoſito. 3) Sputum aegri colligatur in vaſis vitreis vel terreis vitrea cruſta obductis crebrius abluendis. 4) Lintea et alii panni ex lana parati, quae phthiſicorum commodis inſeruiunt, aliquoties lauentur et ſapone addito purgentur aereque perflentur. 5) Veſtimenta et alia, quae lauari nequeunt, aeri diutius exponantur. 6) Vtenſilia ex ligno et metallo parata lauentur ſaepius et extergantur. 7) Pauimentum camerae lauetur, parietes dealbentur, feneſtrisque apertis aeri liber tranſitus concedatur, quo maligni vapores diſſipentur. In hoc itaque morbo eodem modo, ut in aliis munditiem

circa

circa aegros obſeruatam, in praecauendo ulteriori progreſſu maximum auxilium poſitum eſſe affirmant, et in phthiſi potiſſimum auertenda de reliquis cauſis attente euitandis incolas commonefaciendos eſſe tandem concludunt. Experientia etiam docuit, phthiſicum contagium nec eſſe certum, nec adeo actuoſum, nec cum irreparabili ſanitatis iactura coniunctum ut vulgo creditur.

Summus tamen magiſtratus magni ducatus Hetruriae leges tulit, ad auertendum hoc contagium, ſi quod eſſet, quam maxime facientes. Quemlibet ſcilicet medicum et chirurgum, qui phthiſi pulmonali decumbentes ſuae curae commiſſos habet, illos magiſtratui cuilibet inferiori indicare debere, quo veſtimenta et alia utenſilia a miniſtris conſignentur, et poſſeſſori aedium interdicatur, ne aegros ex domo ſua dimittat. Morte autem aegri ſubſequente, quae iterum indicanda eſt, haeredes prohibentur intra menſis ſpatium apparatum illum domeſticum auferre et vendere; praeterea indicatur, quanta cum cura et camera et contenta utenſilia purganda ſint.

p. 519. Epiſtola medici Liburnenſis inſeritur, in qua *inflammationes pulmonum ſaepius ſub alia morbi ſpecie incedere et lethales eſſe oſtenditur.* In genere monet Cl. Auctor plures infantes Liburni in primis aetatis ſuae annis mori, quam alibi, quoniam in humidiſſimo huius urbis aere decubitus frequentiores ad pectus fiunt, poſtea non nullas morborum hiſtorias praemittit, ex quibus pulmones in infantibus inflammatos repertos fuiſſe oſtendit, contradicit itaque HIPPOCRATI, qui ante annos pubertatis pleuritides et peripneumonias non formari aſſeruit. Venae ſectiones, easque reiteratas ad hunc morbum praecauendum etiam in teneris infantibus utiles eſſe aſſerit, et aſſertum variis exemplis demonſtrat. Tandem catarrhos ſuffocatiuos a non nullis, ut cauſam mortis allegatos, a clan-

deſtina tali pulmonum inflammatione acceſſiſſe monet.

Piſcis vel potius teſtudinis aquaticae *noua ſpecies* deſcribitur. Menſe Iulio anni 1754. in ſinu Macarenſi capiebatur animalis ſpecies, quae totius corporis figura, capite roſtrato, pedibus ſiue alis et cauda teſtudinem aquaticam referebat, corpori autem loco ſcuti corium denſum. nigrum, laeuigatum et ſplendens inductum erat, et ita annexum ut caput et pedes non retrahi et occultari poſſent, quae quidem res in omnibus teſtudinibus conſpicitur. Lingua acuta pollicem longa utrinque ſerrata inueniebatur. Teſtudinem coriaceam dixerunt et iconem accuratam adiecerunt, animal vero ipſum nunc in muſeo inſtituti Bononienſis aſſeruatur. Vol.II. p.363.

De abortu trimeſtri ſecundina per ſexaginta dies retenta. Foemina triginta ſex annorum ſana et vegeta tertio grauiditatis menſe foetum immaturum emittit, relicta tamen ſecundina, cuius exitum obſtetrix cum lochiis forte expectabat, licet vero id non euenerit, foemina tamen ad vigeſimum diem uſque bene ſe habebat. Oriebatur poſtea continua ferme haemorrhagia et ſanguinis ſinceri et grumoſi, cum qua etiam quaedam ſecundinae relictae partes ſecedebant, continua vero haemorrhagia aegram in triſtiſſimum ſtatum coniiciebat, quem varia auxilia medici leuare non poterant, uſque dum ſexageſimo demum die paruae quaedam, ſed foetentes ſecundinae particulae excernerentur, quo facto ſanguinis profluuium ſiſtebatur, tenui humore loturae carnium ſimili ſubſequente, aegra poſtea apto regimine ſenſim paulatimque ſanitati reſtituta. Hinc certe cognoſcitur fortius adhaerere placentam in abortu et triſtiſſima ſaepius incommoda relinquere. p.506.

Subiun-

p. 220. Subiungamus tandem non nulla ex deſcriptione vitae ANDREAE CAESALPINI excerpta. Natus hic fuit Aretii, urbe magni ducatus Hetruriae, anno milleſimo quingenteſimo decimo nono, patre IOANNE BAPTISTA CAESALPINO medico celebri, qui noſtrum inſtitutione ſua ad philoſophiam, medicinam et hiſtoriam naturalem excolendam duxit, magis tamen inſtructus fuit a LVCA GHINIO Profeſſore Piſano, et in hac uniuerſitate trigeſimo ſecundo aetatis anno CAESALPINVS noſter Doctoris in medicina gradum ſuſcepit. GHINIVS autem Profeſſor Botanices primus in uniuerſitate Piſana 1555 Noſtrum ſucceſſorem reliquit, qui explicationi ſimplicium medicamentorum per ſedecim annos vacauit, alios autem viginti annos, Profeſſor ordinarius conſtitutus, in praxi medica docenda conſumſit. Per triginta autem ſex annos in piſana muſarum ſede cum laude verſatus a CLEMENTE VIII. Romam vocatus fuit, cum enim inuidia peteretur Noſter, et multi eum philoſophum magis, quam chriſtianum eſſe crederent, eoque tempore HIERONYMVS MERCVRIALIS ſtipendio annuo ſeptingenti aureorum ad munus medicinam extra ordinem docendi Piſam vocaretur, CAESALPINVS hoc aegre ferebat, et Piſanam uniuerſitatem relinquebat, et, non tantum lecturam extra ordinem ſuſcipiendam in ſtudio ſapientiae Romano, ſed et honores medici Pontificii ſtipendio mille aureorum accepto, obtinuit, et ad hoc officium ſubeundum maxime ſuaſu MICHAELIS MERCATI medici aulici Pontificis, qui diſcipulus CAESALPINI fuerat, commouebatur, per undecim annos itaque Romae fuit Noſter et graui pleuritide affectus die decimo quinto Martii anno 1603. octuageſimo quinto aetatis anno obiit.

Hac vitae ratione breuiter expoſita Cl. Auctor huius biographiae in laudes CAESALPINI extollendas ulterius excurrit. DOMINICVS VIGNA cele-

bris

bris Profeſſor Botanices Florentinus in medio ſeculi decimi ſeptimi de CAESALPINO commemorat, eum in ſecundis et aduerſis rebus conſtantiam inſignem oſtendiſſe, cum excellenti ſcientia magnam honeſtatem coniunxiſſe, praeſidio illuſtrium virorum ſui temporis dignum fuiſſe, et non tantum moralium virtutum exercitio, ſed etiam chriſtianae fidei exemplo inclaruiſſe. De ſcriptis quibus rem herbariam illuſtrauit praecipue diſſeritur, et oſtenditur aſſertum TOVRNEFORTII veritati conſonum eſſe, hic enim in Iſagoge inſtitutionibus botanicis praemiſſa ubi de methodo loquitur haec habet: *Hanc botanices partem a nemine tentatam ſummo ſtudio agitauit et rationem plantarum per partes diſponendarum ſolus inter herbarios philoſopho dignam reliquit, petitam ſcilicet ex ſeminum forma.* Praeterea de herbarii ſicci fragmentis, de plantis ipſis cum cura in horto Piſano examinatis multa teſtimonia auctorum proferuntur. Nec in hiſtorico tantum plantarum ſcrutinio verſatus fuit Noſter, ſed vires quoque earundem recte cognouit, et ſimplicium effectus ſedulo obſeruauit. In praxeos medicae exercitio veraque medendi via tradenda non minorem ad naturae leges attentionem praeſtitit et anatomica corporis cognitione inſtructus. Ad hanc ſcientiae medicae praeſtantiam per philoſophiae ſtudium ductus fuit, in quo etiam excolendo ingenii et iudicii vires ſedulo exercuit. Tandem in recenſendis corporibus mineralibus occupatus fuit et licet in hac parte, tantum vix praeſtiterit quantum in regno vegetabili, multa tamen foſſilium genera ita digeſſit, ut viam panderet ad ulteriorem cognitionem acquirendam.

Tomi tertii huius promptuarii iam tres faſciculi in noſtris manibus ſunt, cum vero continuationem expectemus, de his ſimul cum ſequentibus alia occaſione dicturi ſumus.

XII.

Muſei ichthyologici Tomus ſecundus ſiſtens piſcium indigenorum et non nullorum exoticorum, quorum maxima pars in muſeo LAVRENTII THEODORI GRONOVII, I. V. D. adſeruatur, nec non quorundam in aliis muſeis obſeruatorum deſcriptiones. Accedunt non nullorum exoticorum piſcium icones aeri inciſae et amphibiorum animalium hiſtoria Zoologica. Lugduni Batauorum, ſumtibus Auctoris, proſtat apud Theodorum Haak, 1756. fol. alph. 1. tab. aen. 3.

Dederat Cl. Auctor primum ſpecimen piſcium in muſeo ſuo reperiundorum et genera et ſpecies per quatuor claſſes mala copterygiorum, acanthopterygiorum, branchioſtegorum et condropterygiorum digeſſerat * in hoc itaque tomo eundem ordinem ſeruat, nomina ſpecierum centum et quadraginta ſex in priori tomo deſcriptarum nunc repetit, et ſi quid monendum occurrit, breuiter addit, nunc vero nouas ſpecies cum numerum praecedentem continuat ducentos et duos deſcribit. In generibus autem et ſpeciebus definiendis eandem attentionem adhibuit, quam in prioris tomi recenſione laudauimus. Nunc noua quaedam genera exhibenda ſunt, quae in malacopterygiis praecipue inuenit.

p. 4. Synodus corpus *oblongum*, *cathetoplateum*, *ſquamoſum;* caput *cathetoplateum*, *oblongum*, *inter oculos excauatum; oculi in ſupremo capite*; *oris rictus ingens; dentes in utrisque maxillis*, *palato*, *lingua et faucibus oblongi innumerabiles:* membrana branchioſtega *oſſicula utrinque quindecim continet*; pinnae *ſeptem*, *in dorſo unica*, *cauda bifida.*

Ery-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 428.

Erythrinus corpus *oblongum cathetoplateum, ſquamoſum*; caput *plagioplateum*; *dentes in maxillis;* membrana branchioſtega *oſſicula utrinque quinque continet;* pinnae *ſeptem*, *dorſalis unica e regione ventralium.* p. 6.

Gaſtero pelecus corpus *cathetoplateum, breue, latum, tenue, ſquamoſum; venter in aciem anguſtiſſimam ſecuriformem, ſeu carinaeformem prominentem exiens;* caput *cathetoplateum paruum; os in apice capitis, dentes acuti, in utrisque maxillis*; membrana branchioſtega *oſſiculis inſtructa;* pinnae *quinque, ventrales deficiunt, in dorſo unica, caudae proxima.* p. 7.

Callyodon corpus *cathetoplateum oblongiuſculum, craſſum ſquamis magnis tectum*; caput *cathetoplateum omnino ſquamoſum, inerme; os in apice capitis; dentes perpauci, permagni, conici, quemadmodum in oſtracionibus*; membrana oſteoſtega *oſſiculorum quatuor ſub operculis tectorum;* pinnae *ſeptem in dorſo unica per eius totam longitudinem fere extenſa, ventrales ſub pectoralibus.* p. 8.

Cyclogaſtes caput *oblongum, craſſiuſculum, alepidotum, cute laxiſſima tectum, cathetoplateum*; caput *grande, breue, plagioptatium, corpore longe latius inerme, oculi in anticis et ſupremis lateribus ſiti; os in apice capitis; dentes in utrisque maxillis et faucibus*; aperturae branchiarum *ſupremis in lateribus tantum apertae*; membrana branchioſtega *nuda, expanſa, inflata, oſſiculis ſeptem inſtructa*; pinnae *ſex in dorſo unica per longitudinem eius extenſa*; pinnae *ventrales in unicam circularem et quodam moro infundibuliformem concretae.* p. 9.

Anoſtomus corpus *cathetoplateum, oblongum, ſquamoſum*; caput *cathetoplateum*; *oculi magni in lateribus; os ſurſum flexum ſeu in ſupina capitis parte; maxilla inferior longior, dentes in maxillis*; membrana branchioſtega *oſſicula utrinque quatuor lata continet*; pinnae *octo in dorſo duae, quarum poſterior adipoſa.* p. 13.

p. 16. Electris corpus *quandoque plagioplateum interdum cathetoplateum oblongum teretiuſculum ſquamae inermes* caput *plagioplateum interdum cathetoplateum obtuſum*; *dentes minimi in maxillis*, membrana branchioſtega *oſſiculis ſex*; pinnae *octo, in dorſo duae, ventrales in imo ventre ſub pectoralibus, plerumque ad inuicem iunctae ut unicam quaſi referant, quandoque diſcretae.*

p. 18. Centriſcus corpus *oblongum cathetoplateum ſubcompreſſum, tenue, pellucidum, in extremo dorſo aculeo oblongo inſtructum, venter compreſſiuſculus, tenuiſſimus*; caput *cathetoplateum, antice in tubulum oblongum excurrens in cuius orificio os anguſtiſſimum edentulum*; membrana branchioſtega *nulla propter tenuitatem detegenda*; pinnae *in toto piſce ſeptem in dorſo duae ſibi proximae prope ad caudam ſitae*; *cauda inflexa.*

Cum autem et in hoc tomo non nullas ſpecies nouas deſcripſerit et primi tomi non nullas illuſtrauerit, acceſſerunt etiam nouae icones, ſcilicet tabula quinta, quae huius tomi prima eſt exhibet *myſtum cirris ſex longiſſimis unico ſquamarum aculeatarum ordine utrinque in lateribus*, et quidem parte prona et laterali. *Aſpredinem cauda ſubrotunda, corpore verrucoſo, pinna ani oſſiculorum ſex. Labrum bruneum, albo nigroque varium, maxillis aequalibus cauda ſubrotunda oſſiculo ſecundo pinnarum ventralium ſetiformi. Blennium oſſiculis tribus anterioribus pinnae dorſalis reliquis aculeatis maioribus.* Tabula ſexta ſiſtit *ſilurum cirris duobus ad maxillam ſuperiorem quatuor in mento. Labrum oblongum cauda bifurca capite purpuraſcente. Sparum roſtro plagioplateo rufeſcentem maxilla inferiore longiore macula nigra iride alba cincta, utrinque ad caudam ſubrotundam. Blennium criſta ſetacea longitudinali inter oculos. Baliſten aculeis dorſi duobus, primo poſtice dentato, cauda ſubrotunda, lateribus caudam verſus hirſutis.* Tabula ſeptima, ex generibus ſupra deſcriptis, *Synodus, Anoſtomus, Centriſcus, Callyodon, Gaſteropelecus* et *Erythrinus*, delineantur.

Amphi-

Amphibia ut plurimum ea animalia dicuntur, quae et in aere et in aquis habitare poſſunt, et hanc ob cauſam reſpirationis organa peculiaria obtinent; cum vero ex his alia piloſa, alia cute glabra vel membranacea, vel ſquamoſa vel etiam tegmine oſſeo immobili inſtructa ſint, Zoologi autem amphibia piloſa ad claſſes quadrupedum animalium referant, Noſter quoque cum Cl. LINNAEO *amphibia animalia per pulmones reſpirantia*, *pilis carentia*, *cute nuda vel ſquamoſa tecta*, *pinnisque radiatis nullis inſtructa* appellat, et eius quoque diſtinctionem in *apoda* ſeu *ſerpentia* et tetrapoda ſeu *repentia* aſſumit. Septuaginta autem animalium ſpecies, generum definitionibus praemiſſis, in hoc ſpecimine deſcribit. In definitionibus ſerpentium Cl. LINNAEVM accurate ſecutus eſt, et licet cognoſcat characteres ſpecificos a numero ſquamarum et ſcutorum abdominalium et caudalium deſumptos vix ſufficientes eſſe, in his tamen a receptis nominibus recedere noluit.

In ſerpentibus nouum genus addidit, ſcilicet Scytalem, quae figura corporis et caudae ad Anguem ſquamis caudalibus ad Cenchridem accedit et ita intermedium quaſi genus conſtituit. Definitio haec eſt Scytale caput *ſuperne ſquamis maximis*, *multangulis*, *polymorphis tectum*; abdomen et cauda *ſcutis transuerſalibus ſubtus teguntur*; cauda *craſſa cylindrica*.

In repentibus genus lacertae, quod Cl. LINNAEVS coniunxit in noua genera ſubdiuidit, Cl. KLEINIVM in multis ſecutus, uti enim lacerta animal quadrupes caudatum, cauda conica elongata verticillata, et pedibus pentadactylis unguiculatis, linguaque bifida inſtructum ſit; ſic reliqua animalia variis modis ab ea differunt. *Crocodilus* caudam ancipitem in ſegmenta diuiſam pedes poſteriores non nunquam natatorios et linguam nullam obtinet. *Scincus* caudam conicam non verticillatam ſquamoſam et linguam

latam acuminatam integram habet. *Chamaeleon* praeter caudam conicam intortam non verticillatam, lingua oblongo ſubrotunda extenſili et retractili quaſi vermiformi inſtructum eſt. *Salamandra* linguam latam indiuiſam et caudam non verticillatam oſtendit. *Cordylus* lingua carnoſa apice rotundato inſtructa et indiuiſa a prioribus potiſſimum differt. *Iguana* vero praeter corpus minutiſſime ſquamoſum ſuperne in dorſo, capite, et ad gulam appendiculam ſiue criſtam, linguam quoque integram et latam obtinet.

XIII.

Catalogus plantarum horti academici et agri Gottingenſis deſcriptus a IOHANN GOTTFRIED ZINN, M. D. Med. et Bot. P. P. O. Acad. reg. ſcientiar. Berol. Sodali et Soc. reg. ſcientiar. Gotting. membro extraordinario. Gottingae ſumtibus viduae Abr, Vandenhoek. 1757. 8. alph. 1 pl. 6½. tab. aen. 1.

Quem alias laudandi varias occaſiones habuimus Cl. Auctorem, nunc denuo in exponendis plantis, ſumtu publico in hortum academicum Gottingenſem illatis, et in vicinis locis ſponte creſcentibus, perutiliter occupatum inuenimus. Quo autem et melius dignoſci illae poſſint, et aliorum etiam ſtudiis promouendis commodius inſeruire, methodica earum facta eſt relatio. Ex cunctis, ſunt autem permultae, ea potiſſimum arriſit Cl. ZINNIO, quae naturam ſequitur et affinitates plantarum luculentius prodit, quare adoptauit praeceptoris Ill. HALLERI methodum, eamque vel auxit, vel, ubi res ita iubere videbatur, correxit. Claſſium definitiones breues, nec non generum characteres pariter conciſi additi ſunt, quo tyronibus pateat in difficili diſquiſitione

ne facilis via, in primis, quando eſſentiales generum characteres adiiciuntur. Neque tamen mera nominum recenſio hic legitur, ſed ſpecifica et ſynonima, ex LINNAEO, HALLERO, noua Cl. Auctoris, ex BAVHINO, TOVRNEFORTIO, aliisque, qui ſingulae plantae denominationem uſitatam propoſuerunt. Promittit tamen Cl. Auctor, et ſperamus eum his ſtaturum eſſe promiſſis, ſpecies aliquas nouas ſeorſim deſcribere, et cryptogamiarum quoque, quae hic praetermiſſae ſunt, claſſem uberius declarare, quod pariter ob indefeſſum eius laborem doctrinae botanicae ornamento et augmento futurum eſſe praeuidemus. Sed, quo euidentius conſtet, quae in hoc libello praeſtita ſunt, en breuem methodi ſciagraphiam, quam, ſi cum Halleriana conferre libet, quantum conueniat diſcrepetque, non obſcure poterit intelligi.

In uniuerſum omnes plantae diſtinguuntur in apetalas et petaloideas. *Claſſis* itaque *prima* inter apetalas recenſet amentaceas et quidem *coniferas* primo ordine, ſecundo *iuliferas*. *Secunda* claſſis *nucamentaceas* proponit, quo nomine comprehendit Cl. Auctor plantas relatiuas monophytas aut diphytas, quarum fructus in aliis nux eſt, in aliis vero ſemina ex placenta communi plura, ſquamis interpoſitis. Hanc claſſem ad iuliferas retulerat Ill. HALLERVS, huc autem referuntur Xanthium, Ambroſia, Iua, Parthenium, Micropus. Claſſis *tertia apetalas calycifloras* diſquirit, ſtamina plerumque cum ſegmentis calycis conueniunt, tubae duae vel tres inſunt, et fructus vix non ſemper bacca eſt, ſeminibus tot, quot ſtigmata inueniuntur. Diſtinguitur in ordines, quorum primus exhibet *veprecula*s Cl. LINNAEI v. c. Empetrum, Viſcum, Buxum cet. Ordo ſecundus differt calyce quadri vel quinquifido, ſegmentis acutis, in fundo calycis capſula vel bacca. Ordo tertius ſtylos tantum duos ex fructu ſicco monoſpermo

 producit,

producit, quartus autem arboreas adducit, quae, licet prioribus multum ſimiles ſint, varia tamen ratione anomalae inueniuntur. *Quarta* porro claſſis delineat *ſarmentaceas* plantas, quo nomine comprehenduntur apetalae iſoſtemones, ſtaminibus quatuor ad ſex, tuba una ad tres inſtructae, quae caules plerumque volubiles aut ſarmentoſos habent, floresque in racemis gerunt. Huc referuntur cannabis, humulus, vitis, aliae. In *quinta* claſſe exponuntur *oleraceae*, itidem apetalae, calyce quadri vel quinque partito, ſexu variantes, ſtaminibus tot, quot partes calycis, plerumque elaſticis, ſtylis duobus vel tribus, ouario in calyce ſicco, monoſpermo. In his flores in glomeres congeruntur ad alas foliorum, aut in racemis. Beta, Spinachia, Chenopodium cet. exemplum ſunto. Hic recenſetur etiam Camphorata LINN. eiusque deſcriptus character emendatur: obſeruauit enim ad alas foliorum glomerulos Noſter, et quidem cuilibet floſculo a latere foliolum maius adſtat et calyx ineſt quadrifolius, duobus maioribus totidemque minoribus conſtans foliolis, ſtaminibus pariter quatuor, ſtylis duobus capſula monoſperma. *Sexta* claſſis continet *vaginales*, quarum caulis geniculatus per interualla vaginis exornatur. Harum calyx quinque aut ſexpartitus eſt. Saepe coloratus, ſtamina quinque ad octo, tubae duae vel tres, fructus monoſpermus. Rheum, Lapathum hic occurrunt, nec non Biſtorta, Perſicaria, Fagopyrum, quae tria tanquam diſtincta genera recenſentur. Ob habitum tandem licet petala habeant, Mollugo, Pharnaceum, Corrigiolaque ſimul adducuntur. Ab his in claſſe *ſeptima* progreditur Cl. Auctor ad *tricoccas*, quae potiſſimum fructu tricocco, triloculari ſeſe diſtinguunt, cum ſtaminum numerus, ac petalorum praeſentia variet. Ob habitum conuenientem etiam huic claſſi, ut in naturali ſolet fieri methodo, anomalas quasdam plantas ſubnectere fuit coactus, v. c. Thelygonum,

p. 36.

num, Aſarum, Ariſtolochiam. *Octaua* claſſe expo p. 53.
nuntur *inundatae* LINN. hae ex ſolo natali, quod in ſtagnis aut paludoſis locis eſt, nominantur, peracta floreſcentia ſub aquam ſeſe recondunt. Caulem habent herbaceum, flores in alis foliorum aut in ſpica, ſtamina unum ad octo, ſemina ſaepe nuda, totidemque tubas. Agmen tandem apetalarum plantarum p. 58.
in *nona* claſſe claudunt *Gramineae*, in gramina atque graminibus adfines diuiſae. Illa in calyce biglumi, plerumque folliculum continent biualuem, ſtamina tria, ſtylos duos, unicumque ſemen. Vlteriores diuiſiones a numero florum in locuſtis deprehendendorum, deſumuntur, ſiquidem locuſtae ſint uniflorae, vel multiflorae. Nomina hic generica Ill. LINNAEI retinuit, cum iisque Halleriana coniunxit. Plantae vero, quae graminibus adfines dicuntur, licet quoad reliqua conueniant, in flore diuerſitatem obtinent, quippe qui ſexu diſtincti ſunt, ſtylo unico ſemineque, vel ſemen unicum eſt ad unicam glumam, vel ſemina unicum aut varia capſulis tecta, cum flore apetalo ſexfolio, ſtaminibus tribus vel ſex. Referuntur nempe ad has inter alias plures, Zea, Coix, Carex, Cyperus, Schoenus, Iuncus, Triglochin cet.

Petaloidearum plantarum ſequens eſt ſubdiuiſio. p. 83.
In claſſe *prima* nominantur *palmae*, quae caulem ſimplicem gerunt, fructificationes autem in ſpadice cum ſpatha perficiunt. e. g. Arum, Calla, Phoenix, Muſa. *Secunda* claſſis comprehendit *Orchideas*, quibus p. 85.
petala quinque aut quatuor data ſunt ſuperiora in cucullum conniuentia, ſextum inferius cauum et nectariferum, quod continet machinam duorum ſtaminum, ſtigma concauum. Diſpoſitionem generum Ill. HALLERI hic ſequitur Noſter. *Tertia* claſſis tra- p. 89.
dit *Liliaceas*, quae duorum ſunt ordinum; fructum enim ſub flore poſitum obtinent, aut intra florem. Priores florem vel triſtemonem vel hexaſtemonem ferunt, poſteriores aut flores nudos ſolitarios, et

 quidem

quidem hexapetalos, ſiue ad baſin diuiſos, campanulatos, vel monopetalos, aut flores nudos planos, eosque aliquando aggregatos, vagina communi ex-
p. 111. ceptos. Has ſequuntur in *quarta* claſſe *tripetaloideae*, harum petala tria, ſtamina plura paucioraque ſemper in proportione terna habent, tubas autem tot, quot loculi aut ſiliculae. Claſſis haec inter Liliaceas et ſequentem multiſiliquam ambigit. Ex hac claſſe Stratioten et Hydrocharin iam alibi curatius deſcripſit
p. 114. Noſter. *Quinta* porro claſſis *rhoeadum* nomen accepit, cui quae inſunt plantae, androgynae omnes inueniuntur, calyce deciduo, ſtaminibus petalis numeroſioribus, ſtylo nullo, ſtigmatibus autem tot, quot loculi ſunt capſulae polyſpermae. Praeterea
p. 117. omnes ſomnum inducendi efficaciam poſſident. Hanc excipit *ſexta claſſis*, quae *multiſiliquas* comprehendit plantas, quarum ſcilicet ſtaminum numerus illum petalorum ſuperat, et poſt ſiliculam vel polyſpermam vel monoſpermam producit. Haec in tres iterum ordines ſecedit, *primus* offert multiſiliquas ſiliculis non dehiſcentibus, monoſpermis, liberis inſtructas, *alter* multiſiliquas ſiliculis polyſpermis dehiſcentibus, inter quas flores vel nectario inſtruuntur, vel eodem carent, *tertius* multiſiliquas ſiliculis non dehiſcentibus monoſpermis, receptaculo communi affixis, quas *gymnopolyſpermas* nominant, in his petala et ſtamina ex ambitu receptaculi oriuntur, vel ſtamina plura ex calyce oriuntur petalis quinque comprehenſa: has Cl. Auctor *ſenticoſas* nominat et geum, comarum, po-
p. 141. tentillam, roſam aliasque huc retulit. In *ſeptima claſſe* * proponuntur *pomiferae*, quae in tres ordines, *umbili-*

* Haec claſſis forte ex errore typographico inſcribitur Claſſis VI. et ſic reliquae, itidem a claſſe nona vel decima reliquae claſſes numeris non diſtinctae ſunt, nos, ut claſſium conſtitutio eo facilius pateat, reliquas, numeris additis, expoſuimus.

umbilicatas ſcilicet et *non umbilicatas* atque heſperides abeunt, priorum fructus pulpoſi calyce coronantur, poſteriorum ouarium intra calycem deciduum cauitate remouetur, et tertii ordinis heſperidum citrum continent. *Octaua* claſſis *multiloculares* recenſet, quae p. 146.
praeter id, quod polyſtemones ſint, fructum capſularem ſiccum uni aut multilocularem ferunt. Hic Ciſti tres ſpecies adducuntur melius determinatae. In *nona* claſſe *columniferae* exponuntur, quas alii vulgo p. 151.
maluaceas nominant et plerumque emollientes vires habent: In *decima* occurrunt *ſucculentae*, quarum p. 161.
caules foliaque aqueo ſucco turgida atque carnoſa exiſtunt. Harum *ordo primus cactos* habet, quarum calyx monophyllus, corolla ex eodem polypetala, eſt, cui etiam ſtamina inſeruntur, fructus autem ſub calyce haeret. *Ordinis ſecundi* plantae petalis inſtruuntur liberis et ſtaminibus receptaculo inſertis: *ordo tertius ſucculentas dyploſtemones* et ob analogiam *iſoſtemones* aliquas affert. Sequuntur hanc claſſem ob rationem ſtaminum variae, omnes dyploſtemones et quidem *undecima multiloculares*, *duodecima odoras* ad- p. 173.
fert, quae nempe in flore, quinario et quaternario partium numero ludente, loculis fere tot, grauem de ſe ſpirant odorem, *decima tertia* complectitur *alſi-* p. 184.
naceas, quarum nota conſiſtit in calyce quinquefolio, petalis quinque, ſtaminibus bis tot, tubis tribus ad quinque, capſula uniloculari, plerumque folia ſunt oppoſita: *decima quarta caryophyllaeas* tradit, quae p. 188.
calyce inſtruuntur monophyllo, tubuloſo, petalis quinque, ſtaminibus decem, ſtylis duobus ad quinque, capſula uniloculari: *decima quinta* exponit *caly-* p. 197.
ciſloras, ubi nempe in calyce monophyllo, corolla haeret pentapetala, et ſtamina bis tot, ſtigmata loculis fructuum ſub calyce poſitorum, analoga: *deci-* p. 200.
ma ſexta bicornes proponit; exiguus calyx corollam monopetalam tenet, cui aut receptaculo ſtamina adfiguntur, antherae duas ſetas habent, unica ineſt tu-

ba,

p. 204. ba, fructus quadri vel quinquelocularis: *decima*
ſeptima oligoſtemones trihilatae inſcribitur, in his calyx
in quinque partes diuiſus, petala quoque quinque
ſunt, ſtamina numero quinque, ſeptem vel octo, ſty-
lus unicus, fructus autem bi vel trilocularis, alatus,
echinatus vel angulatus, ſaepe circa germen necta-
rium ponitur. Trapa huc refertur, in qua tamen
fructus unilocularis eſt. Praeterea anonyma planta
deſcribitur, quae multa habet cum Ptelea communia,
quam ob rem *Pteleae ſimilem* vocat Cl. Auctor, *foliis*
ternatis, *fructu trihilato.* Fert autem calycem pen-
taphyllum, corollam pentapetalam, ſtamina quin-
que, ſtylum unicum ſtigma quadrifidum, capſulam
p. 207. tri vel quadrilocularem. In *claſſe decima et octaua*
occurrunt *iſoſtemones cymoſae*, quod flores in cymas
et racemos congeſti conſpiciuntur, eorum partes nu-
mero quinarii ſunt, ſtylus unicus, fructusque pulpo-
p. 212. ſus. *Decima nona* claſſis refert de *umbelliferis*, qua-
rum diſpoſitio partim ex umbellis fit, partim ex ſemi-
nibus. Habent enim umbellas vel *obſcuras*, ut Phyl-
lis et Hydrocotyle, vel manifeſtas, in quibus poſte-
rioribus ſunt, *α*) ſemina gibba, ſtriata, inuolucro
nullo; *β*) ſemina gibba ſtriata, inuolucro alterutro
aut utroque; *γ*) ſemina gibba, ſtriata, margine ala-
ta; *δ*) ſemina quatuor aut pluribus alis armata; *ε*) ſe-
mina plana, margine cincta; *ζ*) ſemina aculeata; *η*)
ſemina hirſuta; *ϑ*) ſemina roſtrata; *ι*) adduntur ſemi-
nibus inſtructa, quae receptaculo communi paleaceo
inſeruntur, ut Eryngium, cum quibus ultimo loco
p. 229. iungitur dipetala Circaea. Affinitate conueniunt
iſoſtemones ſtellatae, in claſſe *viceſima*, quae duo ſe-
mina connata gerunt, corolla autem eſt monopeta-
la. Folia plerumque verticillatim ponuntur et vires
adſtringentes ſunt. Inter Aſperulas noua eſt ſpecies,
a Cl. Auctore in Comment. Acad. Gotting. Tom. V.
p. 235. deſcripta. Claſſis *viceſima prima conglomeratas iſoſte-*
mones, multum praecedentibus affines enumerat,
flores

flores enim, quadrifida corolla, ſtaminibus quatuor
et fructu biloculari, in ſpicas vel alas congeruntur.
Porro *iſoſtemones companaceae* ſequuntur in claſſe *vi-* p. 238.
ceſima ſecunda, in fructu quamuis ſit diuerſitas, ut
quandoque ſub flore ſit, quandoque intra florem, ob
reliquarum partium analogiam tamen coniunguntur.
In claſſem *viceſimam tertiam* congeruntur plantae *iſo* p. 245.
ſtemones cucurbitaceae, omnes monoeciae, caule ſcan-
dente. Melothria cum Bryonia coniungitur et paſſi-
flora his additur, claſſem *viceſimam quartam* conſti- p. 249
tuunt *iſoſtemones rotaceae*; reducuntur hic infundibu-
liformes, quae fructum polyſpermum intra florem
maturant: *viceſimam quintam* claſſem *iſoſtemones aſpe-* p. 255.
rifoliae occupant, *ſextam iſoſtemones ſolanaceae*, qua- p. 261.
rum fructus ſaepe bilocularis ſiccus aut pulpoſus eſt,
ſemina ad axin adhaerent. In iis obſeruatur grauis
odor et vires anodynae, immo narcoticae. Inter
alia ſingularis Verbaſci ſpecies adducitur, quae folia
ſeſſilia longe acuminata ſerrata habet, et flores fert
in raram ſpicam diſpoſitos, ſolitarios, ſtaminum bar-
ba purpuraſcente, nondum deſcripta. Deinde re-
cenſentur claſſe *viceſima ſeptima iſoſtemones dicarpae* p. 268.
ſeu contortae; his datur calyx quinquepartitus, corol-
la quinquifida, et ſtamina circa ſe acceperunt necta-
ria caua, antherae eorum conniuent vel connaſcun-
tur, ſtigmata duo reperiuntur, fructus folliculos
ſiſtit duos polyſpermos, ſeminibus papposis. Di-
ſtinguunt ſeſe flore irregulari tetra vel pentapetalo
plantae claſſis *viceſimae octauae*, nempe *iſoſtemones* p. 271.
flore difformi quibus omnibus nectaria inſunt, ob
quam rationem additur Epimedium, ſtaminumque
antherae conniuent. Poſt iſoſtemones nunc recen- p. 274.
ſentur claſſe viceſima nona *meioſtemones*; his ſemper,
quotquot ſint laciniae vel ſegmenta floris, duo in-
ſunt ſtamina, corolla infundibuliformis et fructus
bacca intra florem. Aliquae plantae ex his didyna-
miarum numero ſunt inſertae. In *didynamiis* autem,

quarum

quarum locus in *claſſe triceſima* conſtituitur, calyx eſt monophyllus, corolla monopetala bilabiata, ex quatuor ſtaminibus duo altiora, unicusque ſtylus. Diſtribuuntur in duas iterum claſſes, prior capſularem
p. 276. fructum, poſterior ſemina gerit quatuor nuda. *Angioſpermae* capſulam uni aut bilocularem maturant. Inter Scrophularias, quae huc pertinent, nouam aliquam ſpeciem additam inuenimus. *Scrophulariam* nempe *foliis pinnatis, calycis ſegmentis ouatis, flore ventricoſo, ſquamula transuerſim latiore.* Huius tuba recta, ſtigmate inſtruitur hamato, recuruo, et a Cl. ZINNIO in Comment. Acad. Gotting. Tom. V. de-
p. 289. ſcripta extat. *Gymnoſpermae*, quas etiam verticillatas nominant, in claſſe *triceſima prima* recenſentur, et vix non omnes vires aromaticas, roborantes poſſident. Sunt illae varii generis, aut enim galea deſtituuntur, aut ea trifida eſt, aut erecta, integra vel emarginata, aut tandem profunde fiſſa. Proximum
p. 319. ab his locum occupant *tetradynamiae ſiliquoſae*, in claſſe *triceſima ſecunda*, has ipſe fructus diſtinguit, ſi breuis, ſubrotundus, oblongus eſt, *ſilicula* dicitur, ſi longior, teres *ſiliqua*, prioris ſtigma obtuſum, poſterioris fere nullum, ſeſſile deprehenditur. Ab his
p. 339. patet via ad *papilionaceas diadelphias*, in claſſe *triceſima tertia* deſcriptas, cum quibus iunguntur in claſſe *triceſima quarta* aliquae floris et fructu analogia cum prioribus conuenientes, nempe *papilionaceis adfines*, quae tamen corolla, ſtaminibus et partium vario ſitu diſcrepant. v. c. Amorpha, Mimoſa, Fumaria, Polygala cet. Supereſt deinde magna plantarum familia, quae florum capitula plerumque collecta expli-
p. 376. cant, in duo quaſi agmina ſeparantur. Ex his in claſſe *triceſima quinta* deſcribuntur *aggregatae* ſeu *dipſaceae*, quo nomine non tantum flores in capitulum collectos indicare voluit Cl. Auctor, ſed etiam paniculatos, ſi ſinguli ſquamis diſtincti et communi receptaculo innati fuerint. Corolla in plurimis mo-

nopetala, raro pentapetala occurrit, ſtamina corollae innaſcuntur quatuor vel quinque, ſed libera quoad antheras. *Aſterocephali* nouae quaedam ſpecies deſcribuntur. Tandem claſſe *tricesſima ſexta* et ultima *ſyngeneſia* LINNAEI, in quibus ſcilicet flores ſunt compoſiti et antherae in cylindrum coalitae, explicantur, quae ex propoſita diſtinctione Ill. HALLERI in quatuor iterum ordines ſecedunt α) *capitatas*, quarum floſculi omnes tuboloſi, limbo quinquifido, capitulum autem oblongum, ventricoſum obſeruatur; β) *corymbiferas*, in quibus floſculi tuboloſi, breues aut androgyni, limbo quinquifido inſtruuntur, aut in ambitu feminini fiſtuloſi, in capitulum planum, latum, non ventricoſum congeruntur; γ) *radiatas*, quarum flores in diſco tuboloſos, quinquifidos, androgynos, in radio lingulatos, femininos aut abortiuos conſpicimus; δ) tandem *planipetalas* ſeu *cichoreaceas*, in quibus floſculi omnes aequales lingulati androgyni, apicem quinquedentatum habent. Singularis additur animaduerſio, omnes has plantas lac ſtillare, ſi ſauciantur, amaras eſſe atque ſaponaceas. p. 382.

Non deſunt in deſcriptionibus ſpecierum hinc inde obſeruationes aliquae, quae illarum differentias ſufficienti ratione indicent, quas omnes exſcribere ea propter non eſt viſum neceſſarium, quod hoc etiam libello botanices amici carere nolint, quum optime perſpiciant, ex pluribus demum obſeruationibus characteres certos et ad faciendam diſtinctionem idoneos exſiſtere poſſe, quo ambiguitas denominationum, vagis quandoque inſiſtens notis, ſenſim ex illa doctrina proſcribatur penitus. Interim et haec enumeratio documento eſt, ſollicitam contemplationem corporum naturalium maiorem ſemper eorum affinitatem manifeſtare.

XIV.

XIV.

Diſſertatio epiſtolaris de vaſis lymphaticis glandulisque conglobatis ad virum illuſtrem ac celeberrimum ALBERTVM DE HALLER, ſocietatis regiae ſcientiarum Göttingenſis praeſidem, ſenatus ſupremi reipublicae Bernenſis et academiarum ſcientiarum imperialium ac regiarum plurimarum ſpectatiſſimum membrum a IOANNE FRIDERICO MECKEL, Med. D. ac Prof. Berolin. typis Io. Henr. Gaebert, 1757. 4. pl. 3.

Neminem in corporis humani diſquiſitione occupatum latet, quanta tum NVCKII tum RVYSCHII in glandularum perſcrutatione fuerit ſolertia, quarum prior ſpongioſam, alter vaſculoſam iis tribuebat ſtructuram, ut ſuperuacanea aliorum denuo ſuſcepta opera videri poſſet. Quum vero Cl. Auctori digna, quae ulterius inueſtigetur, viſa fuerit doctrina, de lymphaticorum vaſorum natura prius, ad glandularum ſtructuram contemplandam quam ſe conuertit, exponit.

Habent autem vaſa lymphatica tenuem, pellucentem, rigidamque membranam, quae diſtentioni valide reſiſtit, et contenta liquida vehementer urget, et quod robur illud prae venis ſanguiferis eſt excellentius, et, notante Cl. NVCKIO, cum magnitudine canalium creſcit, valuularum virtus inde perſpicitur. De his tamen, quum ab aliis iam actum ſit, nunc varietatem ſitus et frequentiam earum tantum ſibi contemplandam ſumit Noſter, et quae de diſtributione lymphaticorum vaſorum cognouerit, explicat.

p. 4. Deſcribit ea propter vaſa femoris lymphatica, quae reliquis longiora inueniuntur, ſiquidem tres quatuor-

quatuorue eorum a genu ſurſum, ſeſquialterum pedem longi repunt. Ex confluentibus autem minoribus, in tela celluloſa circa genu et tibiam decurrentibus, vaſculis exoriuntur trunci, qui *vas lymphaticum ſubcutaneum femoris longum* efficiunt. Hoc, licet in progreſſu diuidatur iterumque coeat, nullam tamen glandulam adit uſque dum in parte femoris ſuperiori ad glandulas ſubcutaneas deuenerit. Ingreditur has vel ſimplex, vel ante ingreſſum in ramos, ad acutiſſimum angulum ſecedentes, fiſſus, ſuaque intus diſtributione plexum atque ſtructuram glandulae format: collecti hi in unum vel plures trunculos iterum ex glandulis abeunt, atque ad abdomen tranſeunt. Quare concludit Noſter, *vaſa lymphatica ortum ſuum ex celluloſa minimis ſurculis ſumere lymphaeque in hanc exhalatae utili adhuc et a nutritione ipſius celluloſae reſiduae reuehendae deſtinata eſſe.*

Eodem modo lymphatica cubiti repleta fuere, quorum rami, ubi in vas maius hiat oſtium, valuula muniuntur, qua ſuperata in celluloſum contextum aditus patet, nec non communicantes ductus inueniebantur, per quos ſurſum deorſumque lymphae progreſſus concedebatur. His itaque deſcriptis ipſarum glandularum lymphaticarum ſtructuram uberius declarat Noſter: obſeruauit nempe, mercurio in vaſa lymphatica immiſſo, totam glandulam ſenſim intumuiſſe ita, ut adhibito quoque microſcopio plexus vaſorum apparuerit, varia ratione implicitorum. Aut enim minores nodoſi ramuli maioribus interſeruntur; aut in altera ſuperficie tenuiſſima vaſa plexum faciunt, in altera maiora; aut ex minimis unus fit trunculus, quem *ductum excretorium* glandulae vocat. Exitus tamen iterum multum variat, quam varietatem pluribus delineat, ſimulque monet, nunquam in vaſa ſanguifera penetraſſe mercurium, iniectionem vero arteriarum ac venarum factam non impediuiſſe. p. 6.

p. 10. Denique vaſorum lymphaticorum finis conſideratur a Cl. Auctore, qui pro partium differentia diuerſus exiſtit, ſiquidem vel maiores ductus lymphatici, vel minores ramuli tantum in venas terminentur. Singulari id exemplo vaſorum lymphaticorum ventriculi illuſtrat, et accurate deſcribit, quippe cuius vaſa lymphatica repleta in ventriculi venas humorem immiſſum ablegarunt. Ex quo ſimul liquido conſtare aſſerit, qui euenerit, ut poſt COWPERVM Cl. TARIN, ductum thoracicum per vaſa arterioſa et venoſa replere potuerit. Vſum autem lymphae, in venas effuſae eum eſſe dicit, ut ſanguis venae portarum diluatur. Porro ductus thoracici progreſſus in variis locis lymphaticorum vaſorum inſertorum congeriem habet, neque tamen omnes ſuperiorum partium trunci lymphatici cum dicto thoracico communicant ductu, ſed, ut axillarium glandularum et cum his communicantium vaſorum lymphaticorum exem-
p. 15. plis conſtat, in venas maiores deſinunt. Sic primus deſcripſit Noſter trunci eiusmodi axillaris ſiniſtri in venam ſubclauiam ſiniſtram inſertionem, dextri pariter in ſubclauiam vel iugularem. Occurrit hinc plenior nec alibi dicta horum vaſorum pertractatio, quae ad glandulas colli et axillarum, tanquam plexus vaſorum lymphaticorum, minimorum, in glomeres cum ſanguiferis vaſis celluloſae telae ope collectorum, pergentes in venas abeunt.

Omnes autem hi ductus eam praecipue utilitatem habere videntur, ut elaborationi lymphae, in celluloſam telam exhalantis, inſeruiant. Nihil tamen amplius monemus, cum verum breuis libelli pretium abunde pateat.

XV.

De venis lymphaticis valuuloſis et de earum in primis origine. Auctore ALEXANDRO MONRO, Iun. M. D. et Prof. Anat. Edimb. Berolini. Impr. Chriſt. Frid. Henningius, 1757. 8. pl. 4.

Eadem quum ſit in hoc docliſſimo opuſculo de venis lymphaticis ſententia, quum porro in eodem theatro Berolinenſi ab utrisque Cll. viris inſtituta fuerint tentamina, ad perfectiorem reddendam notionem de vaſis lymphaticis huius cum priori ſimul mentionem facere libuit. Suſpicio autem alius vaſorum lymphaticorum, quam quae vulgo putatur, originis iam ante quadriennium enata fuit Cl. MONRO, quum, immiſſo in venam ſpermaticam hydrargyro, eundem per venas lymphaticas rediiſſe obſeruaret, nec non porro eundem ex arteriis ad venas ſanguineas, intactis lymphaticis, propelli, effuſam autem in celluloſam telam venas lymphaticas ſemper replere, videret. Enatam autem inde opinionem venas lymphaticas ſyſtema vaſorum abſorbentium eſſe iam anno huius ſeculi quinquageſimo quinto in diſſertatione *de teſtibus et de ſemine in variis animalibus* breuiter propoſuit, nunc plenius explicauit. Hiſtoriam itaque praemiſit vaſorum lymphaticorum Cl. Auctor, quid MALPIGHIVS, NVCKIVS, COWPERVS, aliique permulti de iis ſtatuerint, candide ex ipſis fontibus hauriens atque exponens. Deinde argumenta theoretica, ex phaenomenis venarum lymphaticarum expendit, iunxitque experimentorum, quibus venarum lymphaticarum cum arteriis coniunctio adſtruitur diſquiſitionem, tandem venas lymphaticas valuuloſas ubertim in corpore obuenire oſtenſurus. Quum vaſa lymphatica, in ſenſus incurrentia p. 10.
vere venae ſint, BOERHAAVIVS exinde concluſit,

 adeſſe

adeſſe debere arterias, ſed dantur venae abſorbentes, cum arteriis non connexae: nec ex ſubtilitate arteriarum, humores pellucidos vehentium, indubitata deſumitur argumentatio, cum in pluribus locis per valuulis deſtitutas venulas humores redeant: nec ſecretiones abſolute tales venas requirunt, quum in auibus, non obſtante defectu vaſorum lymphaticorum valuuloſorum, ſecretiones fiant. Poſt mortem autem, quare lymphae motus aliquis ſuperſit, aut quare in calidi adhuc cadaueris vaſa iniecta aqua ad vaſa lymphatica tranſeat, ex reſorptione non aegre colligitur. In non nullis praeter ea venis valuulae ſunt illis in locis, ubi muſculorum ſuccuſſibus, arteriarumque ictibus ſubiiciuntur, aut externa comprimens cauſſa progreſſum humorum erat impeditura: at venae lymphaticae ubique valuulas obtinuerunt copioſiſſimas. Quare non immerito ſingularis ille mechaniſmus indagandus eſt, quem Ill. HAMBERGERVS in robore vaſis ſubtilibus dando quaerebat, quem tamen in progreſſu liquorum contentorum conſpici
p. 19. aperte demonſtrat Cl. Auctor, quod nempe in ratione numeri valuularum augeatur effectus preſſionis externae. Sic enim fieri poſſe, ut leuiſſimus motus, preſſio aut percuſſio organi vicini lympham promoueat. Experientia quoque confirmat vix vas lymphaticum, mercurio repletum, leuiter attingi, quin ille adſcendat. Ex quo conſequitur, ut externarum cauſſarum ope indigeant vaſa ad ſui progreſſum, quum ab energia cordis liquores contenti non urgeantur. Quid? quod in cerebro, ubi tenuiſſima alias vaſa ſunt, lymphatica deficiunt, certe extitura et copioſa forſitan, ſi eorum ortus ex arteriis reflexis deberet deriuari.

p. 22. Nihilo tamen minus multa anatomicorum experimenta connexionem cum arterioſis vaſis certam reddere viſa ſunt, quae tamen, re ſtudioſius perpenſa a Cl. Auctore in ſuae ſententiae partes tuendas adhiberi

hiberi poſſe demonſtrantur. NVCKIVS in lienis arteriam flatum immiſſum veſiculas eleuare vidit, ſed celluloſa in eo viſcere tela copioſa adeſt, quae inhalantes venas eſſe lymphaticas arguat: in quam rem ſimul conſpirant experimenta Cl. MORGAGNI, ex quibus cum ſubſtantia celluloſa lienis nexum eſſe venis, non autem cum arteriis, attamen cum vaſis lymphaticis, colligitur. Alio exemplo COWPERVS ex p. 29.
arteria in venam ſpermaticam ſe mercurium demittere non poſſe confeſſus eſt, ſed ex vena promte in vas lymphaticum. Prius ſibi tamen reſpondiſſe confirmat Noſter, et tunc nulla vaſa lymphatica ſimul repleri, ruptis autem venis, vaſa lymphatica turgeſcere atque hydrargyro diſtendi potuiſſe. NVCKIVS, quod ex poris et particularum figuris explicare rem annifus eſt, pariter fine ſuo excidit, et b. LOESEKE, p. 31.
quum arteriarum facta iniectione ſe hepatis vaſa lymphatica repleuiſſe putaret, non ſatis attendit, valuuloſa vaſa ex iniectionis fallacia quadam, non infrequenti, ſic apparuiſſe: nec melius ex ligatura venae portarum DIEMERBROECKIVS et HEISTERVS phaenomeni explicationem deduxerunt. Siquidem tum horum tum aliorum, quorum experimenta referuntur, virorum eo demum tempore iterum cum ſucceſſu tentata fuerunt, quando prius vaſis ruptis in telam celluloſam liquor infuſus effluxerit. Id, quod magis adhuc confirmant tentamina, cum variis viſce- p. 37.
ribus ſuſcepta, v. c. in hepate, nec non ventriculo, cuius, ut etiam inteſtinorum craſſorum, vaſa lactea, contingente prius extrauaſatione, feliciter repleuit Cl. Auctor. Nec color rubicundus lymphae aliud quid ſuadet, quippe quem facta demum vaſorum ruptura talem fieri poſſe conſtat, indoles autem fluidi lymphatici peculiaris eſt, quod aliae partes a venis bibulis abſorbentur. Immo ſuperſunt phaenomena p. 44.
ex quibus lymphatica vaſa ex corporis interna ſuperficie contentos ſuccos haurire palam fit: quum per

ureterum, ductuum biliariorum, penis cellularum repletionem, factam eſſe vaſorum lymphaticorum diſtenſionem varii adfirment. Venae lacteae certiſſime reſorbent, cur non etiam lymphaticae? Morbi id teſtantur, virus venereum ad glandulas fertur, variolarum, inſitione communicatum virus ſaepe glandulas axillares tumere facit, antequam febrim accendat, ab epiſpaſtico, capiti impoſito medicamento glandulae conglobatae colli, a paronychia axillares, ab aliis morbis vicinae glandulae intumuerunt, ut ea propter vere colligatur, *vaſa lymphatica valuuloſa per totum corpus venarum abſorbentium ſyſtema efficere.*

p. 52. Ne tamen theoretice tantum haec diſputata eſſe videantur, practica quoque conſectaria quaedam inde deduxit Noſter, de luis ſcilicet venereae, peſtis et variolarum miaſmate ad glandulas delato, ubi ſimul quid ex ſuppuratione et exciſione glandularum in ſimilibus morbis ſperandum ſit, egregie exponit.

Tandem, ut quae iam meditatus eſt, de vaſis lympaticis, glandulis, nec non vaſis lacteis, ſuper ventriculum et inteſtina decurrentibus, eorundemque per meſenterium progreſſu, breuique ſe editurum promittit Cl. MONRO velit quantocyus expedire, anxie optamus. Denique, quum hic Noſter vaſorum tenuiſſimorum origines certas reddiderit, et Cl. praeter ea MECKEL ulteriores eorum decurſus curatius perueſtigauerit, quantum quidem utrique in nouae huius doctrinae dilucidatione laudis tribuendum ſit, poterit obſcurum eſſe nemini.

XVI.

IOHANN HEINRICH GOTTLOB *von* IVSTI, *Königl. Groſsbrittanniſchen Bergraths und Ober-Policey-Commiſſarii, wie auch Mitgliedes der Königl. Groſsbrittan. Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu Göttingen, Grundriſs des geſammten Mineralreiches, worinnen alle Foſſilien in einem, ihren weſentlichen Beſchaffenheiten gemäſsen, Zuſammenhange vorgeſtellet und beſchrieben werden. Göttingen, im Verlag der Wittwe Vandenhoeck*, 1757. 8. 14 *Bogen, ohne Zueignungsſchrift und Vorbericht.*

h. e.

Sciagraphia totius regni mineralis, in qua omnia foſſilia, ordine, cum eorum qualitatibus eſſentialibus conueniente, ſiſtuntur et deſcribuntur. Auctore de IVSTI.

Cl. *de* IVSTI, cuius merita circa res naturales aliasque ſcientias ſatis nota ſunt, cum foſſilium amatoribus communicat elementa ſua mineralogiae, quae in uſum auditorum ſuorum exarauit. In praefatione memorat recentiores ſcriptores, qui parem ſuſceperunt laborem, ſed Cl. Auctori in omnibus non ſatisfecerunt. Inter hos primum locum occupat Cl. LINNAEVS, cuius ſtudium et operam quidem laudat, de eius tamen ſyſtemate regni mineralis monet, id minime cum ſyſtemate regni vegetabilis comparandum eſſe. Hunc excipit Cl. WOLTERSDORFF, qui tabulas mineralogicas edidit, quae vero nimis breues Noſtro videntur. Idem fere aſſerit de laboribus Cl. LEHMANNI et Cl. CRAMERI, quos mineralogiam non de induſtria, ſed quaſi in tranſitu explicaſſe perhibet. Sequitur Cl. WALLERIVS. Hunc

peculiare quidem et ſatis completum diuulgaſſe mineralium fatetur ſyſtema, quod omnem laudem mereretur: ſed multa in illo corrigenda et mutanda inuenit Cl. Auctor; licet eum in multis ideo excuſandum putet, quod duce, cuius veſtigia premere potuiſſet, caruerit. Periculum igitur ipſe fecit, nouumque elaborauit ſyſtema, cuius ſciagraphiam nunc cum lectoribus communicat. Dolendum tamen conſpectum, ſiue tabulam ſynopticam illum non adieciſſe, ex qua ordo et totius ſyſtematis diſpoſitio cognoſci queat, qua certe memoriam multum ſubleuaſſet. In *introductione* patefacit viam, qua ad cognitionem regni mineralis peruenire debemus. Ad regnum minerale refert omnia corpora terreſtria atque lapidea, quae in noſtro terrarum orbe, quem habitamus, reperiuntur. Etſi corpora ad hoc regnum pertinentia omni vitali ſenſu deſtituuntur, multae tamen in illo quotidie fiunt mutationes atque procreationes, quas
p. 2. a ſolo calore et aqua perfici contendit. Ad duas has cauſſas in omnibus apparitionibus, quae ſub terra eueniunt, reſpiciendum eſſe cenſet Cl. Auctor. Calorem quidem ab igne ſubterraneo, in terrae centro condito, non deriuare audet; quamuis opinio, quae hunc defendit, prorſus improbabilis ei non videatur: a ſolis tamen calore eum non dependere, ſed terrae ab initio inditum eſſe, probat. De aquae autem praeſentia nemo dubitat, quum ubique in terrae viſceribus reperitur. Quem ad modum vero lapides ope harum cauſſarum agentium ſolui, nouosque quotidie gigni ſtatuit: ſic etiam reliqua ſubterranea corpora eandem mutationem, eodem modo, pati aſſerit. Ad modum diuerſa ut inde oriantur corpora neceſſe eſt, quae noſſe et diſtinguere generis omnino intereſt humani. Summatim autem ſciendum eſt omnia corpora, quae e terra eruuntur, *foſſilium* nomine notari. Horum cognitionem duplici modo acquiri exiſtimat Cl. Auctor: vel conſiderando eorum

eorum externum habitum, formam, colorem et grauitatem ſpecificam, vel examinando eorum qualitatem internam, quod ope chemiae fit, dum eorum partes ſeparantur et determinantur. Alii hanc, alii illam eligerunt viam. Vtraque autem in ſyſtemate formando incedendum eſſe putat Cl. Auctor. His praemonitis, in ſex claſſes praecipuas omnia regni p. 7.
mineralis diuidit corpora.. Ad primam claſſem refert metalla: ad ſecundam ſemimetalla: ad tertiam inflammabilia: ad quartam ſales: ad quintam petrefacta et figurata: ad ſextam lapides et terras. Quae primis quatuor claſſibus comprehenduntur *mineralium* in ſpecie nomine inſigniuntur Plurimi methodici illum ordinem inuerterunt, et a terrarum lapidumque claſſe fecerunt initium: ſed a metallis ordiendum eſſe ideo Cl. Auctor arbitratur, quia praecipuis conſtantioribusque ſignis diſcretoriis prae reliquis gauderent foſſilibus: terrae autem et lapides negatiuis tantum characteribus diſtinguerentur.

Sectio igitur *prima* agit de *metallis*, quorum cha- p. 11.
racterem ſpecificum, ſi ſcilicet pura ſunt, in malleabilitate ponit. Diuidit autem ea in *nobilia* et *ignobilia*. Nobilia adpellat, quae igne non mutantur. In horum numerum refert aurum et argentum. Ignobilia ſunt, quae igne vehementiori deſtruuntur. Huc pertinent cuprum et ferrum, quae difficile: deinde ſtannum et plumbum, quae facile in igne liquefiunt. Plurima metalla raro pura e terra effodiuntur, ſed plerumque aliis materiis peregrinis miſta ſunt, et tunc mineraliſata (*Erzte*) Cl. Auctori audiunt. Sunt autem materiae peregrinae, quae metallis ſaepius penitus admiſcentur ſulphur et arſenicum, ad quae Cl. Auctor alcali minerale addit, et quod ſe primum ſub hac conditione animaduertiſſe ait. Horum igitur acceſſu atque admiſtione metallorum mineras (*Erzte*) gigni, ſeu metalla, ſit venia verbo, mineraliſari autumat. Quotidie enim metalla eorumque mineras ori-

ri et adhuc creſcere affirmat. *Mineraliſationis* (*Erzt-*
werdung) ergo modum explicat, et in duabus illis
cauſis agentibus, de quibus in introitu locutus eſt,
p. 14. calore nempe et aqua, quaerit. Beneficio enim aquae
et caloris, ubique in terra praeſentis, oriuntur va-
riae fermentationes et ſolutiones, quibus praeſertim
vapores ſubterranei generantur. Hi vapores, par-
ticulis mineralibus expleti, in omnes terrae cryptas
atque cauernas penetrant, cum aliis vaporibus ſe
coniungunt, nouosque, ſecundum Cl. Auctoris men-
tem gignunt mineras (*Erzte*). Idem et ab aquis
ſubterraneis fieri perhibet.

p. 18. Ad *primae* claſſis genera nunc progreditur, inter
quae eminet *aurum*. De hoc in *primo* capite agit.
Aurum plerumque nudum in quarzo albo ſemi pel-
lucido, vel ſilice inuenitur, non nunquam etiam in
lapide corneo flauo et coeruleo. Sed id etiam *mine-*
raliſatum reperiri, Cl. Auctori non impoſſibile vide-
tur, licet a multis negetur. A ſolo quidem ſulphure
id effici ipſe dubitat, tamen ab arſenico et a ſulphu-
re, cum alcali minerali miſto, omnino hoc fieri poſ-
ſe defendit. Quasdam nunc ſpecies refert, quibus
aurum *mineraliſatum* reperiri opinatur. Sunt hae
aurum ſolutum granulatum Wall. (*Schürlkoerner*): *py-*
rites fuluus (*Goldkies*): *pyrites Vngaricus*, (*Zinno-*
pel) dictus, et *cinnabaris natiua*.

p. 25. *Secundum* caput pertractat *argentum*, quod ratio-
ne durabilitatis in igne ad aurum proxime accedit.
Purum ac nudum crebro occurrit, variasque habet
figuras. Inuenitur enim vel ſub capillorum, vel
granulorum, vel dentium, vel ramorum, vel lamel-
larum forma, haeret autem vel quarzo, vel lapidi
corneo, vel ſaxo griſeo, vel ſchiſto, rarius ſpato.
Subinde coniunctum eſt cum cupro, cobaldo, anti-
monio, zinco aliisque metallorum mineris. Quam-
uis nudum argentum valde purum ſit, particulas ta-
men peregrinas illi admiſtas eſſe ideo ad modum ve-
roſimile

roſimile videtur Cl. Auctori, quod argentum natiuum, in primis capillare, in aere non ſolum colorem et ſplendorem amittat, ſed etiam cum tempore ſaepius fatiscat et dilabatur (*Zerwittere*): cuius cauſam in coniuncto hydrargyro quaerit. Nos vero huius mutationis et deſtructionis rationem in admiſto acido ſulphureo ponimus. Nullae enim minerae in aere fatiscunt, quam quae acido ſulphuris et vitrioli, quod unum eſt, abundant. Quod ad mineras argenti attinet, variae earum dantur ſpecies. Prima eſt *minera argenti vitrea* (*Glaſserzt*): ſecunda, *cornea* (*Hornerzt*): tertia, *rubra* (*Rothgüldenerzt*): quarta, *alba* (*Weiſsgüldenerzt*): quinta, *nigra* (*Schwarzerzt*): ſexta, *ad inſtar ſtercoris anſerini formata* (*Günſeköthigeserzt*): ſeptima, *plumoſa* (*Federerzt*): et octaua, *cum alcali minerali coniuncta* (*alkaliſche Silbererzte*). Vltimam hanc ſpeciem debemus Cl. Auctori, qui eam in Auſtria inferiori prope Annaebergam primum detexit, et in ſuas redegit claſſes.

Argentum excipit *cuprum*, quod *tertium* caput ſiſtit. Eodem modo, ut priora metalla, nudum ſub terra inuenitur, licet non adeo purum ſit, ut cum cupro cocto perfecto comparari queat, ſed ad cuprum nigrum tantum accedat. Varia etiam forma e terra eruitur, quare vel granulatum; vel ramoſum; vel lamelloſum, ſiue bracteatum; vel capillare; vel cryſtallinum nuncupatur. Ab hoc differt *cuprum praecipitatum* (*Cementkupfer*), quod ex aquis, cupro dotatis, ope ferri deiicitur. Frequentius offenditur cuprum in mineris, quae vero ferri ſimul ſunt participes. Multifariam etſi hae minerae variant: in ſuas tamen illas redegit Cl. Auctor ſpecies, quarum ſeptem numerat. Primam conſtituunt *cupra mineraliſata vitrea* (*Kupferglaſserzte*). Huc pertinent *coeruleum, lazureum* aliis dictum (*Kupferlazur*); *purpuraſcens* LINN. (*Kupferglaſs*); et *praecedenti ſimile, ſed fractura parum nitente* (*grau Kupfererzt*): ſecundam, *cupra* *minerali-*

p. 36.

mineraliſata fuſca (*braune Kupfererzte*); quae tres rurſus admittunt diuiſiones, *rubrum* (*rothes Kupfererzt*); *fuluum*, ſeu *mineram cupri hepaticam* (*Lebererzt*, *Leberſchlag*); et *ochram cupri* (*Kupferocher*): tertiam *cupra arroſa coerulea et viridia* (*Kupfergrüne- und Blauerzte*), quae quatuor habent varietates, *cuprum arroſum viride* et *coeruleum durum* (*Kupfergrün und Kupferblau*), quorſum et *malachiten* nnmerat; *cuprum terreſtre*, *aeruginem* ſcilicet *natiuam* et *coeruleum montanum* (*Berggrün und Bergblau*); *cuprum cotis* (*Kupfer Sanderzt*); et *granulatum viride* (*körnigtes Kupfergrün*): quartam, *cupra cinerea* (*Weiß-und Fahlerzte*); inter quae *flaueſcens* (*Weißerzt*); *griſeum* (*Fahlerzt*); et *obſcurum* (*Fahlkupfererzt*) praecipua ſunt: quintam, *cupra pyritoſa* (*kiesartige Kupfererzte*), quorum plurima chalybi alliſa ſcintillant; his adnumerantur *variegatum* (*farbichtes Kupfererzt*); *luteum* (*Kupferkieserzt*); et *chalcopyrites* (*Kupferkies*): ſextam, *cuprum ſchiſti* (*Kupferſchiefer*): ſeptimam denique, *cupra alcaliſata* (*alkaliſche Kupfererzte*). Non enim ſolum argentum, ſed et cuprum cum alcali minerali commiſtum reperiri probat Cl. Auctor, quare etiam peculiarem ſpeciem inde facit, quae *cuprum arroſum griſeum* (*grauen Kupfermulm*), et *cuprum lapidibus calcareis inſperſum* (*in Kalkſtein und Marmorarten eingeſprengt*) complectitur.

p. 51. Sequitur *ferrum*, quod in *quarto* capite exponit. Num detur ferrum purum natiuum valde dubitat Cl. Auctor. Illud enim, quod pro tali plerumque venditatur, carere proprietatibus ſpecificis aſſerit. Eo crebriores autem ſunt minerae ferri. Harum ſpecies primariae ſunt, *minera ferri vulgaris* (*gemeiner Eiſenſtein*); *alba* (*weiß Eiſenerzt*); *rubra*, ſeu *haematites* (*Blutſtein*); *ochra ferri* (*Eiſenocher*); et *magnes* (*Magnetſtein*). Ex his omnibus ferrum cum fructu coquitur et paratur. Sequentes ferri minerae ſunt rapaces, et pauperes nominantur. Ad has pertinent

nent *magneſia* (*Braunſtein*); *ſpuma lupi* (*Wolffram oder Schirl*); *minera ferri lamellis ſplendentibus* (*Eiſenglanz*); quae noua ferri quidem ſpecies eſt, ſed a reliquis ſcriptoribus, niſi nos omnia fallunt, ad zinci genus refertur; *mica ferri* (*Eiſenglimmer*); et *ſmiris* (*Schmirgel*). In fine capitis quaeſtionem mouet Cl. Auctor, annon ferrum coctione generetur, cum ubique reperiatur, et ex omni fere terra, ut recentiſſima experimenta docent, coctione ſiſti queat?

Stannum caput *quintum* exhibet. Purum ſtannum p. 61. natiuum dari prorſus negat Cl. Auctor, illa enim exempla, quae A MATTHESIO, aliisque adducuntur ſcriptoribus, ulteriore examine egere ei videntur. Non adeo frequentes ſunt ſtanni, ac reliquorum ignobilium metallorum, minerae, ideo et paucae tantum offenduntur ſpecies. Praecipuae ſunt *ſtannum mineraliſatum cryſtalliſatum* (*Zinngraupe*): *ſtannum ex multis cryſtallis aggregatis compoſitum* (*Zwitter*): *ſaxum ſtanniferum* (*Zinnſtein*): *ſpatum ſtanniferum album* (*weiſſer Zinnſpat*); quod inter raras ſtanni mineras numeratur, et ex relatione Cl. Auctoris tantum prope Toeplitz in Bohemia huc uſque effoſſum fuit: *granatus ſtannifer* (*Zinngranaten*): et *arena ſtannea* (*Zinnſand*), quae ex minimis cryſtallis ſtanni et arena compoſita eſt.

Reſtat *plumbum*, quod *ſextum* caput abſoluit. Im- p. 66. probabile videtur Cl. Auctori purum plumbum natiuum inueniri, plumbi vero minerae ubique fere obuiae ſunt. Ditiſſimum ex his eſt *plumbum ſubmalleabile*, plumbago aliis dictum (*Bleyſchweif*). Maxime obuium eſt *plumbum particulis cubicis nitidis* (*Bleyglanz*). Hoc excipit *plumbum cryſtallinum viride et album* (*weiſſes und grünes Bleyerzt*). Denique ſuccedit *terra plumbaria*, ſeu *plumbi minera galenica mineraliſata*, *terrae inſenſibiliter immixta* (*Bleyerde*).

Haec de metallis. Sequitur ſectio *ſecunda*, de *ſe-* p. 74. *mimetallis*. Semimetalla a metallis differunt, quod

malleo non extenuari queant, et in vehementiori igne auolent. Plerumque de aliis metallis aliquid participant, varieque mixta ſunt. Ad haec pertinent *hydrargyrum*, *antimonium*, *wismuthum*, *zincum* et *arſenicum*, quorum ſpecies caput *ſeptimum*, *octauum*, *nonum*, *decimum et undecimum* explicant. *Cobalta* ad arſenica refert, ibique pertractat. De hydrargyro aſſerit, notum eſſe quibusdam chemicis proceſſum, ope cuius, additione ſcilicet guttularum paucarum tincturae cuiusdam, hydrargyrum indurari poſſit. De qua experientia, niſi Cl. Auctor illam ipſe fecit,
p. 83. multa omnino habemus, cur dubitemus. Quando autem de antimonii mineris dicit, eas etiam in Voigtlandia erui, fatemur, nobis quidem eiusmodi anti-
p. 93. monii fodinas notas non eſſe. Quem ad modum etiam de *cadmia*, ſeu lapide calaminari, quem ſub zinci ſpeciebus adducit, fidem noſtram dare poſſumus Cl. Auctori, illam quidem ſpeciem, quae prope Aquisgranum, ad pagum, Altenberg nominatum, et illam, quae in Bohemia effoditur, minime eſſe terram, ſed duriſſimum lapidem. Quae enim inde ad nos defertur cadmia, friabilis quidem eſt, et terrae valde ſimilis, ſed eſt ille lapis duriſſimus coctus atque uſtus, qui *cadmia praeparata* nunc ibi audit. Lapis autem crudus, prout effoditur, nunquam ad exteros mittitur: quare non mirandum, cur pauciſſimi ad veram cadmiae notitiam perueniant. Collegerunt plerumque cadmiam in officinis, ubi orichalcum paratur: in his non lapidem crudum, ſed cadmiam iam praeparatam, ſicut miſſa eſt, offendunt.* Hoc ex experientia ſcimus, quum ipſi memoratas ingreſſi ſumus fodinas.

Tran-

* Conſentientem habemus Cl. SPRINGSFELD in Itinere medico ad thermas aquis granenſes et fontes ſpadanos, p. 40. §. XVII.

Tranſit Cl. Auctor ad *inflammabilia mineralia*, de p. 111. quibus in ſectione *tertia* agit. Bene monet ſulphur et inflammabile minime pro ſynonimis, uti a non nullis factum eſt, habenda eſſe. Sulphur enim tantum inflammabilium ſpecies eſt. Omnia autem inflammabilia in tres redigit ordines, quorum primus comprehendit fluida inflammabilia, et quae probabiliter ex his, dum dureſcunt, oriuntur. Huc praeter *naphtam*, *petroleum* et *maltham* refert *ſuccinum*, *ambram*, *gagaten* et *aſphaltum*, quae capite *duodecimo* deſcribit. Secundus ordo ſiſtit inflammabilia mine- p. 118. ralia, quae lapidibus et terris commiſta ſunt. Haec diuidit in *lithanthraces* et *terras inflammabiles bituminoſas*. Lithanthracum quatuor nominat ſpecies, et terrarum tres. Has omnes capite *decimo tertio* definit. Tertius ordo continet ſulphur, eiusque mineras. Verum natiuum ſulphur inueniri extra omnem dubitationem eſt. Omnium frequentiſſime occurrit *flauum*, quod etiam tam in illa ſpecie, quae *ſulphur foſſile*, ſeu *caballinum* dicitur, quam in terris ſulphureis offenditur: ſed datur et *rubrum arſenicale*. Quod ad ſulphuris mineras attinet, has omnes pyritarum ſpecies praebent, praeſertim *pyrites ſulphureus ferro mixtus*, qui variis interdum figuris ludit, de quibus HENCKELIVS in *Pyritologia* euoluendus eſt. Haec omnia exponit Cl. Auctor in capite *decimo quarto*.

Progreditur ad *ſales*, in quos in ſectione *quarta* p. 134. inquirit. Sales primitiui dantur duo, ſal *acidus* et ſal *alcalinus*: ex quorum compoſitione tertius oritur, *medius*. Sal acidus nunquam reperitur purus, ſed vel cum particulis metallicis, vel terreis, vel inflammabilibus mixtus; inde *vitriolum*, *alumen* et *ſulphur*. Quum de ſulphure in praecedentibus iam egit, de vitriolorum et aluminum ſpeciebus in capite *decimo quinto* adhuc diſſerit. De *ſale alcalino minerali fixo* p. 145. multum diſputatum fuit inter eruditos, num talis detur. Poſtquam autem in thermis, aliisque aquis

ſoteriis

ſoteriis detectus fuit, pauciſſimi de eo amplius dubitant. Quamuis purus in noſtris oris nunquam inueniatur: tamen in terris orientalibus, cum particulis terreis vel arena mixtus, e terra effoditur, et, prout Cl. Auctor ſuſpicatur, baſin noui illius metalli, *Tincal* dicti, praebet. *Nitrum veterum*, quod alii *natron* quoque adpellant, eandem ſalis ſpeciem fuiſſe, admodum probabile illi videtur. Noſtrum autem *nitrum murarium*, quod ex muris ſuper calce effloreſcit, et a non nullis *aphronitrum* dicitur, etiam ad naturam illius ſalis alcalini vergit, et iure huc refertur: licet Cl. Auctor illud ad regnum minerale proprie pertinere neget, quia non effodiatur, ſed ſupra terra mouiter producatur. Quae ratio, ut verum fateamur, nobis non ſufficere videtur: ad reliqua enim duo regna hicce ſal multo minus referri poteſt. Maiorem difficultatem praebet altera quaeſtio: num detur alcali minerale volatile? In partes affirmatiuas abit Cl. Auctor, illudque probare annitur ex lapidum foetentium odore, quem in nulla alia cauſa originem habere poſſe autumat, quam in alcali volatili. Omnia haec diſputat in capite *decimo ſexto.* Superſunt ſales medii. Hos in capite *decimo ſeptimo* explanat: licet ſalem communem culinarem ſolum admittat. Salem enim marinum, nitrum, et ſalem ammoniacum, ob rationes ſupra de ſale murario adductas, e regno minerali excludit.

p. 154. Sequuntur *petrefacta* et corpora mineralia *figurata*. Haec ſectio *quinta* exponit. Materiae ex quibus petrefacta conſtant, ſunt plerumque lapis calcareus, arenarius, ſchiſtus, tophus, ſilex, chalcedonius, rarius lapis corneus, rariſſime et fortaſſe nunquam, quarzum et ſpatum. Omnia autem ad hanc ſectionem pertinentia corpora in quinque ordines diuidit Cl. Auctor. Primus comprehendit petrefacta regni animalis: ſecundus regni vegetabilis: tertius complectitur petrefacta, quorum origines, vel potius

tius exempla incognita ſunt: quartus ſiſtit figurata, quae ab aliis naturae luſus vocantur: quintus lapides cryſtalliſatos (*Druſengewächſe*). Horum omnium explicationem praebet caput *decimum octauum*, *undeviceſimum*, *viceſimum*, *viceſimum primum* et *ſecundum*.

Sexta et ultima ſectio exhibet *lapides* et *terras*, quorum differentias ſpecificas adferre pro ſuperuacaneo et inutili habet Cl. Auctor, quia ſatis notae ſunt. Lapides et terras ideo coniungit, quoniam terras pro baſi et fundamento lapidum agnoſcit, et lapides reſolui credit in terras. Diſtinguit autem lapides in vetuſtos, qui ante deſtructionem et mutationem uniuerſalem terrae iam exſtiterunt, et in recentes, ſeu tales, qui poſtea geniti ſunt, et adhuc hodie generantur. Omnia lapidum genera, in quibus petrefacta reperiuntur, in numero recentium ponit, quia neceſſe eſt, ut molles ante fuerint, quam partes animalium et vegetabilium in illis receptae ſunt. Monet tamen Ipſe hanc regulam, quam de petrefactis ſumit, non omni carere exceptione. Pro certo interim ponit, recentes lapides ope aquae gigni, hinc idem de vetuſtis eſſe credendum; licet et hi acceſſu ignis ſubterranei magnas poſthaec paſſi ſint mutationes. Lapidum generationem beneficio aquae, triplici modo fieri exiſtimat: vel per indurationem, vel per praecipitationem, vel per cryſtalliſationem. Varie quidem lapides ſecundum eorum qualitates diuidi poſſunt. Optime autem illos diuidi arbitratur Noſter in nobiles et ignobiles. Nobiles rurſus diſtinguit in gemmas et pſeudo-gemmas. Ignobiles lapides et terrae, ratione compoſitionum, colorum aliarumque qualitatum multas quidem ſecundum Cl. Auctorem admitterent diuiſiones: melius tamen eorum differentias cognoſci affirmat, quando ad eorum conditionem, quam in igne monſtrant, attenderetur. Pro eorum igitur conditione, quam in igne p. 193.

monſtrant, tres ordines facit. Primum ordinem efficiunt lapides, qui in igne etiam vehementiſſimo non alterantur, et ideo *apyri* vocantur: alterum ei lapides, qui memorato ignis gradu deſtruuntur, et in calcem mutantur, hinc *calcarei* nominantur: et tertium illi, qui ſine additione in igne fluunt, et *fuſiles* ſeu *vitreſcentes* inde apellantur. Quilibet videt, Cl. Auctorem hic tantum de lapidibus loqui, non vero de terris, quamuis de his illa etiam intelligenda eſſe, credibile ſit et ex ſequentibus quoque pateat. Animaduertimus praeter ea Cl. Auctorem hic lapides calcareos gypſeis confundere, quod quidem infra in ſpeciali explicatione defendere conatur: num ſatis? alii iudicent. Agit igitur ſecundum ſupra factam diuiſionem in capite *viceſimo tertio* de *gemmis*: *in viceſimo quarto* de *pſeudo - gemmis*, quas a prioribus ratione duritiei differre contendit: in *viceſimo quinto de lapidibus et terris apyris*. His adnumerat *talcum*, *micam*, *lapidem ollarem*, *cretam hiſpanicam*, *larditen*, *lapidem corneum*, *asbeſtum*, et e terris, quasdam *argillae* ſpecies, *margam porcellanam chinenſem*, et *margam albam*, prope Geram repertam. In capite *viceſimo ſexto* de *lapidibus et terris calcareis* differit. Coniungit, uti ſupra iam monuimus, in hoc capite lapides calcareos cum gypſeis, quos omnes ſyſtematici ſepararunt. Characterem ſpecificum lapidum calcareorum et terrarum in eo ponit, quod igne friabiles reddantur, et acceſſu aeris ob alcali, quod illis admiſtum eſſe dicit, in calcem fatiscant, quae cum acidis efferueſcat. In hoc lapides gypſeos cum calcareis conuenire affirmat. His praemonitis, omnem hunc ordinem lapidum rurſus in tres claſſes inferiores, ſeu tribus diuidit. Prima comprehendit veros lapides calcareos et terras: ſecunda lapides gypſeos et terras: tertia lapides pſeudo - calcareos, huiusque generis terras. In primum numerum refert *lapidem calcareum vulgarem*, *marmora*, *ſtalactiten* et *cretam*: in

ſecun-

ſecundum *lapidem gypſeum vulgarem*, *ſeleniten*, *alabaſtrum* et *gypſum lamelloſum*: in tertium omnium generum *ſpata*, et *lapidem bononienſem*. In capite *viceſimo ſeptimo* exhibet lapides et terras in igne fuſiles et vitreſcentes. His adſcribit *arenam*, *lapides arenarios*, *ſilices*, *quarza*, *ſchiſtos*, *marmor zoeblicenſe*, *tripelam*, *pumicem*, *porphyriten*, *ſaxum griſeum*, *argillas*, quibus et *cretam fullonum* comprehendit, *margas*, *limum* et *umbram*. Haec ſunt quae Cl. Auctor circa regnum minerale praeſtitit. Nil reſtat, quam ut Cl. Auctorem rogemus, ſi forte nouam editionem horum elementorum moliturus ſit, ut tabulam, quam ſupra deſiderauimus, adiiciat, quo ordinatio claſſium, ordinum, generum et ſpecierum uno intuitu inſpici queat.

XVII.

BERNHARDI WILHELMI RÖDDER, Med. Doct. *Ihro Churfürſtl. Durchl. zu Cölln Fürſtl. Paderborniſchen Leib- und Hofmedici gründliche Beſchreibung des zu Driburg im Hochſtiffte Paderborn gelegenen Geſund- und Stahlbrunnen, deſſen Beſchaffenheit, mineraliſchen Gehalte, innerlichen und äuſſerlichen Kräften und Gebrauch, auch was ſonſt dabey zu eines jeden beſondern Nutzen in allerley Krankheiten und Gebrechen zu beobachten. Nebſt einer beſondern Brunnen-Diätsregel von allerley Speiſen, welche bey der Brunnen-Cur entweder dienlich oder ſchädlich ſind. Driburg und Hannover, in Verlag ſeel. Nicol. Förſters und Sohns Erben.* 1757. 8. 1 alph. 5 pl. ſine praef. et 1 tabul. aen.

i. e.

Accurata deſcriptio fontis medicati ferrati Driburgenſis in epiſcopatu Paderbornenſi ſiti, una cum eius qualitatibus, contentis mineralibus, virtute et uſu externo ac interno etc. Accedunt regulae diaeteticae, ratione ciborum, durante cura, obſeruandae Auctore B. W. ROEDDER.

Aquas medicatas *Driburgenſes*, quae parum notae huc uſque fuere, celebriores reddere conatur Cl. ROEDDER accurata huius fontis eiusque virtutum deſcriptione. In praefatione queritur, pauciſſimos ſcire rectum mineralium aquarum uſum, hinc ſibi ſaepius hisce nocere. Hunc igitur abuſum, fontis quidem *Driburgenſis*, in poſterum praecauere contendit inſtructione ſua, hac deſcriptione contenta: qua de re etiam non eruditorum, ſed aegrotorum cauſſa omnem laborem ſe ſuſcepiſſe monet. Praeter D. NESSEL, qui 1714 *Examen fontis ſalubris Driburgenſis* edidit, nullus Noſtro notus eſt auctor, qui de aquis his ex induſtria ſcripſit. Sed quia eius expoſitio nimis breuis et reciſa eſt: hinc ipſe periculum fecit. Totum ſuum libellum Cl. Auctor
p. 1. in nouem diuidit capita. In *primo* capite exponit oppidi *Driburgi* antiquitatem, ſitum, regiones huic confines, denominationem, adiacentem fontem mineralem, eiusque hodiernam conditionem. Cognoſcimus ex his *Driburgum* in epiſcopatu *Paderbornenſi* iacere, et duo a *Paderborna* diſtare lapides: fontem autem non procul ab oppido in prato quodam, in cuius vicinia pyritae ſulphurei reperiuntur,
p. 47. proſilire. In *ſecundo* capite agit de qualitate et contentis mineralibus dicti fontis. Poſt multa variaque adducta, et cum aquis inſtituta, experimenta Cl. Auctor colligit, in aqua fontis *Driburgenſis* contineri:

1) ſpiri-

1) ſpiritum aethereo - elaſticum volatilem; 2) ſpiritum temperatum acidum ſulphureum, ſeu vitriolicum: 3) ſalem medium compoſitum tam ex ſale communi et ſpiritu acidulo, quam ex terra alcalina; 4) ferrum; 5) terram ſubtilem alcalinam; 6) et cryſtallum montanam, ad lapidem ſeleniten multum accedentem. In genere notat indolem alcalinam in his aquis ſemper praeualere, et hanc ſenſim tantum ab acido ſimul praeſente vitriolico, eiusque coniunctione, alterari. In capite *tertio* differit de aquarum p. 93.
Driburgenſium virtute et effectu in corpus humanum. Effectum partim ex memoratarum partium componentium, ex quarum numero ſpiritum aethereo - elaſticum non excludit, ſingulari natura ac ſpecifica qualitate; partim ex omnium harum partium permiſtione deriuat. Quamuis hae aquae ob ſalem medium fontanum, quo prae aliis abundant, *Pyrmontanis* aquis fortius aluum laxent: praecipuam tamen eorum virtutem in vi diluendi, ſoluendi et roborandi Cl. Auctor ponit. In capite *quarto* mentionem p. 131.
facit morborum et ſymptomatum ſingularium, in quibus aquae *Driburgenſes* vel ſalutares, vel perniciofae ſunt. Catalogum ergo multorum morborum una cum hiſtoriis quibusdam aegrotorum adnectit, qui aquis *Driburgenſibus* ſanati fuere. Inter hos non nulli recenſentur morbi, qui vel plane non, vel cum multa circumſpectione et cautione hisce tentandi ſunt aquis. In capite *quinto* docet verum uſum et p. 183.
abuſum aquarum mineralium. Per hunc intelligit errores, qui ab aquae potatoribus ſaepe committuntur: qua occaſione non ſolum ad quasdam quaeſtiones, ſibi motas, reſpondet, ſed etiam non nullas praeconceptas opiniones refutare ſtudet. Vt ex multis unicum adducamus, minime probat morem aquas minerales calefaciendi, quippe quo ſpiritum aethereo - elaſticum et volatilem omnino diſſipari atque fugari iure aſſerit. Hinc expreſſe dicit: quo frigidio-

rem quem aquam bibere poſſe; eo meliorem effectum eum ſperare debere: ad quae pauci certe huc uſque attenderunt. Per illum ſignificat modum et ordinem, quem aquarum potatores inter bibendum obſeruare debent: qua occaſione determinat ſimul aquarum quantitatem et curationis tempus, quod eo uſque protrahendum ſuadet, donec aegrotus ſe meliorem ſentiat. Ad haec adiungit non nullas cautelas in curatione non contemnendas. In capite *ſexto* quaedam proponit de lacte eiusque ſero, nec non de utriusque cum aquis *Driburgenſibus* virtute ac uſu. Poſtquam diuerſas lactis ſpecies examinauit, eiusque praerogatiuam, quam alterum prae altero habet, conſtituit, aquas *Driburgenſes* cum omni lacte tuto miſceri et in quibusdam morbis, aquarum Selteranarum inſtar, adhiberi poſſe probat. In *ſeptimo* capite meminit adhuc ſymptomatum, quae curam cum aquis mineralibus tentatam interdum comitari ſolent. His aptis et accommodatis remediis mederi ſtudet. In capite *octauo* non nulla habet de uſu externo aquarum *Driburgenſium.* Quem ad modum ceterae aquae minerales ad balnea adhibentur, ſic et illas ad eosdem uſus vocandas eſſe recte iudicat Cl. Auctor. Quando autem putat, aquas minerales arte calefactas prae illis, quae natura calidae ſunt, thermis ſcilicet, praerogatiuam mereri, conſentire cum Cl. Auctore minime poſſumus. Si enim reliqua omnia paria ſunt, thermae certe balnea arte calefacta virtute ſua ſpecifica ſuperabunt. Id quod, niſi nos omnia fallunt, quotidie in membris rigidis, paralyticis, et ex morbo articulari contractis ac debilibus obſeruamus: quae, ut balneis mineralibus calefactis facilius, non dicam aeque facile, ac thermis curentur ac leuentur, multum abeſt. Quae enim de volatili quodam et roborante alucinatur ſpiritu, quem in balneis calefactis melius conſeruari autumat, quam in thermis, per principia phyſica ſponte ruunt. Eo procliuiores autem

p. 239
p. 274.
p. 302.

tem nos habet ad ſuam ſententiam, quando aſſerit, in morbis chronicis balnea egregia praeſtare, et interdum ceteris remediis palmam praeripere. Reſtat diaeta, quae ab aquae potatoribus inter bibendum obſeruanda venit. Hanc in capite *nono* et ultimo exponit. Multa utilia circa res non naturales a medicis dictas, et circa varia ciborum genera hac occaſione profert. Definit quoque, quae herbae, quae radices, qui fructus e regno vegetabili admitti poſſunt. Radicem cichorii eiusque herbam ob virtutem ſalutarem et medicatam, quam illi tribuit, omnibus aliis herbaceis anteponit, et eximia de illo praedicat. Cichoreum enim tanquam ſpecificum hypochondriacis, cachecticis, hecticis et febre lenta laborantibus, quin etiam in incipiente ictero et hydrope laudat. Taxat in genere omnia flatulenta, in primis leguminoſa. Vetat quoque indiſcriminatim omnes fructus horaeos, e. g. ceraſa, fraga, rubos idaeos, mora, ribes cet. quod tamen interdictum, quicquid etiam Cl. Auctor contradicat, reſtringere mallemus. Ex multiplici enim experientia ſcimus, moderatam copiam illorum quidem fructuum qui non adeo magnam poſſident acrimoniam, ut fraga, ceraſa et rubi idaei tempore aeſtiuo et aeſtuoſiſſimis diebus circa horas veſpertinas aquarum mineralium potatoribus, qui neque ſaburram acidam in primis habent viis, neque debili infeſtantur ventriculo, non nocuiſſe, ſed ob virtutem refocillantem potius fuiſſe ſalutarem: quum horum uſum contra illis, qui acido in ventriculo laborant, ructibus continuis vexantur, ſingularemque ſentiunt ventriculi debilitatem, interdicimus atque prohibemus. Haec ſunt praecipua et memoratu digniſſima, quae in hocce offendimus opuſculo: reliqua non noua ſunt, et ab aliis mineralium aquarum ſcriptoribus paſſim iam adnotata. Icon adiecta repraeſentat oppidum *Driburgum*, fontem mineralem

p. 331.

cum teſtudine ſuperſtructa, ambulacra huic vicina, et totum tractum Driburgenſem adiacentem.

XVIII.

Diſſertatio de vaſis plantarum ſpiralibus Praeſide M. GEORGE CHRISTIAN REICHEL, Reſpondente *Carolo Chriſtiano Wagner.* Lipſ. 1758. 4. pl. 5½. tab. aen. 1.

Vaſorum in plantis aereorum praeſentia ab aliis defenſa, ab aliis vero negata impulit Noſtrum, ut experimenta quaedam circa vaſa iſta inſtitueret. Expoſitis itaque Clariſſimorum Auctorum de tracheis plantarum ſententiis, ſua tandem experimenta addit. Inter eos, qui ſedem et figuram fiſtularum ſpiralium inueſtigarunt, MALPIGHIVS et GREWIVS prae-
p. 8. cipue nominandi ſunt. Prior fiſtulas iſtas primo trachearum nomine inſigniuit earumque deſcriptionem in anatome plantarum exhibuit. Secuti ſunt eum alii in rebus phyſicis atque botanicis Celeberrimi viri. Fuerunt tamen etiam, qui trachearum in plantis praeſentiam impugnarunt, inter quos ſunt TRIVMFETTI atque WALTHERVS, hic enim aerea iſta vaſa a ſucciferis nullo modo differre aſſerit. Cl. LVDWIGIVS quidem ſpirales fiſtulas non negat, in dubio tamen relinquit, an iſtae ſoli aeri acceſſum praebeant. Experimenta vero, quae Cl. Auctor ad
p. 24. diſquirenda vaſa ſpiralia inſtituit, haec ſunt: In ligni rubri, Fernambuc dicti, decoctum vitis rami partem ſex pollices longam ita demerſit, ut liquor ille grate ruber inferiorem finem rami ad duos circiter pollices tegeret. Poſt aliquot horas puncta quaedam rubra in reſecta ſuperiori parte apparebant. Cum dubius eſſet Noſter, num per ſingularia vaſa liquor iſte adſcenderit, particulam tenuem ſectione horizontali ſepara-

ſeparatam microſcopii Luberkuhniani ope luſtrauit, atque ſolum modo circa illa loca, ubi trachearum MALPIGHII et GREWII orificia patent, corpus reticuloſum ſiue utriculoſum colore aurantio tinctum inuenit. Facta deinde alia ſectione longitudinali tenuibus lamellis corpus lignoſum diſſecuit, in quo puncta illa rubra apparebant. Vaſa itaque haec, per quae liquor iſte tinctus adſcenderat, tracheas MALPIGHII eſſe Noſter intellexit. Experim. 2. Balſa- p. 25.
minae foeminae ramum in ante dictum liquorem immerſit, ut partem inferiorem ad pollicem unum allueret. Elapſis aliquot horis in caule rami lineae rubicundae per corticem et ab apice uſque ad baſin decurrentes apparebant, imo et in coſtis foliorum veſtigia coloris rubicundi perſpicienda erant; ſeparata ſectione transuerſali particula inter corticis et medullae telam celluloſam puncta rubra deprehendit. Microſcopio particulam iſtam diſquirens, corticis contextum cellularem non mutatum, ſub hoc vero hinc inde oſtia obſeruauit, quae colore rubro tincta erant. Sectione longitudinali disiunctam particulam microſcopio luſtrauit et vaſa alia dilacerata, alia integra alia vero ita reſoluta conſpexit, ut fibrae earum ſpirae in modum contortae eſſent. Quae autem integra erant vaſa, liquorem illum rubrum vehebant. Experim. 3. Surculos et ramos variarum plantarum p. 27.
decocto rubro indidit et eadem, ac antea, obſeruauit phaenomena. Praecipue vero lignoſum roſarum corpus, quod copioſiſſimis vaſis ſpiralibus componitur, nudis oculis totum rubrum apparebat, cortex vero eiusque contextus cellularis nihil coloris rubicundi continebat. Experim. 4. Elaterii ſeu cucumeris aſinini et borraginis ramos decocto rubro immerſit. Poſt aliquot dies borraginis ramus inter corticem et medullam multa vaſa oſtendebat, quae alias flaua, hic rubra erant. Elaterii ramus ſimili modo ſe habebat. Fibrae iſtorum vaſorum ſpirae in mo-

 dum

dum contortae erant et plura ſibi inuicem adunata. Cum autem Cl. Auctor ſciendi eſſet cupidus, num quoque liquor rubicundus flores et fructus penetraſſet, pedunculum diſquiſiuit et in illo vaſa ſpiralia rubro colore tincta inuenit. Fructum deinde diſſecans, in eius media parte fila multa, quibus ſemina adhae-
p. 28. rebant, perſpexit. Experim. 5. Integram balſaminae foeminae plantam flores fructusque ferentem e terra euulſam in liquorem iſtum rubrum impoſuit, ut radices et caulis pars ad duo pollices tecta eſſent. Sequenti die cum plantam perluſtraret Noſter, a ſcapo uſque in ramorum apices ſtrias obſcure rubras, antea non obſeruatas, nudis oculis vidit. Altero die coſtas foliorum euidenter rubras inuenit. Quoniam vero planta capſulis ſeminalibus inſtructa erat, eas luſtrauit et nudis oculis ſtrias rubras deprehendere credidit, microſcopio itaque adhibito, in lamina disiuncta vaſa ſpiralia plura rubro liquore tincta perſpexit. Caſu vero cum fieret, ut flacceſcentis plantae caulem reiicere vellet, celluloſam corticis telam putredine reſolutam videbat. Deterſa hac tela lignoſas fibras remanere putabat Noſter. Secum autem cogitans, numne vaſa ſpiralia fibris lignoſis coniuncta ſint, microſcopii ope cognouit, rete illud praeter paucas fibras lignoſas ex meris fere vaſculis ſpiralibus conſtare. Experimenta haec Noſtrum confirmarunt, adeſſe vaſa ſpiralia in plantis, quae in terra creſcunt, ſed, an etiam in illis exiſtant, quae in aqua
p. 32. naſcuntur, diſquirendum erat. Itaque butomi atque arundinis plantas radicitus euulſas in liquorem rubrum immerſit, vigebant ita et arundo nouos culmos atque folia protrudebat, quae vaſa ſpiralia rubedine tincta oſtendebant, in butomi foliis ſimilia erant obſeruanda. Sed num quoque in ſeminibus earumque plantula talia vaſcula adſint; experimentum deci-
p. 34. mum fecit Cl. Auctor. Phaſeoli atque lupini ſemina in decoctum illud rubrum iniecit, eaque turgida reddita

dita diſquiſiuit atque ad plantulae ſeminalis radiculam, foliola horumque coſtas ſpiralia vaſcula penetrare conſpexit. Cum vitis ramo maiori ſtramonio et ficoide inſtituta experimenta Noſtrum de vaſculorum ſpiralium praeſentia quoque certiorem reddiderunt. Componuntur vero vaſa iſta ex fibris rotun- p. 36.
dis ſpirali tractu meantibus, in quibusdam locis fibrae iſtae arctius compreſſae ſunt, quas coarctationes Cl. Auctor primo pro valuulis habuit, attentius autem eas conſiderans, coarctationes ſolas eſſe in maioribus vaſis plerumque, in minoribus rarius deprehendendas. In omnibus plantarum partibus organicis ſpiralia haec vaſa exiſtere, ea autem non ſoli aeri patere, verum praecipua nutritionis plantarum organa eſſe, ex illis, quae accurate inſtituit experimentis, Cl. Auctor affirmat.

XIX.
Noua phyſico-medica.

Regia Scientiarum Acad. *Burdigalenſis*, de utili naturae cognitione amplificanda prae aliis bene huc uſque mereri viſa, praemia ſuperiori anno 1758 dicata, * exhibendi iterum caruit quidem opportunitate; cum voluntati ipſius non ſatisfecerint, qui ſuper propoſitis quaeſtionibus traditi fuerant, commentarii; has interim tamen ulterius inueſtigandas cupit, ideoque tribus praemiis anno ſubſecuturo 1761 diſtribuendis tres nunc ſequentes praefigit quaeſtiones: quarum prima nimirum haec erit, ut *optimus diuerſas terrarum qualitates agri culturae aptas cognoſcendi modus determinetur.* Quod in primis hanc attinet materiem, diſſertationum ipſi iam traditarum illos auctores, qui ſymbolo uſi ſunt: *Tellus eadem fert omnia* et

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. I. p. 173. et P. III. p. 542.

et *Nunc-Rara ſit*, *an ſupra morem ſit denſa*, *requiras*, nunc rogatos vult Academia, ut labores ſuos renouent eosque ipſi propoſito argumento diuerſisque finibus huc pertinentibus, magis accommodatos, reddere ſatagant:

Altera quaeſtio *lanae praeparationem* reſpicit, *nonne auxilium inueniri queat*, *quibus illa ab inſectorum*, v. c. blattae, *morſu praeſtari tuta poſſit?*

Tertia denique *corporum* concernit *elementa*, *num haec in ipſa natura ſua immutari nequeant*, *an eorum unum in naturam alterius tranſire poſſit?*

Inſuper argumenta, *de vineae deputandae ratione optima*, porro de *colenda quercu* huic, quem agimus, anno 1759 praefixa, uti et alia *de lunae in vegetabilium et animalium incrementum efficacia* ſubſecuturo anno 1760. propoſita, * dictis iam annis manere praefixa, *Ill.* eadem declarauit Academia.

Scire adhuc licet, ſub conditionibus ſatis iam cognitis, ad Praeſidem Cl. BARBOT, Acad. Secretarium vel bibliopolae P. *Brun* viduam, ante primum maii diem cuiuslibet anni, mitti vel ipſis tradi debere commentarios.

Commemoremus denique, auctorem illius commentarii *de atmoſphaerae effectibus in vegetabilium prouentum* **, cui anno 1757 ab eadem Academia adiudicatum fuerat praemium, eſſe Cl. ROBERTVM DE LIMBOVRG, Medicinae tum temporis in Academia Monſpelienſi Studioſum.

Ex illis, quas Regia Scientiarum et Artium *Toloſae* florens Academia propoſuit quaeſtionibus, de quarum praemiis quingenta pondo gallica aequantibus, certare velint viri docti, ad noſtrum haec pertinere videtur inſtitutum, quae ad annum 1760 referri debet, ut nimirum *inueſtigentur modi*, *quibus ea*,

* l. c. ibidem.

** l. c. Vol. VI. P. III. p. 542.

ea, quae in corpore humano acciderint praeter opinionem, detegi atque praeuideri, (les moyens de reconnoître les contre-coups dans le corps humain) et *quibus eorum quoque praeueniri poſſint effectus?* Commentarii ſuper hoc argumento vel latine vel gallice conſcripti tradentur ante finem menſis ianuarii eiusdem anni, quo de iis ſuum publice declarabit Academia iudicium, Cl. SAPTE, Abbati dicto, Academiae Secretario perpetuo, iis inſuper obſeruatis, quae apud Academias uſu fuere recepta. Quum ſentiendi et iudicandi libertatem cuilibet ex viris doctis concedat Academia, haec inſimul quoque declarat, ideo, quod uni prae altero palmam adiudicet commentario, ſemet ipſorum opinionibus ibi ſtabilitis ſubſcribere, easque facere ſuas, nolle.

Holmienſis Regia Scientiarum Academia in ſolemniore conuentu ſuperiore anno die quarto nouembris habito, Cl. RVDOLPH AVGVSTINVM VOGEL, Med. Doct. eiusdemque in Academia Gottingenſi Profeſſorem, Acad. Nat. Curioſ. Sodalem; in alia vero concione nuperrime, die nimirum februarii decimo, Cl. ROLANDVM MARTINVM, Anat. et Chirurgiae Profeſſorem Publ. Holmienſem, inter Socios recepit.

Vltraiectinae apud Batauos Academiae ſub exitum ſuperioris anni 1758. die decembris viceſimo ſecundo ereptus morte fuit Vir doctus, bonus atque officioſus Cl. EVERARDVS IACOBVS VAN WACHENDORFF, Med. Doct. eiusdemque et Botan. et Chemiae Prof. Ord. anno aetatis quinquageſimo ſexto.

Respublica porro *Gedanenſis* magnam fecit nuper iacturam in Viro Cl. IACOBO THEODORO KLEIN, ciuitatis illius Secretario, qui die viceſimo ſeptimo

ſeptimo februarii aetatis annum ſeptuageſimum ſextum conſecutus, obiit *Gedani*.

Gottingenſis tandem Academia nuperrime die ſexto menſis aprilis nimis praematura morte amiſit V. Cl. IOAN. GODOFRED. ZINN, Med. Doct. eiusdemque et Botan. Prof. P. Ord. qui triceſimo et ſecundo aetatis ſuae anno febre hectica extinctus fuit. Quantum ab ipſius ſcientia, ſtudio et induſtria expectari adhuc potuerit orbis eruditus, vel ex iis ſatis iam apparet ſpeciminibus, quorum plus ſimplici vice in Commentariis noſtris mentionem cum laude faciundi habuimus occaſionem.

Typis haec, quae ſcripſimus, iam iam tradituri *Taurino* publice relatum legimus inſtitutum aliquod hiſtoriae naturalis incremento inſigniter utile futurum, quod ideo lectoribus noſtris paulo diutius detinere non liceret. Sereniſſimus enim Sardiniae Rex, ſcientiarum amantiſſimus, ut hiſtoriam adiuuet naturalem, Cl. Virum, VITALIANO DONATI, Med. Doct. Botanices et Hiſtoriae Naturalis in Acad. Taurinenſi publice conſtitutum Profeſſorem, Londin. et Holmienſis Scientt. Acadd. Socium, egregio in primis opere ante paucos annos edito *, inter viros doctos clarum factum, Aegyptum, Arabiam, Perſiam Indiamque Orientalem peragrare iuſſit, ut, quidquid ibi natura proferat, vel utile, vel rarum atque virorum naturae inueſtigandae curioſorum attentione dignum, annotet, examinet, omnique data opera de-

* Della ſtoria naturale marina dell' Adriatico. Saggio del Signor Dottore VITALIANO DONATI: giuntavi una lettera del Signor Dottore LIONARDO SESLER: Intorno ad un nuovo Genere di Piante Terreſtri. In Venezia MDCCL. 4. mai. c. f. Germanice prodiit hic liber 1753. Halae Magdeburgicae.

deſcribat atque delineanda curet, quaecunque demum ipſi obuenerint notatu digna, ſiue ſint animalia, plantae, mineralia, ſiue caeteroquin ſingularia. Selectam trium iuuenum manum eiusdem ſcientiae cupidorum ſtudioſorumque, qui ſcholis huius ſui praeceptoris huc uſque interfuerunt, ut ipſum in docto nunc itinere adiuuent, comitem ipſi adiecit Prudentiſſimus Rex, ita, ut multa inde eaque egregia in naturae cognitionem augendam redundatura ſperemus emolumenta.

Quam egregia uſusque ampliſſimi ſint inuenta, LOEWENHOEKII, SCHWAMMERDAMMII, MALPIGHII, GREWII, HOOCKII, BONANI, HILLII aliorumque doctorum virorum, naturam in minimis ſuis operibus microſcopii ope inueſtigantium, laboribus atque ſtudiis debemus; plurima tamen ſunt relicta, in quae detegenda et cognoſcenda inquirere poſſint naturalis hiſtoriae cultores. Viris his iam commemoratis, celebritatem inde nominis conſecutis, ex merito adiungimus Virum Cl. MARTINVM FROBENIVM LEDERMVLLER, cauſſarum patronum Norimbergae degentem, qui naturali quodam inſtinctu ad iucundum illud ſtudium excitatus, per plures iam annos in illud incubuit, non ſolum legendo, quae ab aliis iam fuerint detecta, ſed etiam tentando, num unus alterque ex anteceſſoribus recte obſeruauerit, quae vidiſſe dixerat, an noua inueniri poſſent? Qua re commotus ea, quae ab iis vel falſe, certe minus accurate annotata, vel ab iis nondum inueſtigata reperiebat, deſcripſit et ipſemet delineauit, accuratiſſimo huicque fini potiſſimum apto inſtructus microſcopio: illud enim compoſitum, ſolare dictum, experimentis ſuis ideo adhibere noluit, ne veri corporum examini ſubiectorum colores cum illis peregrinis ab arcu dictis, confunderentur. Quae ab initio in ſui tantum fecerat oblectamentum, ea nunc

nunc publici uſus reddere voluit ideoque dexterrimo viro, *Georgio Paulo Nuſsbiegel* tradidit, quo delineationes ab ipſo deſcriptas in aes incideret coloribusque ſuis induceret. Quo errores autem, quantum demum fieri poſſet, euitarentur, tentamina iſta ab ipſo artifice repetenda voluit, ita ut hic ipſe optimo adiutus microſcopio non delineationes ſolum, ſed ipſam quoque naturam ante oculos haberet. Operis huius, uti iucundiſſimi, ſic et utiliſſimi, edendi nuper factum fuit initium in forma, quam dicunt quartam maiorem, ſub titulo: *Microſcopiſche Augen und Gemüths-Ergözungen*, i. e. *Microſcopicae oculorum animique deliciae.* Prima, quae illius accepimus, ſpecimina ita ſe habent, ut ſpem ab Auctore factam expleant, naturaeque curioſorum ſatis facere poſſint expectationi. Figurae enim accurate et artificioſe ſunt excuſae, colores quam proxime accedunt naturalibus eosque repraeſentant, additaque explicatio non ſolum tentamen ipſum atque corporis exhibiti naturalis imaginem probe declarat, ſed et, quae ab aliis de illo iam obſeruata fuere, ſaepius ſimul continet. Illae, quas iam ante nos habemus, tabulae circulationem ſanguinis in meſenterio ranae obſeruatam, mucorem in uua aliqua repertum, viridis aeris et ſalis ſedatiui dicti cryſtallos, ſedimentum maris, vel concharum ſic dicta ſemina ſeu minima ad maris littora eiecta conchylia, pilos humanos, mucorem e iuglande nuce deſumtum, iunci medullam, ſal culinare, varia Ammonis dicta cornua littoris Ariminenſis, papilionum plumulas, ſpongiae particulam, ens veneris, filumque tandem linteum tenuiſſimum, exhibent. Ea vero ipſius prodituri operis erit ratio, ut ſingulis menſibus quatuor edantur tabulae cum una textus plagula, quarum ille erit ordo, ut ſingula vice ex quolibet ſic dicto naturae regno pars aliqua deſumta ſit, ultima vero tabula varias res artificioſa hominum manu confectas offerat,

quo diſcrimen inter naturae artisque vel maximae opera eo luculentius appareat. Vt interim ſumtibus in hoc opus impendendis par eſſe poſſit artifex, ſupra nominatus *Nuſsbiegel*, omnes, qui illud ſibi comparare cupiant, is rogat, velint vel apud ipſum *Norimbergae*, vel hic *Lipſiae* in notiſſima officina libraria *Breitkopſia*, profiteri ſua nomina et pro ſingulo penſo quatuor tabularum ſingulis menſibus euulgando vicenos ſic dictos cruciferos, qui circiter quinque groſſos ſemis aequant, in anteceſſum ſoluere: Ii vero, qui ab initio ante primi atque ſecundi editionem iuuarunt artificem, ſoluent quinidenos tantum cruciferos ſeu quatuor groſſos: Ex noſtro tamen iudicio non habebunt in poſterum quoque ſubſcripturi, cur pretii ſatis exigui leue modo reformident augmentum, quum maiori ſane pretio artificis manus haud indigna videatur.

XX.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences; Année 1753 avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſters de cette Académie. à Paris, 4. mai. c. f.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences; Année 1748; avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique, pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie. à Amſterdam, 12. c. f. Voll. 3.

Eiusdem libri annus 1749. ibid. 12. c. f.

Mémoires de l'Académie Royale de Chirurgie; Tome troiſieme. ibid. 4. mai. c f.

Recueil des pieces qui ont concouru pour le prix de l'Académie Royale de Chirurgie. Tom. II. ibid. 4 mai.

Nova Acta phyſico-medica Academiae Caeſ. Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum exhibentia Ephemerides ſiue obſeruationes hiſtoricas et experimenta a celeberrimis Germaniae et exterarum regionum viris habita et communicata, ſingulari ſtudio collecta. Tomus I. accedunt Appendix et Tab. aen. XIII. Noribergae, 4.

Neue Verſuche und Bemerkungen aus der Arzneykunſt und übrigen Gelehrſamkeit einer Geſellſchaft zu Edinburgh vorgeleſen, und von ihr herausgegeben. Als eine Fortſetzung der mediciniſchen Verſuche und Bemerkungen. Zweyter Band: aus dem Engliſchen überſetzt. Altenburg, 8. *m. K.*

De Bononienſi Scientiarum et Artium Inſtituto atque Academia Commentarii. Tomus IV. Bononiae, 4 mai. c. f.

Kongl. Svenska Vetenkaps Academiens Handlingar för Aor 1757. Vol. XVIII. Stockholm, 8 mai. c. f.

Der Königlichen Schwediſchen Akademie der Wiſſenſchaften aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik auf die Jahre 1755 *und* 1756. 17 *und* 18*ter Band. Hamburg und Leipzig.* 8 mai. *m. K.*

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et Belles Lettres Année 1755. à Berlin, 4. c. f.

Acta Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum utilium, quae Erfordiae eſt. Tomus I. Erfordiae et Gothae, 8. c. f.

Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici Tomo LI congli Indici de Tomi L della medeſima. in Venezia, 12.

Nuova Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici. Tomo III. ibid. c. f.

Memorie ſopra la Fiſica e Iſtoria naturale diverſi Valentoumini. Tom. IV. in Lucca. 8. (*Quinque hoc in Tomo continentur diſſertationes:* I. VINCENZII RICATTI Diſſertazione analitica ſopra l'integrazio-

tegrazione d'una formula algebrica per mezzo degli archi ellittici, ed iperbolici; 2. LEONARDI XIMENE'S Nuovo metodo per determinare la paralaſſe lunare, per le oſſervazioni degli eccliſſi; 3. D. PAOLI FRISI de aberratione lucis; 4. R. I. BOSCHOVICH de materiae diuiſibilitate et 5. CAROLI LINNAEI ſponſalia plantarum.)

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Derde Deel. Te Haarlem. 8 mai. c. f.

Etabliſſement d'une Société d'Agriculture, de Commerce et des Arts dans la Province de Bretagne par deliberation des Etats. à Rennes, 4.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 18 *Band.* ibid. 8. *m. K.*

Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften. 9ter Theil. Leipzig, 8. *m. K.*

Bremiſches Magazin zur Ausbreitung der Wiſſenſchaften; Naturlehre, Künſte und Tugend, mehrentheils aus den engliſchen Monathſchriften geſammlet. 1ſten Bandes drittes Stück, nebſt Regiſter zum erſten Bande. Hannover und Bremen, 8.

Fränckiſcher Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit und den damit verwandten Wiſſenſchaften. 2ter Band. Nürnberg, 8.

Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadt- wirthſchaftlichen Policey-Finanzen und Cammer-Weſen dienlichen Nachrichten etc. 150*ſtes Stück. Leipzig,* 8.

Oeconomiſche Nachrichten von 103 *bis* 108*ten Stück. Leipzig,* 8.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Abhandlungen 11 *und* 12*ter Theil, nebſt nöthigen Regiſter über den* 11 *und* 12*ten Theil. Leipzig,* 8.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Wochenſchrift, worinne das Nützlichſte aus der Natur- und Haushaltungs Wiſ-

 ſenſchaft

ſenſchaft zu finden; desgleichen was zur Beförderung des Feldbaues, der Heilungskunſt, des Cameralweſens, der Policey, der Künſte, Manufacturen und Handlung gehöret. Erſten Bandes 6tes Vierteljahr. Stuttgard, 4.

Der phyſicaliſche und oeconomiſche Patriot; oder Bemerkungen und Nachrichten aus der Naturhiſtorie, der allgemeinen Haushaltungs-Wiſſenſchaft. Des 2ten Jahres erſtes Quartal. Hamburg und Leipzig, 4.

Oeconomiſche Gedanken zu weitern Nachdenken eröfnet. Aus dem Däniſchen überſetzt von CHRISTIAN GOTTLOB MENGEL. *Schreiben eines Freundes an ſeinen Freund, betreffend die Anlegung der Fabriken in Dänemark. 2 Theile. Koppenhagen und Leipzig,* 8 mai. (LVTKENS auctor eſſe dicitur.)

Schleſiſch-oeconomiſche Sammlungen, 16, 17 *und* 18*tes Stück, nebſt Regiſter von* 9 *bis* 16*ten Stück. Breslau,* 8 mai.

Braunſchweigiſche Sammlungen von oeconomiſchen Sachen, 1 Band nebſt Regiſter. Braunſchweig, 8.

Vermiſchte Schriften aus der Natur-Wiſſenſchaft, Chymie und Arzneygelahrheit. 4, 5 *und 6tes Stück. Frankfurt,* 8.

Nordiſche Beyträge zum Wachsthum der Naturkunde, der Wiſſenſchaften und der nützlichen und ſchönen Künſte überhaupt. 1 Band, drey Theile. Altona, m. K.

Phyſicaliſche Beluſtigungen, 29 *und* 30 *Stück. Berlin,* 8.

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und Lande; oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen durch alle vier Theile der Welt. Funfzehnter Band. Leipzig, 4 mai. *m. K.*

Sammlung neuer und merkwürdiger Reiſen. 10*ter Theil. Göttingen,* 8 mai.

Collection Académique compoſée des Mémoires, Actes ou Journaux des plus celebres Académies et Socie-

Societés Littéraires Etrangeres; des Extraits des meilleurs ouvrages periodiques; des Traités particuliers et de Piéces fugitives les plus rares, concernant l'Hiſtoire naturelle, et la Botanique, la Phyſique expérimentale et la Chymie, la Médecine et l'Anatomie; traduits en François et mis en ordre par une Société des Gens des Lettres. Tome quatrieme de la partie étrangere et le premier Volume de l' Hiſtoire naturelle ſeparée. à Dijon et à Paris, 4 mai. c. f.

Mercure Danois: Juillet — — Decembr. Copenhague. (*Praeter varia variis ex ſcientiarum generibus depromta et petractata argumenta menſtruis in his libellis commentarii etiam phyſici, obſeruationesque medicae reperiuntur.*)

Allgemeine Hiſtorie der Natur nach allen ihren beſondern Theilen abgehandelt, nebſt einer Beſchreibung der Naturalienkammer Sr. Majeſt. des Königs von Frankreich. 3ten Theiles 2ter Band. Hamburg und Leipzig, 4 mai. *m. K.*

Obſeruationes circa bombyces, ſericum et moros ex antiquitatum, hiſtoriarum iuriumque penu depromtae. Tubingae, 4. (*Auctore* D. HOFFMANNO.)

La Conchyologie augmentée de la Zoomorphoſe, ou Repreſentation des animaux à coquilles, avec leurs explications. Nouvelle edition enrichie de figures deſſinées d'après nature. à Paris, 4. Vol. I. II.

La Zoomorphoſe, ou Repreſentation des animaux vivans, qui habitent les coquilles de Mer, de riviére et de terre, deſſinées d'après nature dans les Indes et pluſieurs Ports de Mer de l'Europe avec leurs explications. Seconde Partie de la Conchyologie. à Paris, 4. c. f. (*Vtriusque libri* D'ARGENVILLE *Auctor.*)

A compleat body of gardening or Eden (by IOHN HILL) London, fol. c. tab. aen.

Flora Berolinenſis i. e. *Abdruck derer Kräuter und Blumnen nach der beſten Abzeichnung der Natur, zur Beförderung der Erkenntniß des Pflanzenreichs.* Centur. II. *Berlin,* fol.

Eiusdem libri Centur. III. ibid. fol.

Jardiniére de Vincennes: nouvelle Edition augmentée. à Paris, 12. Voll. 4.

Abhandlung vom Bau und Nutzen des Türckiſchen Weizens, nebſt einem Auszuge aus Herrn KALMS *Beſchreibung vom Meyskorne; dem einige Anmerkungen beygefüget worden. Berlin,* 8.

Anmerkungen zu geſchwinderer Beförderung der Maulbeerplantagen. ibid. 8.

Der curieuſe und offenherzige Weinarzt in ſichern und unſchädlichen Mitteln, wie man den Wein ſorgfältig warten, und wenn er zu Schaden gekommen, ihm wieder zu helfen, auch einheimiſche in fremde Weine verwandeln könne, nebſt einem Anhange von etlichen hundert bewährten oeconomiſchen Kunſtſtücken. Zweyte Auflage. Frankfurt und Leipzig, 8.

Diſſertazione dell' influſſo degli Aſtri ne corpi terreſtri. à Padoue, 4.

Diſſertazioni epiſtolari in riſpoſta alle conſiderazioni del D. G. A. SANGIORGIO. Milano, 4. (*Auctoribus* IOSEPH MERLI et STEPH. BETTINI.)

Hiſtoire des Navigations aux Terres Auſtrales; Voll. 2. à Paris, 4. c. f.

Recueil de diverſes pieces ſur les Thermometres et Barometres par l'Auteur de la Methode d'un Thermometre Univerſal. à Baſel, 4 (*Auctor eſt* MICHELI DV CRET.)

Mémoires Hiſtoriques et Phyſiques ſur le Tremblemens de Terre. à la Haye, 8. (*Auctore* ELIA BERTRAND.)

Sammlung unterſchiedlicher Wiſſenſchaften und Kunſtſtücke, welche jedem Menſchen auf dem platten Lande und in der Stadt dienlich ſind. Nürnberg, 8.

Neueſte

Neueſte Geſchichte der Gelehrſamkeit in Schweden. Zweytes Stück. Roſtock, 8. (Continet etiam phyſica et medica.)

Der mediciniſchen Societät in Budiſſin Sammlungen und Abhandlungen aus allen Theilen der Arzneygelahrheit. Altenburg, 8.

Diſſertationes et quaeſtiones medicae magis celebres collectae. Lucae, 8. (*Studioſe has collegit* IOSEPHVS BENVENVTVS, *quibus etiam tractatum ſuum de hydrophobia addidit.*)

Phyſiologia of natuurkundige Ontleding van het menſchelyke Lichaam, waarin deszelfs maakſee, werking enz. verklaart wordt. Derde, Vierde, Vyfde en Zeſde Stukje. Voll. 4. te Amſterdam, 8 mai.

Hygiene dogmatico-practica rationem conſeruandae ſanitatis corporis humani cum variis artis medicae ſupplementis. Vlmae, 4.

Eſſai ſur l'uſage des Alimens, pour ſervir de commentaire aux Livres Diététiques d'Hippocrate, Tome ſecond. à Paris, 12. (*Auctore* LORRY.)

Pharmacopoea Argentoratenſis inclyti magiſtratus iuſſu reuiſa et ad uſum hodiernum accommodata a Collegio medico. Argentorati, fol.

Diſcorſi due Epiſtolari ſopra una Terra ſalina purgante di freſco ſcoperta nel Piemonte. Turin. 4. (*Commentarii prioris* BIANCHI, *alterius* VALCARENGHI *eſt Auctor.*)

Traité pratique de la Cure des Fievres. Voll. 2. à Paris, 12.

Chirurgie complette ſuivant le ſyſtême des Modernes, contenant une deſcription courte et exacte des parties du corps humain, une explication facile de ſa méchanique, une idée générale de ſes dérangemens et les moyens d'y remédier; on y à joint des medicamens ſimples et compoſes, ranges par claſſes avec les formules, les plus ordinaires.

Seconde Edition revue, corrigée et augmentée par l'Auteur. Voll. 2. 12.

Vermehrt und verbeſſerte Ordnung des Hebammen-Meiſters und ſämmtlicher Hebammen der Stadt Strasburg. Strasburg, fol.

Eines ſcharfſinnigen Chymici hinterlaſſene Gedanken von Verbeſſerung der Metallen: oder naturgegründete und experimentirte Metallurgie. Hermanſtadt, 8.

Der geſchickte und wohl erfahrne Conditor und Zuckerbecker, ſamt einer Anweiſung zum Paſteten - und Tortenbacken, zu Einmachung der Früchte, zu ordentlicher Einrichtung der Tafeln und der heutigen Art, ſie zu beſetzen, wie auch zum Trenchiren. Nürnberg, 8. *m. K.*

Chymiſcher Verſuche 2te Sammlung, mit welchen theils Gold und Silber, theils Geſundheit und ein langes Leben, theils andere nöthige nützliche und curieuſe Dinge geſuchet und öffters gefunden werden, mit nützlichen Anmerkungen. Frankfurt und Leipzig, 8.

Hiſtoire naturelle du Senegal: coquillages, avec la relation abregée d'un voyage fait en ce pais pendant les années 1745, 50, 51, 52 et 53, par Mr. ADANSON. Tom. I et II. à Paris, 4. mai. c. f.

Maladies traduites du Latin de BAGLIVI, auxquelles on a ajouté des remarques et des obſervations fondées ſur la Theorie la plus claire et la plus reçue et ſur la plus ſaine pratique; par Mr. D'AIGNON. à Paris, 12.

B. S. ALBINI tabula vaſis chyliferi, cum vena azyga, arteriis intercoſtalibus aliisque vicinis partibus. Lugdun. Bat. fol. mai.

LVD. IAC. ALEFELD Diſſ. ſiſtens obſeruationes ſelectas de aurora boreali, ſubiuncta breui theoria. Reſp. *Lud. Iac. Marſchall*, Giſſae, 4.

Stirpium praecipuarum littoris et agri Nicaeenſis enumeratio methodica; cum elencho aliquot animalium

lium eiusdem maris, a CAROLO ALLIONIO. Pariſiis, 8.

Eiusdem Oryctographiae Pedemontanae ſpecimen, exhibens corpora foſſilia terrae aduentitia. ibid. 8.

IONAS APELBLAD Reſe - Beſkrifning öfwer Pommern och Brandenboarg. Stockholm, 8.

IOH. APOSTOLOVICS Diſſ. inaug. de modo, quo adfectus animi in corpus humanum agunt, generatim. Halae, 4.

Kort berättelſe om den chineſiska Landthusholduingen af C. G. C. B. Stockholm, 8.

IOAN. FRID. BACHSTROM Obſeruationes de Scorbuti natura, indole, cauſis, ſignis et cura. Editio altera aucta et emendata. Florentiae, 8.

GOTTLIEB SAMVEL BAEVMLERS *mitleidiger Arzt, welcher lehret, wie man mit gemeinen Hausmitteln ſelbſt curiren könne. Straßburg*, 8.

STEPHANI ZAGONI BARA Diſſ. inaug. de theoria inflammationis vulgari venaeſectionem in curatione acutarum inflammationum male dirigente. Goetting. 4.

HYACINTH THEODOR BARON Quaeſt. med. an ab hygiene ſola repetenda morborum prophylaxis? Reſp. *Max. Ioſeph. Reys.* Pariſiis, 4.

Le Gentil homme Maréchal tiré de l' Anglois de Mr. IEAN BARTLET, où l'on a raſſemble tout ce, que les Auteurs les plus diſtingués ont rapportés de plus utile pour la conſervation des chevaux, et ou l' on traite fort au long de la caſtration etc. par Mr. DV PVY DEMPORTES. à Paris, 12.

Suite du Gentilhomme Maréchal contenant les moyens de conſerver la ſanté des chevaux tant en route, que dans l' Ecurie etc. Vol. I. ibid. 12,

M. IOAN. IOBI BARTSCH Epiſtola de ſtudio hiſtoriae medicinae iucundo non minus ac utili. Lipſiae, 4.

De principiis animalibus exercitationes viginti quatuor in theatro Collegii Medicorum Londinenſium habitae a GVILIELMO BATTIE. Londini, 4 mai.

Plan d'un cours de Chymie expérimentale et raiſonnée avec un diſcours hiſtorique ſur la Chymie: par M. MACQVER et M. BAVME. à Paris, 8.

Practical Reflections on the Vſes and Abuſes of Bath Waters, made from actual Experiments and Obſeruations by WILLIAM BAYLIES London, 8 mai.

Diſſertation ſur l'Aether, dans la quelle on examine les différens produits du mêlange de l'eſprit de vin, avec les acides minéraux, par M. BEAVME. à Paris, 12.

Gegründete Verſuche und Erfahrungen von der zu unſern Zeiten höchſtnöthigen Holzſaat, zum allgemeinen Beſten herausgegeben von IOHANN GOTTLOB BECKMANN. *Zweyte und viel vermehrte Auflage. Chemnitz,* 4.

ANDREAS BERCH Om Kornhus. Vpſal.

FRID. CONRAD. BERGMANN, Diſſ. inaug. de iniectionibus chirurgicis. Lipſiae, 4.

De Bagni di Piſa à pie del monte di S. Guliano, Trattato del D. GIOVANNI BIANCHI. in Firenze, 8 mai.

Lettera del Sig. Dottor GIOVANNI BIANCHI di Rimino ad un ſuo Amico ſopra d'un Gigante, che e paſſato per quella Citta. Rimin, 8.

LAMBERT. BIKKER Diſſ. inaug. de natura hominis, quae medicorum eſt. L.B. 4.

Hiſtory of the Royal Society of London. Tom. III et IV. by THOM. BIRCH. Voll. 2. London, 4 mai.

ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum uſum aſſeruantur etc. ſeu ELISABETH BLACKWELL *vermehrtes und verbeſſertes Kräuterbuch bis 422 Blat; illuminirt. Nürnberg,* fol. mai. (*Prodiit etiam hoc*

anno

anno Inſcriptio centuriae tertiae, atque cum explicatio figurarum etiam ſit finita, haec Centuria nunc abſoluta eſt.)

CHRISTIAN BLASCHKE Diſſ. inaug. de virtute venenorum medicata. Viennae, 4.

GEORG. RVDOLPH BOEHMER Diſſ. inaug. de polyphago et allotriophago Wittebergenſi. Reſp. *Chriſtian. Godofr. Frenzel.* Wittebergae, 4.

Eiusd. Progr. de experimentis, quae Cl. REAVMVR ad digeſtionis modnm in variis animalibus declarandum inſtituit. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de Melocacto eiusque in cereum transformatione. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de Crocidiſmo et Carphologia, ſigno in morbis acutis plerumque lethali. Reſp. *Samuel Auguſt Wagner.* ibid. 4.

ABRAHAMI KAAV BOERHAAVE, Hiſtoria altera anatomica infantis, cuius pars corporis inferior monſtroſa. Petropoli, 4. mai c. f.

M. CHRISTIAN FRID. BOERNER, Diſſ. de niſu et reniſu ut cauſa vitae ſanae. Pars prior. Reſp. *Io Henr. Pfutſch.* Lipſ. 4.

FRANC. BOISIER (DE SAVVAGES) Diſſ. de reſpiratione difficili. Reſp. *I. Baptiſt. Alexius Pichard.* Monſpelii. 4.

IMAN. IACOB VAN DEN BOS, Spec. med. inaug. de viuis humani corporis ſolidis. Lugd. Batav. 4 mai.

G. M. BOSE Carmen, quo Sympathiam attractioni et grauitati ſubſtituit. Witteberg. 4.

Recherches et Obſervations ſur toutes les parties de l'art du Dentiſte, par M. BOVRDET. Voll. 2. à Paris, 12.

IO. GODOF. BRENDEL, Progr. Aſcaridodea Hippocratis. Gotting. 4.

Eiusd. Progr. de ſulphure aurato antimonii non vomitorio. ibid. 4.

WIL-

WILLIAM BROMFIELD Account of the Engliſh Nightſhades and their effects, adſo practical obſervations on the uſe of corroſiue ſublimate and Sarſaparilla. London, 8.

MATTHIAS BVTSCHANY de fulgure et tonitru ex phaenomenis electricis. Diſſ. prior. Götting. 4.

Eiusd. *de eodem argumento* Diſſ. poſterior. Reſp. *Philip. Iacob. Nagel.* ibid. 4.

F. B. BRÜCKMANNS *Abhandlung von Edelſteinen, nebſt einer Beſchreibung des ſo genannten Salzthaliſchen Steines. Braunſchweig*, 8.

A. E. BVECHNER Diſſ. inaug. ſiſtens nouae methodi ſurdos reddendi audientes phyſicas et medicas rationes. Reſp. *Io. Iorisſen.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febris intermittentis complicatione cum maligna, caſu quodam illuſtrata. Reſp. *Chriſt. Zachar. Rücker.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Spicilegia quaedam ad olei vini praeparationem uſumque complectens. Reſp. *Frid. Ernſt. Guttorf.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tincturis alcalinis aquoſis. Reſp. *Io. Frid. Haugh.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de difficultatibus circa promotionem haemorrhagiarum naturalium obuiis, earumque cauſſis. Reſp. *Io. Ferdinand. Tſchepe.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſudore colliquatiuo. Reſpond. *Georg. Chriſt. Schlichter.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de incongrui corporis motus inſalubritate. Reſp. *Ioan. Frid. Struenſee.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de topicorum medicamentorum abdomini illinitorum modo agendi. Reſp. *Lebe-recht Aug. Frid. Loeper.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de exacerbatione haemorrhagiarum ab intempeſtiuo adſtringentium uſu. Reſp. *Io. Gotthold Matthaei.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de deliriis vitam et mortem praeſagientibus. Reſp. *Ioach. Chriſtoph. Iuſt. Bodenburg.* ibid. 4.

A. E. BVECHNER, Diſſ. inaug. de viribus vitri Antimonii aurati ad rationes ſuas reuocatis. Reſp. *Io. Frid. Arnold Mueller.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de circumſpecto clyſterum in morbis exanthematicis uſu. Reſp. *Theod. Frid. Finger.* ibid 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de peripneumonia notha. Reſp. *Io. Gottlieb Frid. Beyer.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morborum temporibus eorumque diuerſa indicatione et prognoſi. Reſp. *Io. Carol. Boecking.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de pruriente naſo frequenti vermium indice. Reſp. *Samuel Clauſwitz.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vaſorum oſſificatione et concreſcentia ut cauſſis morborum. Reſp. *Io. Wilhelm. Merſellin.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de neceſſaria breui poſt partum ſecundinarum extractione. Reſp. *Frid. Gotthilf Rotth.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſternutationis commodis et incommodis. Reſp. *Valentin. Godofr. Schnakenberg.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de irae noxio et ſalutari effectu in corpus humanum. Reſp. *Io. Henr. Regenners.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febrium malignarum ancipiti euentu ob tubum cibarium bile et cruditatibus repletum. Reſp. *Io. Theoph. Kloſe.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de tartaro vitriolato volatili eiusque viribus medicis. Reſp. *Chriſt. Henric. Lucas.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de haemorrhagiarum artificialium praerogatiua prae naturalibus in complicatione febris ſynochae cum acuta maligna. Reſp. *Io. Chriſtoph. Schwencke.* ibid. 4.

CORN. CANISII Diſſ. inaug. de calculo in genere et praecipue renum et veſicae. Lugd. Batav. 4. mai.

HARALD CARELBERG Underrättelſe om Salpeters Ymnoga tilwäskning Jemte biſogade anmärkninger till Rikets almänna nytta. Stockholm. 8.

IO. FRID. CARTHEVSER Diſſ. de Chenopodio ambroſioide. Reſp. *Frid. Henr. Wilhelm. Martini.* Francof. ad Viadr. 4.

CARYOPHILI (BLASII) opuſculum de antiquis auri, argenti, ſtanni, aeris, ferri plumbique fodinis. Vienn. 4.

ANTON CASAMAIOR Quaeſt. med. an variis in locis tuendae ſanitati valde proficuus ventilatoris uſus? Reſp. *Ludov. Maria Girard de Villars.* Pariſ. 4.

La ſtruttura del Corpo Umano, deſcritta in verſi Toſcani d'ottava rima, come diceſi, obligata all'uſo degli Improvi artificio utiliſſimo per la memoria, opera di FRANCESCO CASELLI in Firenze. 8.

Traité des Ecroulles par M. CHARMETTON: nouvelle edition. à Lyon, 12.

LAVRENTII CLAVSSEN, Diſſ. inaug. de inteſtini duodeni ſitu et nexu. Lipſiae, 4. c. f.

CAR. CLERCK Swenska Spindlar etc. ſ. Aranei Suecici figuris et deſcriptionibus illuſtrati: (*Sermone latino et ſuecico*). Stokholm, 4. mai. c. f.

THOM. COE a Traitiſe on Biliary Concretions or Stones in the Gall Bladder and Ducts. London, 8.

EMANVEL MENDEZ DA COSTA Natural Hiſtory of Foſſils. Vol. I. P. I. London, 4.

Traité pratique ſur la goutte et ſur les moiens de guerir cette maladie par M. COSTE. à Amſterdam, 8.

HENRIC. NEPOM. CRANTZ, Commentatio de re inſtrumentaria in arte obſtetricia. Noribergae, 4.

FRANC. CYGNA, Diſſ. de electricitate, de utero et irritabilitate. Turin.

RENE DAHVRONS *vollſtändiger Gartenbau, nebſt einem Anhange von Baumbeſchneiden und von der Bienenzucht; neue vermehrte Auflage, mit Kupfern. Weimar,* 8.

LVCAS

LVCAS DEBES *natürliche und politiſche Hiſtorie der Inſul Fävöe, worinne die Luft, Grund und Boden, Gewäſſer, Thiere, Vögel, Fiſche u. ſ. w. das Naturell, die Gewohnheiten, Lebensart der Einwohner dieſer Inſeln und ihre Verfaſſung beſchrieben werden: aus dem Däniſchen überſetzt von* CHRISTIAN GOTTLOB MENGEL, *und* TORMODI TORFAEI *Fävöeſiſche Geſchichte, aus dem Lateiniſchen überſetzt, mit Kupfern. Koppenhagen*, 8.

HENR. FRID. DELIVS Diſſ. inaug. non nulla ad malum hypochondriacum ſpectantia. Reſp. *Samuel Schwarz.* Erlang, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. non nulla ad diaetam caſtrenſem. Reſp. *Tob. Gottf. Zeiſſer.* ibid. 4.

IO. DAN. DENSO *phyſikaliſche Bibliothek. 6 und 7tes Stück. Roſtock und Wiſsmar.* 8.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING Diſſ. med. I. de medicamentis quibusdam adulterationi obnoxiis. Reſp. *Petrus a Weſten.* Roſtoch. 4.

DANIEL ANDREAS DIEBOLD Diſſ. inaug. de aere in humoribus corporis humani. Argentorati, 4.

L'Eſſai de l'Hiſtoire naturelle de la Mer Adriatique par M. DONATI, avec une lettre de Mr. SESLER ſur une nouvelle Eſpece de Plante terreſtre, traduit de l'Italian. à la Haye. 4. c. f.

D. ARNOLD DVNZE, *der Herrn* WERLHOF, PALLAS, PRÖBISCH *und* HIAERNE, SVTER, CARPSER, *des Straſsburgiſchen* Collegii medici, *und des Herrn von* HALLER *Urtheile über eine Krankengeſchichte, und über einem ſtreitigen Punct des darüber verfertigten* viſi reperti. *Bremen*, 4.

Reliqua proxime.

Conten-

Contenta in hac parte.

1. Recueil periodique d'Obſervations de Médecine etc. Tom. III. p. 195.
2. VANDERMONDE Recueil periodique d'Obſervations de Medecine etc. Tom. IV. p. 210.
3. TISSOT de Febribus bilioſis ſeu Hiſt. epidemicae bilioſae Lauſanenſis an. 1755. p. 225.
4. DE HALLER ſur la Formation du coeur dans le poulet etc. Mémoire I. et II. p. 234.
5. CLAVSSEN Diſſ. de inteſtini duodeni ſitu et nexu p. 247.
6. KRATZ Diſſ. ſiſtens hiſtoriam fontis Holzenſis in Alſatia p. 248.
7. Hiſtoire et memoires de l'academie royale des Sciences de Paris. an 1753. p. 251.
8. ROESELII Hiſtoria naturalis ranarum noſtratium p. 282.
9. MEYER *Vorſtellung mancherley fremder und ſeltener Thiere* p. 297.
10. RVSSEL the Natural Hiſtory of Aleppo etc. p. 301.
11. Magazzino Toſcano Tom. I et II. p. 313.
12. GRONOVII Muſeum Ichthyologicum Tom. II. p. 322.
13. ZINN Catalogus plantarum horti academici et agri Goettingenſis p. 326.
14. MECKEL Diſſ. epiſt. de vaſis lymphaticis glandulisque conglobatis p. 336.
15. MONRO de venis lymphaticis valuuloſis et earum in primis origine p. 339.
16. V. IVSTI *Grundriß des geſammten Mineral-Reichs* p. 343.
17. ROEDDER *Beſchreibung des Driburger Geſund- und Stahlbrunnen* p. 355.
18. REICHEL Diſſ. de vaſis plantarum ſpiralibus p. 360.
19. Noua phyſico - medica p. 363.
20. Index Scriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1757. prodierunt p. 369.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VII. PARS III.

LIPSIAE. MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

De Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia Commentarii. Tomus IV. Bononiae ex typographia Laelii a Vulpe. 1757. 4 mai. alph. 2 pl. 20½. tab. aen. 24.

Cum inſtituti huius atque academiae hiſtoria a nobis ſatis ſuperque iam tradita habeatur *, nihilque ſit, quod ei addi ulterius poſſit, ad contenta huius tomi recenſenda ſtatim properamus.

Primo Ill. CAESAREM MARSILIVM anno hu- p. 3.
ius ſeculi quinquageſimo quinto inſtituti praeſidem denominatum eſſe, Cl. ZANOTTVM autem, qui academiae adhuc a ſecretis abdicare ſe decreuerat, refragante pontifice, a propoſito deſtitiſſe, deprehendimus. Dein Senatores et Profeſſores recenſentur; porro ea, quae ad architecturam militarem, phyſicam, hiſtoriam naturalem, aſtronomiam et bibliothecam pertinent, enarrantur; tum omne, quod in augmentum huius academiae ceſſit, indicatur; tandem numerum academicorum definitum nunc eſſe, reperimus: Praeter Benedictinos enim haud plures quam centum et viginti quinque, Bononienſes nimirum quinquaginta, reliqui autem exteri numerantur.

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 286.

tur. Aſt, dictitante pontifice, contra legem hanc Cll. ALEMBERTVS, SAUVAGES, MVSSCHENBROECK et CONDAMINE recepti ſunt.

p. 29. Quod ad commentarios ſpectat, de iis nihil nobis dicendum eſt. Summam enim eorum continent, quae opuſcula pertractant, quorum autem contenta ipſa a nobis nunc breuiter traduntur.

p. 1. 1) *De aquis non nullis, an vim diſſoluendi calculos habeant, experimenta* tradit Cl. VINCENTIVS MENGHINI. Exemplo aliorum et LITTRII in primis, aquas Pariſienſes examinantis, incitatus Cl. Auctor, aquas Bononienſes examini ſubiecit, atque eo quidem fine, ut comperiret, num quaedam ſint, quae calculos in humano corpore ſoluant. Eam igitur ob cauſam, non nullas in tractu Bononienſi ſcaturientes aquas adhibuit et experimenta cum his et calculis inſtituit. Cum autem non unius generis calculos, ſed hos ipſos, ratione duritiei et materiae, diuerſos omnino animaduerterit, quintuplicem hinc calculorum differentiam conſtituit, eosque marmoreos, lateritios, tophaceos, gypſeos et arenarios, ob ſimilitudinem, quam habent cum lapidibus vulgo nominatis, appellauit.

p. 4. Vt autem experimenta rite inſtituerentur, calculos, examini ſubiiciendos, prius ponderauit, dein aquas explorauit, porro durationem infuſionis ſingulorum calculorum in aquis ſingulis annotauit, tandem quicquid, experimentis peractis, et in aqua et in calculo mutatum reperit, obſeruauit. In primis autem de duabus aquis putealibus, quibus Bononienſes quotidie utuntur, perhibet, eas inſignem calculos in ipſo corpore ſoluendi vim habere, lapidumque materiem comminutam per urinae vias educere. Hanc rem aegrotis aliquot, calculo laborantibus, hasque aquas continuo uſurpantibus, confirmat. Sub finem huius diſſertationis tabulae deprehenduntur,

tur, quae experimenta cum calculis et aquis ſuſcepta ſiſtunt.

2) DOMINICI GVSMANI GALEATII *de morbis duobus obſeruationes.* De priori morbo ſequentia notamus. Vir quidam, per multum tempus ſanus, mutato vitae genere, motui nimirum et equitationi aſſuetus, vitae ſedentariae ſe dicat; paulo poſt dolore cardialgico et periculoſo cruciatur, remediis tamen adhibitis liberatur quidem, ſed a priſtina ſanitatis incolumitate corporisque robore longe alienus. Ab eo tempore omni fere anno per plures ſeptimanas et quidem ſaepiſſime doloribus iisdem affligitur, ita tamen, ut interdum maior, interdum minor eorum impetus obſeruari potuerit. Dolores iſti, ſi ventriculi orificium ſuperius occuparunt, acutiores ſummaque virium proſtratione et vomitu iuncti, ſed rariores exſtiterunt, ſin vero dextrum hypochondrium occuparunt, obtuſiores quidem, ſed frequentiores fuerunt. Doloribus diu durantibus luteo ſaepe colore tinctus apparuit aeger, cibum abhorruit, aluique tunc etiam obſtructione aut ſtipticitate laborauit, flauamque in ſuper et parcam emiſit urinam. His, nimirum doloribus, diu durantibus ſaepe febrem iunctam obſeruarunt, quae vero nunquam diu durauit, uno vel altero die elapſo ut plurimum ceſſans, ſaepius tamen recurrens tertianae ſimilis paroxyſmos habuit. Aegrum praeterea affectione iſchiadica paucos ante mortem menſes vexatum tribusque ante obitum annis febre lethargica inſolita ad mortem fere eum perducente, decubuiſſe, ultimis autem annis doloribus iſtis abdominalibus liberum prorſus iſtum fuiſſe, Noſter perhibet. His igitur aerumnis ultra triginta annos afflictus vitam duxit, uno anno plus, altero ſaepe minus ita excruciatus. In ſtadio demum vitae ultimo moleſto dolore ad ſterni finem circa cordis ſcrobiculum exiſtente, ſeque ab hoc loco p. 26.

 per

per totum pectus diffundente correptus fuit, quo quidem per aliquot dies remittente, eo tamen iterum afflictus ſubito demum periit. Corpore aperto viſceribusque thoracis diſquiſitis, dextrum pulmonum lobum pleurae valde adhaerentem, inque huius et ſiniſtri pariter lobi parte poſteriori leuem inflammationem reperit. Cauo pectoris ulterius examinato nihil praeter naturam, at pericardium tamen valde tumidum tertiamque pectoris caui partem occupans viſum fuit, quo perforato ſanguinis ſeri copia exiit, duaeque inſimul ſanguinis craſſi et concreti librae, in fundo pericardii haerentes, apparuerunt. Corde hinc examinato nihil morboſi, niſi leuem quandam protuberantiam in exteriori ventriculi ſiniſtri pariete ſitam, inque ea ſciſſuram, vix duarum linearum pariſienſium longitudine, repererunt, per quam ſpecillus immiſſus commode in ventriculi cauum introduci potuit. In abdomine veſicula fellea, ſolita maior, viſcida bile turgens quinque aut ſex calculos nigros continuit, atque, quod maxime hic notandum, inter duodenum et pancreatis baſin ſacculus quidam, oui gallinacei magnitudinem aequans apparuit. Hunc ſacculum nihil aliud, niſi eam pancreatis partem, ubi ductus choledochus inſeritur, et incedit, antequam intra pancreatis ductum ingrediatur, ſcirrhoſam factam fuiſſe, Noſter arbitratur. Reperit praeterea in hoc ſacco viginti circiter calculos, qui autem nec aquae innatantes nec flammam concipientes fundum petierunt. Praeter hepar paulo induratum nihil praeternaturale de reliquo obſeruauit.

p. 35. Alter morbus diarrhoea fuit pertinax. Hac enim per ſeptem menſes laborauit ſexagenarius, ita, ut remediis cunctis tam lenioribus purgantibus, quam roborantibus imo et adſtringentibus in caſſum exhibitis aeger tandem inter dolores et tormina obierit. Materies, quae exiit faeculenta, liquida ſemper fuit et foetens, coloris obſcuri atram bilem ſaepe referen-

tis,

tis. Interdum etiam ſanguis ſincerus iisdem remixtus fuit, quem autem ex haemorrhoidalibus vaſis proueniſſe, Noſter autumat. Corpore poſt mortem examinato abdomen inflatum et turgidum atque integumentis remotis ſtatim materiem foetidam fluidam valde copioſam proſiluiſſe annotauit. In cauſam igitur huius praeter naturam collecti liquoris inquirens Noſter, et omnia inde viſcera examinans, foramen, apicem minimi digiti admittens, in duodeno reperit, et praeter leuem inflammationem, inteſtina tenuia occupantem hepatisque membranam externam inſigni nigredine conſpicuam, nihil praeternaturale in reliquis totius corporis viſceribus obſeruauit.

Sub finem huius diſſertationis, ea, quae breuiter de his morbis meditatus eſt Noſter, ſubnexuit, quae autem, ne mimis longi ſimus, omittimus.

3) IOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI p. 44. *de numiſmatis quibusdam gallicis, quae* TITHONVS DV TILLET *Academiae miſerat ad* FRANCISCVM MARIAM ZANOTTVM, *epiſtola.*

4) FERDINANDI BASSI *exiguarum quarundam madreporarum agri bononienſis* deſcriptio. Quas p. 49. neque inter marinas nec inter foſſiles conchas deſcriptas eſſe, Noſter putat, quasue inter ſedimentum arenoſum, ab aquis turgentibus in agrum bononienſem demiſſum, reperit madreporas, harum duas nunc deſcribit ſpecies, quarum priorem ob internam et externam ſtructuram *Madreporam orbicularem aſteriformem eleganter cancellatam*, poſteriorem autem *Madreporam orbicularem leuiter radiatam et elegantiſſime cancellatam* nominat, figuramque de iis exhibet. His aliam quandam ſpeciem addidit, et figura illuſtrauit, quam, licet in memorato agro non reperta ſit, ob ſimilitudinem tamen breuibus hic deſcribere non dubitauit. Hanc *Madreporam orbicularem fungi*

pileolum reticulatum referentem appellat, eamque in agro Auguſtae Taurinorum repertam eſſe, perhibet. Madreporas has, quae ob exiguitatem nudis oculis a ſe inuicem diſcerni vix poſſunt, non ad petrefactorum claſſem ſed ad foſſilia marina, impetu quodam in terram delata, referendas eſſe, Noſter aſſerit. Cumque ad probandam hanc ſententiam ſtrata terrae denuo diſquiſiuerit, et madreporarum quarundam fragmenta tunc inſimul detexerit, haec etiam prius deſcriptis integris adiungere digna cenſuit. Tres igitur earum ſpecies deſcribuntur et figuris illuſtrantur, quarum primam quarta figura delineatam, *Madreporam complanatam eſcarae fragmentum referentem*; ſecundam figura quinta depictam, *Madreporam teretis lithophyti fruſtum referentis*, tandemque tertiam, figura ſexta repraeſentatam, *Madreporam teretem crebris cellulis alternatim diſpoſitis praeditam* appellat.

p. 61. 5) LAVRAE BASSIAE diſſertatio *de problemate quodam hydrometrico.*

p. 74. 6) Eiusdem diſſertatio *de problemate quodam mechanico.*

p. 80. 7) THOMAE LAGHII *de animalium in aere interclusorum interitu.* Quaeritur nimirum, *num coniectum animal in aerem, vaſe interclusum, ſtatim ab admota flamma eaque extincta breui quoque interiret, ut in mephiti?* Ad quaeſtionem hanc dirimendam ſequens inſtituit experimentum. Adhibuit nempe vas vitreum cylindricum, altitudinis duorum pedum pariſienſium, cui intus circulum plumbeum, parieti vitri interiori exacte reſpondentem inque medio foramine donatum, adiecit. In iſtud vas, duabus cauitatibus nunc inſtructum et inferius aqua cinctum, ſuperius autem operculo metallico tectum, candelam unam aut plures nec non animalia, haecque quidem in ſuperiorem,

periorem, candelas autem in inferiorem cauitatem immiſit, ita tamen, ut foramen circuli plumbei eo tempore, dum candela ardebat, inſtrumento quodam apto clauſum fuerit. Flamma dein extincta, vaporibus aditus ad animalis ſedem conceſſus fuit, quo facto ſequentem experimentorum ſummam exhibet: *Multiplex*, inquit, *flamma citius animalibus obeſt, vitamque adimit, quam unica, modo ſingulae candelae aeque ardeant; mitto tempus, quo viuitur, non ſemper eſſe in ratione reciproca numeri candelarum; bene vero ſtatuo ſingularum auium moriendi modum eundem fore: difficilis nimirum et crebra reſpiratio, virium imbecillitas, ſpiritus demum magnus et rarus eas male habent; tum inſtante morte parua et rara euadit reſpiratio; tandem his aegrotationibus confectae pereunt omnes.* Haec notans dein oſtendit, animalia cuncta in vaſe quodam intercluſa, aut praeſente aut abſente candela, eadem ſemper mori ratione. Thoracis enim viſceribus diſquiſitis, pulmones paululum rubentes, vaſa maiora prope cor, hocque ipſum praeter modum tumentia, reliqua vero viſcera ſana reperit. At, cum a plantarum, vitro etiam intercluſarum, halitibus mutationes, forte oriundas, experiri conſultum duxerit, plantas ea propter una cum animalibus vitro incluſit haecque crebra et difficili reſpiratione pariter ac ea, quae abſque plantis vitro incluſa fuere, afflicta et ſub iisdem prope modum anguſtiis periiſſe obſeruauit. Ex hiſce itaque experimentis Cl. Auctor colligit, latente illo et arcano in aere principio, quod flammam nutrit, hanc magis quam animalia indigere, licet et haec poſt aliquot horas perierint. Cum deinde animalia tam naturali et ſimplici quam halitibus extinctae flammae infecto aere intercluſa eadem penitus ratione perire obſeruauerit, inde mephitim nullam eſſe animalia interimentem concludit. Eas enim exhalationes mephiticas, in locis quibusdam obſeruandas, aliter ſe habere, et neruos in primis

p. 82.

 afficere

afficere veternumque inducere aſſerit, minime tamen negans, flammae extinctae plantarumque vaporibus, intra vitrum diſperſis, angorem tantum augeri mortemque accelerari. Haec igitur obſeruans ultro affirmat, aerem ab animali incluſo reſpirante mutari, illiusque intermixtum pabulum ſenſim ab animali abſorberi, ita, ut ad conſeruandam vitam plane ineptus demum fiat aer. Tandem cum, animalibus mortuis, barometrum ſurſum ferri viderit, nouum igitur e putreſcentibus carnibus aerem gigni et exſolui concludit.

p. 90. 8) PETRONII MATTEVCII *animaduerſiones quaedam pro minimo, quod in aequilibrio virium inuenitur iuxta diſtantiarum functionem quamlibet attrahentium.*

p. 98. 9) IOANNIS BACIALLINI *tractatio de fluminum cataractis.*

p. 106. 10) FRANCISCI VANDELLI *diſſertatio de puluere pyrio.* In cauſam nimirum inquirit, unde paruae quantitati pulueris pyrii tanta inſit vis. Cum itaque puluerem hunc ex nitro, ſulphure communi, carbone, aere et aqua compoſitum perpenderit, aeremque denſatum in efformatione pulueris huius coercitum compreſſumque eſſe repererit, inde igitur puluere hoc accenſo aeris condenſati vincula rumpi, huiusque elaſticitatem igne agitato augeri oſtendit, ſtupendasque hinc a ſola aeris elaſticitate dependere effectus aſſerit.

p. 120. 11) THOMAE LAGHII *de perficienda iniectionum anatomicarum methodo*, diſſertatio. Vt iniectiones anatomicae rite perfici poſſint, tria inde momenta attendenda eſſe, Noſter praecipit. Primo itaque inſtrumentum ad liquorem in vaſa promte propellendum

dum adaptari, dein partem, inieɛtioni deſtinatam rite praeparari, tandem materiem, inieɛtioni aptiſſimam deligi, iubet.

Quod ad inſtrumentum pertinet, illud a Cl. MONRO uſurpatum laudat quidem, quaedam tamen in eo conſtruendo mutauit. Loco enim tubuli recurui, ſiphonis extremo inſerti, tubulum reɛtum et lateraliter ex ſiphonis extremo egredientem laudat, huncque, ne materies inieɛta regrediatur, non valuula, ſed epiſtomio adaptato claudit. p. 121.

Ad partem praeparandam tepidam aquam, vaſa eluentem, macerationi, Cl. MONRO uſitatae, anteponit, eamque non ſolum vaſa ab intus haerente ſanguine ſufficienter liberare ſed et hac ipſa ramulos laterales, filo dein conſtringendos detegi, ſicque, ne materies inieɛta per hos alias propulſa egrediatur, impediri perhibet. p. 122.

Ad inieɛtionis materiem quod ſpeɛtat, primo Auɛtor eam ex glutine, aqua ſoluto, parauit, et vaſis iniecit. Licet autem talis inieɛtio a Cl. MONRO non laudata fuerit, Noſter tamen eam laudat, ita tamen, ut tum adhiberi velit, ſi partes ſtatim diſſeɛtioni ſubiiciendae ſint, alias autem cum Cl. MONRO conſentit, illamque, ſi partes diu aſſeruari debeant, reiicit. Tunc enim tempore protraɛto gluten ſenſim exſiccari, vaſa in anguſtum redigi, et viſum hinc effugere eodem modo, ut Cl. MONRO, annotauit. Vt itaque vaſa inieɛta diu ita perſtent, Cl. MONRO ad replenda vaſa minima oleo terebinthinae colorato uſus eſt, hacque inieɛtione peraɛta craſſiorem ex cera, oleo oliuarum et terebinthinae paratam maſſam in maiora vaſa iniecit. Haec Noſter perpendens methodum a Cl. MONRO uſitatam non quidem reiicit, oleum vero nucum expreſſum inieɛtum illi praeſtare, perhibet. Id enim non ſolum profundius penetrare, ſed et ſenſim paullatimque indurari, eoque vaſa in conſpeɛtum venire, affirmat. Notat praeterea craſ- p. 124.

ſiori

ſiori iniectione ceracea non opus eſſe, ſi cum oleo nucum ceruſſa coniungeretur. Hanc enim, cum dicto oleo mixtam, calore ſolis ſenſim indurari, dicit. Cum vero et talis materies non niſi tempore protracto induretur, atque ſaepe cunctari non liceat, aliam hinc materiem ex reſinae aqua cum maſtiche mixta adhibet. Sub aqua reſinae intelligit illud oleum, quod ex recenti pini ſylueſtris reſina deſtillatur. Iſtam igitur aquam ſeu oleum cum maſtiche plus minus mixtum optime vaſa replere et indurare, huiusque iniectionis craſſitiem ope maſtichis vel augeri vel imminui poſſe, prout nempe vaſa vel maiora vel minora replenda ſint, autumat.

p. 133. 12) IACOBI BLANCANI *de quibusdam animalium exuuiis lapidefactis* breuis diſſertatio. Deſcribuntur nimirum ingentia vertebrarum et coſtae cuiusdam fruſta in agro Bononienſi reperta et lapidefacta. Ex magnitudine iſta iugentis animalis et forſan ceti aut canis carcariae partes fuiſſe, Cl. Auctor colligit, atque, ut alii de his iudicent, cuinam animali accenſeri vere poſſint, tabulas ea propter delineandas curauit, et adiecit.

p. 139. 13) VINCENTII RICCATI *de motibus liberis et curuilineis in vacuo* commentatio.

p. 199. 14) VINCENTII MENGHINI diſſertatio *de camphora in curationibus adhibenda.* Vt de effectibus camphorae in animalium corporibus certior redderetur Noſter, varia igitur experimenta cum animalibus inſtituit. Camphoram inde et auibus et quadrupedibus et aquatilibus exhibuit, atque varia hinc in variis animalibus phaenomena notauit. Ita enim ſtatim poſt aſſumtionem non nulla blando ſomno, alia profundo affecta, alia rurſus in furorem acta, aliaque temulenta obſeruauit. In non nullis etiam vomitum,

in

in aliis alui deiectionem urinaeque profluuium, in quibusdam etiam ſingultum et anxietatem, quid? quod in aliis miram neruorum diſtenſionem et epilepſiam deprehendit, non nulla tandem, variis ſymptomatibus praegreſſis, periiſſe, narrat. Ex his itaque concludit, camphoram, cum, ſtatim ac aſſumta fuerit, actionem exerceret, ſumme actiuam eſſe neque opus habere, ut per lactea vaſorum oſcula ſanguinem ingrediatur. Porro, cum tam ſubito in corpus agere ea viſa ſit, citum inde, ſi in hominibus bonam opem praeſtare valeret, leuamen eſſe expectandum, ſtatuit. Tandem cum digeſtio in brutis, camphora aſſumta, impedita prorſus fuerit, atque alimenta diu indigeſta in eorum ventriculis perſtiterint, Noſter ideo iis, qui ventriculi imbecillitate laborant, vel camphora parcius uti ſuadet, vel interdicit.

15) THOMAE LAGHII *de inſenſibilitate atque irritabilitate Halleriana* epiſtola. In hac, quam ad Cl. POZZI dedit Noſter, enarrat experimenta, quae hanc ob cauſam inſtituit. Tendinem nimirum in agno pupugit, huncque doloris ſenſum dediſſe, perhibet. Pleuram deinde, peritonaeum et arterias diſquiſitioni ſubiecit, haſque partes dolentes deprehendit. Tandem in duram matrem inquirens, eam etiam ſenſibilem reperit. p. 208.

Ad irritabilitatem quod ſpectat, Noſter etiam tentamina fecit, hancque in muſculis, ſiue tendini adhaereant nec ne, ſtimulo quouis excitari, cor autem irritabile omnino eſſe, motumque eius non a ſanguine propulſo dependere, ſtatuit. Impediuit enim ſanguinis acceſſum ad cor, idque tamen pulſare vidit. p. 214.

Ex his itaque colligit, tendines neruis eſſe prae ditos, quos autem, diu vexatos, dolori quaſi aſſueſcere, hincque ſenſum nullum obſeruari, putat. Irritabi- p. 215.

ritabilitatis vero cauſam, num in glutine quaerenda ſit, Cl. Auctor dubitat, eam potius neruorum fluido adſcribens. Licet enim reſectis neruis cor palpitare non neget, cauſam tamen in neruis quaerit. Spiritus namque in fibris cordis adhuc hoſpitari, hincque his irritatis, motum cordis excitari, coniicit. His tabulas adiecit, quibus neruos ad tendines et meningem tendentes illuſtrare putat.

p. 219. 16) EVSTACHII ZANOTTI diſſertatio *de vi percuſſionis.*

p. 233. 17) EIVSDEM *de vi elaſtica* diſſertatio.

p. 242. 18) IOHANNIS ANTONII ANDREAE CASTELVETRI *de quadam generali numerorum proprietate* commentatio.

p. 260. 19) VINCENTII MENGHINI Experimenta *de largo et diuturno cremoris tartari uſu ad hydropiſin ſummopere utili.* Hydropicorum ope cremoris tartari curatorum hiſtorias perlegentes non ſolum hydropem aſciten, ſed et illam hydropis ſpeciem, quam *ἀνασάρκα* vocant, quid? quod omnis hydropis ſpecies a variis diuerſisque cauſis ortas ſolo tartari cremoris uſu diuturno debellatas eſſe, atque eos etiam aegrotantes, una cum hydrope aliis inſimul morbis afflictos, eodem hoc reſtitutos deprehendimus. Atque, ſi quid proficere debeat iſtud laudatum remedium, uſus proinde diuturnus, largaque eiusdem doſis requiritur. Ita pluribus aegrotantibus omni die adminimum unciam dimidiam dicti cremoris propinauit Noſter, diuque eum continuauit, uſque dum largum urinae profluuium obſeruari potuerit. Largiori enim urinae fluxu excitato pleroſque hydropicos curatos fuiſſe, aſt in aliis tamen, et alui deiectiones inſimul acceſſiſſe, notat. Propriis itaque aliorumque

que medentium experientiis Noſter confirmatus, uſum cremoris tartari in hydrope magni quidem facit, aſt conſiderate inſimul monet, eandem et huius remedii eſſe ſortem, quam alia et efficaciſſima quidem remedia experiuntur. Dicit enim, huic remedio etiam ſuos eſſe limites, ultra quos eius efficacia extendi haud poſſit. Inde iſtud ceu uniuerſale et in omni hydrope quaſi unicum ſemperque proficuum et ſalutare commendare Noſter non cupit, laudat tamen iſtud, et, licet ſint, qui eo remedio uſi obierunt, tamen eosdem eo omnino leuatos fuiſſe affirmat, hincque in omni hydrope iſtud tentandum atque ob copioſos, quos praeſtitit, effectus ſalutares commendandum eſſe, arbitratur.

20) FERDINANDI BASSI *iter ad alpes.* Iter hoc faciens Noſter primo narrat, qualem gradum caloris in Porectanis thermis obſeruauerit. Reaumuriano nimirum thermometro immiſſo mercurium anno 1753. ad gradum viceſimum tertium, anno autem 1754. ad viceſimum quartum cum dimidio, eoque profundius immiſſo ad triceſimum, anno autem antecedente ad viceſimum octauum gradum aſcendiſſe, atque aquarum vapores, face accenſa admota flammam concepiſſe perhibet. Aquis his exploratis Capugnari et Caſtelluccii montes aſcendit, inque illis varie coloratas cryſtallos reperit, quarum maiores obſcuriores, minores vero nitidiores purioresque fuere, et ita fulgentes, ut adamantes aemulatae ſint. Poſthac in locum quemdam, viſui iucundiſſimum, et a monticolis *Piella* nuncupatum ſe contulit, ubi varias plantas deprehendit, quarum non nullas deſcripſit et delineandas curauit. Tabula nimirum 1 figura 1. *Rapunculus alpinus coeruleus anguſto raro ſubinde dentato folio*; eiusdemque tabulae figura 2. *Rapunculus folio oblongo ſpica orbiculari C. B. Pin.* repraeſentatur. Tabula 2 exhibet *Verbaſcum,*

p. 286.

ſcum, quod a Cl. MICHELIO *Verbaſcum alpinum nigrum ſclareae foliis flore luteo paruo ſtaminibus cum apicibus croceis et lanugine purpurea tectis* inſcribitur, a Noſtro autem *Verbaſcum alpinum ſclareae indicae foliis* appellatur. Tabula 3 figura 1 *Hypericum alpinum humilius magno flore punctato*, a TOVRNEFORTIO deſcriptum; eiusdemque tabulae figura 2 *Linaria alpina tetraphylla floribus violaceis paruis* a MICHELIO ita nominata repraeſentatur.

p. 298. 21) GREGORII CASALII *de conicarum ſectionum focis* diſſertatio.

p. 311. 22) EVSTACHII ZANOTTI obſeruationes *aſtronomicae in bononienſi ſpeculo habitae annis* 1751. 1752. *ad inueſtigandas Lunae Martis et Veneris parallaxes.*

p. 330. 23) CAIETANI MONTII *deſcriptio oui ſerpentiformis.* In ouo nimirum gallinaceo ſingularem iſtam figuram videre Cl. Auctori contigit. Intra teſtas enim et membranam interiorem haeſit vermiculus, ita, ut oui albumine, vitello et membranis remotis iſte cum teſta concretus et cruſta lapidea obductus apparuerit. Hic etiam externe conſpici potuit, atque ſerpentis aut potius, ut Noſter putat, lumbrici figuram repraeſentauit. In cauſam huius rei ſingularis inquirens Noſter, forte lumbricum ex inteſtinis per ouiductum, quippe qui cum inteſtinis communicat, repſiſſe, ouoque immaturo ſe circumplicaſſe, atque dein cruſta iſta teſtacea inueſtitum fuiſſe, ſtatuit. Quicquid enim alii imaginationi gallinae tribuant, veritati vix conſentaneum eſſe, Noſter putat. Ad illuſtrandam hancce ſententiam epiſtolam ſubnexuit,
p. 336. quam ad Noſtrum de angue ligneo dedit Cl. CASTELVETRI. Lignum enim obſeruatum fuit, quod perfecte anguis ſpeciem prae ſe tulit. Cuius rei cauſam ſequen-

ſequentibus dedit verbis: *Fortaſſe intra lapides ſcrobs erat ac in ſcrobe vipera et haec ibi contracta ac plexibus implicata. Fac, ut decurrens aqua, vel de ſub terra erumpens paulatim inter lapides quaquauerſus eroſerit terram, ac lapis incumbens pondere auulſus refixerit, ac viperam ibi iacentem compreſſerit; vel ſi vis ob aquas latentes, ſeu ob fluminis eroſiones, terra ſubmota ruerit, et viperam in ſcrobe dormientem lapidibus interpoſitis occiderit. Hoc naturaliter fieri potuit, et ſi factum ſupponamus, quid vetat, fieri etiam potuiſſe, ut prope ſcrobem ſalix fuerit, ſeu poſt inde germinauerit, ac radicem in foſſulam fixerit a ſcrobe relictam? Admiſſa in foueolam radice, ad formam viperae compreſſam ac a putreſcente materia veluti attracta et per typum ſerpente plexus efformari potuerunt et oppleta forma lignum creſcere et nanciſci viperae formam.*

24) GREGORII CASALII *de conicarum ſectionum* focis ſermo alter. p. 338.

25) IOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI deſcriptio *telae ex geniſtarum corticibus confectae.* Geniſtarum nimirum, quae iunceae flore luteo Botanicis audiunt, ramuſculos maturos exſiccant, dein aquis thermarum ibi ſcaturientibus immergunt, per aliquot dies macerant, poſtmodum lapillo corticem omni diligentia integrum auellunt. Ex his corticibus faſciculos formant, quos deinde ut linum tractant, tandem in fila redigunt, et ex his demum telas conficiunt, quas omni fere colorum genere infici imo et candidos ut lintea reddi poſſe, Cl. Auctor perhibet. p. 349.

26) ROGERII IOSEPHI BOSCOVICH *de litteraria expeditione per pontificiam ditionem* relatio. p. 353.

II.

ABRAHAMI KAVV BOERHAAVE, M. Doct. Anatomes et Phyſiologiae Profeſſoris, Academiae Scientiarum Petropolitanae Membri, Hiſtoria Anatomica Infantis, cuius pars corporis inferior monſtroſa. Petropoli, typis Academiae Scientiarum. 1754. 4. mai. pl. 15. tab. aen. 13.

et

EIVSDEM Hiſtoria altera Anatomica Infantis etc. ibid. 1757. 4. mai. pl. 17½. tab. aen. 11.

Cum ambo iſti libri idem argumentum pertractent, magnamque inter ſe inuicem alant ſimilitudinem, eos eapropter coniunctim hic recenſere nobis etiam placuit. Licet autem uterque unius ſubiecti hiſtoriam tradere videatur, quemlibet tamen de diuerſo ſubiecto, monſtroſe nato, conſcriptum eſſe, animaduertimus. Prior enim tractatus infantis meminit, cuius recens mortuum corpus, ad diſquirendum, Cl. Auctori traditum fuit: Poſterior vero tractatus infantis, figurae itidem monſtroſae, hiſtoriam tradit, cuius corpus per aliquot annos in ſpirituoſo liquore ſeruatum iam fuit. De utroque in genere notamus, eum tantam reſpectu figurae monſtroſae inter ſe habuiſſe conuenientiam, ut mirum ſane ſit, qui fiat, unde in rerum natura tam magna duorum, mire formatorum, corporum ſimilitudo reperiatur. Quod ad utriuſque tractatus contenta attinet, tum in hoc, tum in illo, eundem capitum ordinem ſeruauit Noſter, imo in deſcriptione partium foetus utriuſque iisdem ſaepe, ob exactam conuenientiam uſus fuit verbis, hinc et nos, niſi ſingularitas rei aliud quid poſtulet, prioris tantum ſummam, cui exacte reſpondet alter, exhibituri ſumus. Itaque utriuſque tractatus capite primo figuram externam deſcripſit

Noſter,

Noſter, cumque, quod ad priorem foetum ſpectat, de eius natiuitate, vita et morte certior factus ſit, horum eapropter breuem inſimul mentionem fecit. Capite ſecundo partium deformatarum, poſt ablata integumenta, conſpectum exhibuit. Capite tertio partium earundem oſſa capiteque quarto muſculos commemorauit. Tandem capite quinto viſcera et vaſa deformata expoſuit. Ex prioris foetus monſtroſi deſcriptione ſequentia notamus.

Prodiit iſte in Curlandia anno 1747. a capite ad p. 1.
umbilicum uſque naturaliter viſus, ab eo autem loco, quidemque paulo infra, quoad reliquum corpus, mire deformatus. Ita abdomen, infra umbilicum, verſus inferiora, ſenſim coarctatum, quaſi pyriforme apparuit. Defuerunt pubes et inguina in anteriore parte, in poſteriore autem nates quidem viſae, ſed compreſſae et planae, ſolitam figuram vix repraeſentarunt. Orificium ani nullum, atque eo in loco, ubi in puellis labia pudendi cernuntur, inciſura cutis apparuit, quae ab anterioribus circa montem veneris incipiens et poſteriora verſus deſcendens ſenſim latior facta cingulum formauit. Ex hac, inciſura nempe, appendix quaedam propendit, quae unius cruris deformis figuram repraeſentauit, idque, quod ceu pes extremus conſiderari potuit, itidem deforme nullis digitis nec ullo etiam ungue apparuit. Tota huius infantis longitudo tredecim pollicum Rhenolandicorum fuit, foetusque ipſe valde tener, iisque, qui nouem menſibus completis prodeunt, minor per viginti quatuor horas vixit, deinde obiit.

Corpore anatomice diſquiſito et integumentis p. 8.
hinc primo remotis nullam ani aperturam nec etiam genitalium protuberantiam, ſexum diſtinguentem, reperit Noſter, ob leuia tamen filamenta, per muſculos dimiſſa, ad ſequiorem ſexum foetum hunc pertinuiſſe putans. Linea alba, ſupra umbilicum naturalis, infra eundem exilior eoque in loco, ubi mu-

 ſculorum

ſculorum femoris unius origo, euanuit, multa autem in parte poſteriore, infra lumbos alias reperiunda, defecerunt.

p. 13. In oſſa inquirens Noſter, quorundam eorum naturaliter conſtitutorum deſcriptione omiſſa, coſtam primam, mobili articulo inhaerentem et productam ſenſim extenuatam, nec ad ſternum exporrectam, inter muſculos deſiuiſſe reperit; ſecundam ſuperiori ſterni parti inſertam prioris munere functam, tertiam autem et quartam, mox ubi procedunt, confluentes animaduertit, idque tamen magis in dextro quam in ſiniſtro latere euidens fuit. In ſterno ibi, ubi coſta prima inſeritur, cartilago teres, paululum exporrecta et truncata, nec extremo ſuo cohaerens apparuit, paulo aliter in dextro latere viſa, at utriuſque tamen cartilaginis extremitas in apicem acutum

p. 17. deſiit. Vertebrarum lumborum partes poſteriores oſſeae et cartilagineae inter ſe iunctae a figura et naturali coniunctione ita receſſerunt, ut lumbi dextrorſum caui, incurui ſiniſtrorſum apparuerint. Multus in deſcribendis vertebris et oſſibus innominatis hic fuit Noſter, quare nos breuiores tantum notamus,

p. 27. oſſa ilea, limbo cartilagineo cincta cum oſſe ſacro in unum confluxiſſe, peluisque cauitatem conchae formam effeciſſe, idque, quod ceu acetabulum viſum,

p. 32. ex duobus in unum concretum fuiſſe. Vnius pedis in foetu hoc reperti femoris os adfuit quidem, ſed inuerſum, nec aliter niſi muſculis adhaerens et mire

p. 34. de reliquo formatum, tres condylos habuit. Sub hoc tibiae os pari ratione inuerſum apparuit, quod itidem deformatum per tertium femoris condylum cum hoc articulatum fuit. Idem hoc os in principio latum ſenſim anguſtius factum et coarctatum in apicem tandem deſiit. Sed neque fibula nec extremi etiam pedis oſſa adfuerunt. Patella autem dextra et ſiniſtra in unum concreta inter oſſis femoris inferiorem et tibiae ſuperiorem partem locata fuit. Ex his igitur

duo

duo oſſa femoris duoque tibiae in unum coaluiſſe, et deformatam oſſium figuram hinc conſtituiſſe, congruenter coniecit Noſter.

Ad muſculos quod ſpectat, de his notamus, quod latiſſimus dorſi, ſerratus poſticus inferior, ſacro lumbalis, longiſſimus dorſi, multifidus ſpinae, intertranſuerſarii et interſpinales lumborum ob deformatas ultimae ſpinae dorſi partes ipſi inde deformes et truncati in conſpectum venerint. Cum autem appendix, quae femur conſtituit, ab anteriori et inferiori corporis parte exierit, muſculi inde abdominales praeter naturam etiam conſtituti fuerunt, ita, ut elongati, diſtorſi et ob corporis appoſiti extenſionem extenuati viſi ſint. Muſculorum femoris multi non ſolum defecerunt, ſed alii in unum quaſi ex duobus concreti, alii duplices et ad femur, ex duobus quaſi factum unum, locati aliique tandem ſitu inuerſi fuerunt. p. 38. p. 56.

Viſcera tandem et vaſa diſquirens Noſter ſequentem eorum ſtatum praeter naturam reperit. Vnica nimirum fuit arteria umbilicalis, ſolitis tamen duplo capacior et fere cylindrica. Inteſtina tenuia ſana una cum meſenterio ſub hepate in hypochondrio dextro collocata et a corpore quodam peregrino ouum gallinaceum aequante et dimidiam ſiniſtramque abdominis partem occupante eo dimota fuerunt. Corpore hoc, ventriculum, lienem et omentum occultante, remoto ventriculus compreſſus, ſurſum truſus et plane vacuus, tenuiſſimumque pariter eleuatum omentum cum liene itidem eleuato in conſpectum venit. Hepate eleuato, colon praeter naturam intortum apparuit, et, ubi in ſiniſtro latere inflexum alias deſcendit, ſaccum formauit magnum ouiformem, in apicem obtuſum et clauſum deſinentem. In ſacco hoc, colon quidem repraeſentante, nulla tamen ligamentorum veſtigia apparuere, verum a poſteriore parte proceſſus peritonaei ei adhaeſerunt. p. 65.

runt. In apice memorati ſacci collectum fuit meconium.

p. 73. In vaſis etiam aliquam diuerſitatem ſed non inſignem, in primis autem arterias emulgentes, conſueto loco egreſſas, tenues et puſillas admodum reperit. Arteria ſpermatica ſiniſtra, communi trunco ex aorta cum emulgente exiit, dextra naturaliter conſtituta. Aorta conſuetos ramos in abdomine et hic exhibens in ima pelui in duos ramos, iliacis ſimiles diuiſa fuit. Vena emulgens ſiniſtra inſignior fuit quam dextra, venaque ſpermatica ei inſerta. Pari ratione et eodem in loco, ubi aorta, etiam vena caua in duas venas iliacas diuiſa fuit, quae cum arteriis comites ad crus abierunt. Ad lumbos vena caua ramum exhibuit in duas venas diuiſum, quae iterum aſcendentes pectus intrarunt, inque medio eius rurſus coeuntes ramum inſignem, poſtea aſcendentem et venae ſubclauiae dextrae inſertum dederunt. Hic truncus venae azygos munere fungens intercoſtales venas recepit. *

p. 76. Licet genitalia externa defecerint et interna manca admodum et mutilata fuerint, foetum tamen hunc ad ſequiorem ſexum pertinuiſſe ex partibus quibusdam praeſentibus Cl. Auctor collegit. Ita ouaria et Fallopianae tubae fere naturales adfuerunt. Defuit autem uterus, pariterque vagina et veſica urinaria. Renes, a naturalibus paululum declinantes, arterias et venas emulgentes ſuſceperunt, quae non ipſam ſubſtantiam eorum penetrantes, ſed ſuperficiem externam permeantes, ramulos quosdam ad interiora ablegarunt. Nullum praeterea ureterum veſtigium, nec ullae etiam, renibus diſſectis, papillae repertae ſunt, atque ſubſtantia ipſa vaſculis intertexta ut glandula

* Si ex icone attentius conſiderata hanc venam diiudicamus, eſt ea certe azygos vena ex ſubclauia oriunda, poſtea fiſſa et iterum iuncta cum caua vena communicans.

dula fere viſa fuit. Renes tandem ſuccenturiati nulli.

Partibus his ita deſcriptis, conſectaria demum annectuntur, quorum ſumma ſequens eſt. Primo quaeritur: *An in conceptu et prima deinde conformatione omnium partium organicarum lineamenta, diſtincta, adfuerint integra, ſed poſtea a cauſa in illa violenter actuoſa, mutilata et deleta, vel in unum adacta, concreta?* Quaeſtio affirmatiue reſoluitur. Partes enim examinatae et cum ſingulis naturalibus comparatae adfuerunt quidem, ſed intortae, concretae, mutilatae et loco et figura errantes. p. 78.

Secunda quaeſtio eſt: *An ergo partes ſolidiores ad ſe inuicem applicatae, deinde compreſſione concretae et ingreſſu quaſi unius in alteram conglutinatae molliores ſibi appoſitas partes mutauerint, deformarint, concreſcere fecerint et inter illas interpoſitas mutilando compreſſerint, tandem plane deſtructas deleuerint?* Affirmatiue iterum reſpondetur et partium muſculoſarum in primis exemplo confirmatur. p. 80.

Tertia quaeſtio eſt: *An potius partes omnes iam ita diſpoſitae fuerint praeternaturales in primo ſtamine, ante et poſt conceptum, ut harum lineamenta deinde in informem figuram, ſed naturalem illis, excretae ſint?* Ad hancce quaeſtionem dubie quidem reſpondetur, ſed ad affirmatiuam inclinare videtur Noſter, idque ex eo, quod multa monſtra, ſibi inuicem exacte ſimilia reperiuntur. p. 85.

Quarta tandem quaeſtio eſt: *An ante natiuitatem et ad primam reſpirationem, in utero degente foetu partes deformatae eandem habuerint figuram et ſitum ac poſt hanc? Et an poſt natiuitatem ad mortem uſque per viginti quatuor horas in vita fuerint ſimiles, quales illae poſt mortem ſint inuentae?* Haec quaeſtio ita reſoluitur: Cum extra omne dubium ſit, reſpiratione exercitata nouas oriri mutationes, inde non incongruum etiam erit, ſi dixeris, partes quasdam deformatas p. 87.

poſt reſpirationem aliam quodam modo acquiſiuiſſe figuram et ſitum pauloque aliter eas poſt mortem quam in vita reperiundas.

De altero foetu, qui in tractatu poſteriori deſcriptus eſt, notamus, eum cum priore exacte conueniſſe, excepto eo, quod iſto maior et robuſtior atque appendicula eius deformata in hoc dextorſum inclinata et flexa ſit, cum tamen in priori ſiniſtrorſum ea flecteretur. Cum vero, foetu diſſecto et partibus eius diſquiſitis repertum fuerit, quod hicce ad exteriora cum priore conueniens etiam quoad interiora maximam partem huic itidem ſimilis apparuerit, in repetendis iſtis partibus deformatis longiores eſſe nolumus. Idem enim, quod antea commemorauimus, et hic eſſet dicendum; quod autem ad ea, quae in hoc paululum diuerſa reperit Noſter, attinet, iſta ſane haud maioris momenti exiſtimabis, ac quae quotidie in optime conſtitutis et perfecte formatis corporibus variare videris. Ex iis tamen, quae diuerſa in hoc foetu reperta ſunt, non nulla decerpere hinc inde liceat.

p. 30. Oſſa huius foetus in multis perfectiora fuerunt, quam ea, quae in priore foetu Cl. Auctor obſeruauit. In hoc enim prima coſta truncata ſternum non tetigit, inter muſculos quaſi firmata; tertia et quarta coſta utriuſque lateris concretae fuerunt, atque ſternum ſuperiori ſua parte coſtam ſecundam, loco primae, ſuſtinuit, et a dextro latere ſex tantum coſtarum cartilagines recepit. In poſteriori foetu oſſa haec pectoris et cuncta naturaliter viſa. Spina dorſi in hoc, paucis exceptis, fere perfecta, nihilque niſi in coccyge aliquid defuit, atque deformitas in oſſe ſacro viſa ab inflexione tantum dependit. In priori foetu lumbi infimi mire deformati fuerunt, imo os ſacrum et coccygis plane defuit. In utroque oſſa coxarum peluim conſtituentia, ratione deformitatis valde ſimilia inter ſe fuerunt, differentiae tamen in

ſingulo

ſingulo notabiles. Ita oſſa ilium in priori foetu in unum os continuum concreuerunt, limbo cartilagineo integro ſuperius etiam cinctum, in poſteriori autem, cum os ſacrum integrum reflexum fuerit, oſſibus igitur concreſcendis impedimento fuit. Hae et aliae minoris momenti differentiae in oſſibus obſeruatae, infantes paululum a ſe inuicem diſtinxerunt.

Ad muſculos quod attinet, iſti in poſteriori foetu p. 57. perfectiores fuerunt quam in priori; differentiae de reliquo non adeo notabiles.

Viſcera et vaſa et in hoc et in illo pene eadem p. 75. apparuerunt, excepta vena azygos, quae in poſteriori naturalis fuit.

Sed mittimus alia, ne iuſto longiores ſimus. Certum interim eſt, magnam utrumque foetum inter ſe aluiſſe conuenientiam. In utroque enim partes inferiores ſibi inuicem valde ſimiles deformatae fuerunt, a qua deformatione et alia plura in abdomine immutata ſunt. Ita enim utroque chylopoieſis imperfecta, exitus foecum nullus, nullusque pariter uterus etc.

Ex Epilogo tandem non nulla adhuc adducere li- p. 79. ceat. Cum ex cauſa eadem ſimilis oriri ſoleat effectus, mirum ſane non erit, ſi quando duo ſibi inuicem ſimilia repereris monſtra. Compreſſione enim et inuerſione partium prius facta, neceſſario ſequitur, partes alias mutari inſolitamque eas aſſumere figuram. Vterque iſte foetus monſtroſus iſtud confirmat. Differuntne autem iſti? Certe differunt quidem, et tamen ſimiles omnino manent. Ea enim differentia leuis eſt et talis, qualem v. g. in ouo cum alio ouo deprehendis. Nam impoſſibile eſt, talia in rerum natura reperire, quae in omnibus punctis exacte ſibi ſimilia ſunt; ſin autem inter plures partes detur analogia, dicendum tunc eſt, hoc vel illud corpus ſibi inuicem eſſe ſimile.

p. 81. Sed quaenam in producendis duobus ſimilibus monſtris cauſa? Ea ſane latet, aſt dicendum tamen, eam eſſe fortuitam et accidentalem.

p. 82. Vnde vero factum, ut mira adeo deformitas in inferioribus utriuſque foetus partibus ſimilis oriri potuerit? Certe, ſi perpenderis, peluim quoad ſtructuram et capacitatem mire eſſe mutatam, rationem hinc omnino in promtu habebis. Cum enim ab hac corporis parte inferiores dependeant, cum etiam intra ipſam peluim, rite conſtitutam, viſcera quaedam locentur, ſane pelui deformata non ſolum inferiores inde dependentes partes pariter deformantur, ſed non nullae etiam, intra peluim alias reperiundae, partes, ob capacitatem iſtius valde imminutam, vel imminuuntur, vel in prima ſtatim origine, reſpectu incrementi ita impediuntur, ut prorſus dein euaneſcant. Pelui igitur deformata, femur hinc deformatur, hocque deformato crus deforme euadit; cuncta autem haec oſſa, praeter naturam conſtituta, neceſſario etiam praeternaturalis ſequitur muſculorum conſtitutio.

p. 96. Sed quaeritur tandem, num cauſa quaedam ante conceptionem in tenella ſtamina, ſiue in ſemine ſiue in ouulo ea haereant, agere poſſit, numque iſta ante conceptionem iam deformentur? Negari vix poteſt. Deformatio enim in tenella vix viſibili magis quam in euoluta nec adeo tenera parte locum habere videtur. Sed unde dein creſcunt eiusmodi partes? Vix hoc explicatione indiget. Idem enim hoc, quod naturaliter fit, et ibi commode fieri tunc poteſt.

At vero finem imponimus, et cui aliqua adhuc obſcuritas ſupereſt, eum ad ipſius Cl. Auctoris libros ablegamus, et icones in primis, rem iſtam ſatis illuſtrantes commendamus.

III.

Vſus opii ſalubris et noxius, in morborum medela ſolidis et certis principiis ſuperſtructus a D. BALTHASARE LVDOVICO TRALLES, Med. Vrat. atque Acad. Caeſ. Nat. Cur. Socio. Sectio prima. Vratislauiae. Sumtibus Caroli Godofredi Meyeri. 1757. 4. alph. 2. pl. 3.

In octo capita librum hunc diuiſum deprehendimus, ita nimirum, ut primo hiſtoria generalis uſus opii et fatorum eius in praxi medica tradatur; ſecundo omnium phaenomenorum, quae opium aſſumtum in corpore humano inſequuntur, ſuccincta recenſio exhibeatur; tertio analyſis opii phyſico-chemica comperiatur; quarto primaria opii in corpus actio ex principio agente cognito per praegreſſam analyſin indagetur; quinto phaenomenorum poſt uſum opii emergentium aetiologia, ex actione opii primaria cognita in ſanguinem et neruos deducta apponatur; ſexto corporis humani diuerſus ad opium habitus conſideretur; ſeptimo correctiones opii inutiles et imaginariae enarrentur; octauo demum opii doſes ſubnectantur.

Ex ſingulis primaria momenta adducere liceat. p. 1. Hiſtoriam primo perlegentes varias de eius collectione ſententias animaduertimus. Sunt namque dicentes, lacrymam inciſo papaueris capite effluentem ſiccatam et collectam verum opium conſtituere, idque, quod ex contuſis papaueris partibus pararent, vilius pro meconio vendi. Alii aliam ſententiam fouent, et meconium vero opio haud debilius eſſe contendunt. Tandem etiam non nulli aſſerunt, iſtud in Europa collectum debilius multo eſſe orientali, quod tamen ii, qui opium methodo ab orientalibus uſitata colle-

collegerunt, falſum omnino eſſe affirmant et Europaeum iisdem plane viribus valere oſtendunt.

p. 7. His praemiſſis, laudes et vituperia opii commemorat Noſter, atque inter eos, qui opium inſigniter extollunt, HECQVETVM, qui vero de opio anxie ubique dehortantur, STAHLIVM in primis, et qui eum ſequuti ſunt, nominat.

p. 13. Papauer priſcis iam temporibus notum tutoque inter eſculenta ab hominibus receptum fuit, nullamque noxiam vim exſeruit, quod etiam noſtris temporibus varia ex papaueris ſemine praeparata edulia confirmant, hincque illa et ſuccum papaueris a capitum eiusdem plantae ſucco differre probant.

p. 15. Vires opii ſomniferae num HIPPOCRATI cognitae fuerint, ſatis quidem demonſtrari nequit, priſcis tamen temporibus ſectae in primis empiricae opium ceu tale remedium cognitum fuit, medicique tunc temporis et paulo poſt medicinam facientes eodem modo, ut noſtris temporibus factum fuit, opium vel uſurparunt laudantes, vel ceu noxium et periculoſum ex medicina exulari iuſſerunt. Verum hi non ſolum ſed et STAHLIANI adeo, licet opio infenſi fuerint, tamen philonio, mithridatio DAMOCRATIS, theriacaque ANDROMACHI, remediis vere opiatis et ob effectus ab opio tantum pendentes laudandis uſi ſunt.

p. 24. Opium PARACELSI in primis temporibus fautores reperit, frequentius ab eo tempore in morbis curandis uſitatum. Eorum igitur, qui opium non ſolum inſigniter extulere, ſed et qui caſtis debitisque laudibus iſtud proſecuti ſunt, meminit Noſter, atque quicquid de bonis opii effectibus ſtatuerint, breuiter expoſuit.

p. 33. Idem hoc, quod a multis ubique fere commendatum fuit, ſuis tamen oſoribus deſtitutum plane non eſt. Fuerunt enim ab omni aeuo, qui illud ceu venenum utcunque proſcribunt, nec ei ullum in medi-

cina

cina locum concedunt. Alii mitiorem ſententiam de eo fouentes laudarunt iſtud quidem, ſed venenum quoque, ſi intempeſtiuo uſu adhiberetur, idem inde nominarunt.

Laudibus his opii pariterque vituperiis eius adductis ipſi Cl. Auctori nunc placuit determinare, quouſque opium remedium et venenum euadat. Iſtud enim ad remediorum claſſem indiſtincte referre aut inter venena idem hoc collocare ſemper, Noſtri ſententia non eſt, arbitrantis potius, pro variis, quas ſubiecta, tempus, doſes et morbi ſuppeditant, differentiis opium vel remedium vel venenum fieri et ad neutrius inde claſſem abſolute ſemper referendum eſſe. p. 36.

Ne vero ii, qui praxin exercere ſtudent, et fautorum vel oſorum ſcripta de opio legunt, titubantes in unam hinc vel alteram ſententiam abripiantur, praecipui ea propter auctores a Noſtro adducuntur, a quibus certus opii uſus diſci vere poſſit. Commendantur itaque Viri in arte Cll SCHVLZIVS, WILLISIVS, SYDENHAM, WEDEL, PITCARNIVS, THOMSON, BORRICHIVS, RIEDLINVS, BOHNIVS, BERGER, BOERHAAVE, van SWIETEN, HOFFMANN, MEAD, PRINGLE et YOVNG; de quibus omnibus Noſter affirmat, eos caſte et caute de opio ſenſiſſe, ita, ut verus eius uſus ex eorum ſcriptis diſci omnino poſſit. p. 43.

Propius nunc ad ſcopum Noſter accedens phaenomena, opium aſſumtum in corpore ſequentia, prius recenſet, idque eo quidem fine, ut his rite expenſis certum quid et indubitatum de opio poſthac determinari poſſit. Varias ea propter experientias adducit; atque prima quidem, obſtantibus licet permultis, probare tamen annititur, *opio exhibito pulſum cordis et arteriarum adeoque omnem circuitum humorum intendi et accelerari.* Errare inde dicit, qui contrarium ſtatuunt. Deceptos enim eos putat, quod p. 49. p. 56.

opium

opium mediocri doſi exhibitum, vitali flumine celerius proiecto, languorem circuli finita ſua operatione reliquiſſe, aut perniciſſimis pulſuum ictibus praeteruiſis breui ante mortem ipſam pulſum exilem et tardum fuiſſe obſeruarunt. Cum denique tot motus exorbitantes opio conſopiantur, multos inde deceptos, idque obſeruantes nimis praecipites de pulſu etiam ita iudicaſſe arbitratur. Verum non deſunt alii, quos conſentientes habet Noſter. Ita enim PITCARNIVS, THOMSON, FREINDIVS, BERGER, BOERHAAVE, HALLERVS, BVCHNERVS, HAMBERGERVS, HEISTERVS et alii, opium multos quidem motus ſiſtere, non nullasque corpori actiones cohibere, ſed vitales ab eo omnino augeri pulſumque in primis validiorem celerioremue reddi affirmant, atque adeo ceu verum cardiacum conſiderant.

p. 67. Experientia ſecunda primam confirmat. Hac enim Noſter oſtendit, *opium calorem corporis naturalem augere.* Cum autem nullus in corpore oriatur calor, niſi velocior praegreſſus ſit humorum circuitus, primum igitur aſſertum hac obſeruatione magis confirmari, Cl. Auctor putat. Fuerunt tamen omni tempore, qui frigefacientem vim opio, aſt male, adſcripſerunt. Calidus enim opii deguſtati amaror, imo urens eius ſapor, ſubſequentesque, poſt deguſtationem, faucium inflammationes, opium non ad frigida ſed ad calidiſſima potius referendum eſſe, ſatis ſuperque docent. Vis haec opii calefaciens probatur ulterius, ſi attendamus, homines, opio aſſuetos, vino, ob defectum opii, aſſumto eadem experiri, quae ab opio, imo opium eosdem, quos vini alcohol ſalesque volatiles praeſtant, effectus exhibere, reique huius veritatem experimentis cum animalibus ipſisque hominibus inſtitutis confirmari magnorumque medicorum ſuffragiis ſuffulciri Noſter arbitratur.

Tertia

Tertia experientia Cl. Auctor ea, quae hactenus aſſeruit, ulterius confirmare ſtudet. Dicit enim, *opio, ſanguinem ab eo motum per vaſa, et calidiorem redditum, rarefieri, attenuari eiusque volumen augeri*, idque experimentis, hanc ob cauſam ab aliis inſtitutis, probat. Miſcuerunt e. g. ſanguini ex vena fluenti aliquot grana opii, tuncque ſanguinem non ſolum non coagulatum ſed fluidiorem multo obſeruarunt; imo in canibus opio prius deuorato hincque mortuis apertis vaſa inſigniter diſtenta atque ſanguinem tum arterioſum tum venoſum tenuem et rarum repererunt. p. 78.

Experientia quarta, *opio reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddi*, euincit. Haec nititur prioribus. Si enim ſanguinis circulus ab opio intenditur, reſpirationem inde difficiliorem etiam fieri, neceſſario ſequitur. p. 85.

Experientia quinta, *opio ſanguinem celerius prouolutum calidioremque et rariorem redditum copioſius determinari ad caput, probat.* Multi enim perhibent, opio aſſumto ruborem tumoremue faciei et oculorum caput graue et vertiginem obſeruari, imo canum opio paſtorum et viuentium craniis apertis vaſa cerebri turgida et ſanguine infarta repererunt, quodque alii narrarunt, propriis obſeruationibus Noſter ulterius confirmat. p. 87.

Experientia ſexta, *opium pacare animum, eumque exhilarare atque alacrem et audacem reddere*, aſſerit. Id, gentium orientalium, quae hanc ob rem opio utuntur, aliorumque etiam hominum exemplis confirmat. p. 92.

Experientia ſeptima, *opio temulentiam torporem et ebrietatem induci*, contendit. Paulo largiorem nimirum opii aſſumti doſin effectus iſti ſequuntur; cumque hi et antecedentes pari ratione a vino vel modice vel copioſe aſſumto obſeruentur, Noſter ideo, opium cum vino comparandum eſſe, autumat. p. 98.

Expe-

p. 101. Experientia octaua *opio naturale acumen ſenſus obtundi et minui, eoque praeter naturam aucto, natos dolores ſedari*, exponit. Punctos enim, quibus opium exhibitum fuit, canes vix doloris aut ſenſationis ſignum dediſſe, experimenta inſtituta probant, imo omnium, qui ad ſedandos dolores opium exhibuerunt, experientia id omnino confirmat.

p. 105. Experientia nona *opio vires, motui animali famulantes, debilitari* oſtendit. Canes enim a largiſſimis opii doſibus crura poſt ſe traxiſſe atque homines a largioribus eiusdem artuum relaxationem corporisque debilitatem ſenſiſſe, et ſomno artificiali excitatos exque lecto ſurgentes titubaſſe, obſeruarunt.

p. 110. Experientia decima, *opio ſomnum inuitari, interdum in altum ſoporem extenſum, huncque ingraueſcentem, accedente vera apoplexia et conuulſionibus necare*, probat. Prout enim opium in maiori minoriue doſi aſſumtum fuit, ſiue ergo ſomnus ſiue ſopor aut etiam apoplexia ſequitur, unde iterum opii cum vino aliisque ſpirituoſis conuenientia patet. Haec namque fluida et ſomnum et ſoporem vel apoplexiam inducunt, prout copia, qua ſumta fuerunt, ſe habet. Licet vero opium quietem inducere dictum ſit, tamen et immoderatam opii doſin tam in hominibus quam animalibus conuulſiones et mortem ſequi, multi annotarunt.

p. 120. Experientia undecima *opium dormientibus inſomnia, ab uſu autem eius in ſomnum non prolapſis, ſed vigilantibus manentibus phantaſmata et deliria parere, et non nunquam largiori vel chronico uſu inſaniam, ſtuporem, memoriae defectum, dementiam et fatuitatem poſt ſe trahere*, aſſerit. Cuncta haec multis auctorum ſuisque propriis obſeruationibus adſtruit Noſter hosque effectus non ſolum opio intus aſſumto, ſed et externe emplaſtri forma applicito obſeruari perhibet. Notat etiam, omnes iſtos effectus in iis pariter obſeruari, qui vino copioſius uſi ſepulti quaſi iacent;

quid? quod torpidos, comatoſos ſtupidosque, qui crebrius opio utuntur, pariter reddi ac illos, qui quotidie Baccho litant, Cl. Auctor demonſtrat.

Experientia duodecima *opio ſtimulos venereos in-* p. 129.
ferri oſtendit. Pollutiones enim nocturnas, priapiſmum, penisque erectionem eos, qui opio utuntur, experiri, atque Chinenſes ad excitandum ſtimulum venereum opio perſaepe uti, obſeruationes tradunt, hincque ad aphrodiſiaca iſtud referendum eſſe multi arbitrantur.

Experientia decima tertia, *opium excretionem cu-* p. 132.
taneam, diaphoreſin valide, et ut plurimum cum pruritu, mouere, ſed alias ſeroſas compeſcere aſſerit. Obſeruatum nimirum et ab aliis et a Noſtro fuit, opio aſſumto excitari ſudores, ita ſaepe, ut ii, qui uſum eius per aliquot dies continuarunt, ſudore quaſi diffluxerint. Iidem etiam, dum ab opio ſudarunt, huius odorem naribus excepere inſimulque pruritum in cute ſentientes efflorescentias etiam in cute animaduerterunt. Licet autem opio ſudor vere excitetur, alias tamen excretiones tunc imminui aut cohiberi Noſter aliique perhibent. Ita v. g. fluxiones bilioſae, pancreaticae, imo urinae excretio et in hominibus et animalibus, quibus opium datum fuit, interceptae ſunt.

Experientia decima quarta *opium functioni ventri-* p. 140.
culi inimicum eſſe, dicit. Hoc ſuo iam tempore CELSVS atque poſt eum alii quam multi obſeruarunt. Ventriculi enim inteſtinorumque tono poſt opium uſurpatum debilitato non ſolum *βραδυπεψία*, ſed et nauſea, interdum vomitus ciborumque faſtidium et diuturna famis tolerantia orta fuit. Eosdem hos effectus in canibus obſeruarunt, quid? quod canem cui opium in venam duntaxat immiſſum fuit, per tres dies omnem cibum et potum recuſaſſe notant.

Experientia decima quinta, *opio alui libertatem* p. 143.
inhiberi, aſſerit. Non ſolum enim copioſum alui fluxum eo ſiſti, ſed et opio uſurpato diu aluum ad-

ſtrictam manſiſſe, ita, ut duriſſima dein exierint ſcybala, obſeruarunt. Liceat notabilem caſum ad confirmandam hanc obſeruationem breuibus huc tranſcribere. Foeminae nimirum phthiſi conſummata laboranti, aliis remediis fruſtra exhibitis, lac ebutyratum conceſſum fuit, cuius tres quatuorue menſuras quotidie ſumſit, omni tamen die mane et veſperi opio ſimul utens. Licet autem in tali phthiſeos ſtatu fatales illae diarrhoeae alias ſaepiſſime obſeruentur, atque talis etiam, qua antea iam laborauit foemina, ob continuatum lactis uſum accedere multo magis potuiſſet, nulla tamen non ſolum obſeruata fuit, verum etiam alternis ſemper diebus foemina iſta ita indurata reddidit ſcybala, ut mannatis clyſmatibusque emollientiſſimis opus fuerit.

Hiſce itaque experientiis veros conſtantesque effectus hic annotatos communicare, alios autem caſu obuenientes et ab opio non minus, quam ab aliis obſeruandas, et minus conſtantes omittere, Cl. Auctori placuit.

p. 149. Tranſeamus ad analyſin phyſico-chemicam capite tertio deſcriptam. Cum omnes illae partes, ut ſal opii volatilis, oleum cet. quas ceu conſtitutiuas opio aſſignarunt, ſed non niſi magna ignis vi elicere potuerunt, pro vere eductis a Noſtro minime habeantur; aliam igitur, veras opii partes conſtituentes detegendi, methodum elegit, ita tamen, ut ignem quidem adhibuerit, ſed lenem talemque, qui naturalem corporis calorem vix ſuperet. Tali enim adhibito partibusque inde prolectis veram magis naturam opii innoteſcere, perſuaſus eſt.

p. 155. Inſtitutis itaque experimentis opium primo, igni expoſitum, odorem grauem exſpiraſſe, dein aquam et ſpiritum vini cum opio mixtum et alembicum tranſcendentem manifeſto opii odore imbutum fuiſſe reperit. Porro aquae cum opio decoctae paruam portionem olei, odoris grauis, innatantem, tuncque

que gummoſas ope aquae, reſinoſas autem ope ſpiritus vini extractas partes multamque inſimul terram inertem deprehendit. Tandem etiam in ſpirituoſa opii tinctura, diu aſſeruata, cryſtallos ſalinas, cum alcali efferueſcentes vidit, imo opio, aqua ſoluto, alcali admixtum motum aliquem inteſtinum excitaſſe obſeruauit.

Partes has conſtituentes effectus, gradu diuerſos p. 159. in corpore humano edere, Noſter perhibet. Ita ii, qui Philonium, Diaſcordium etc. parant, opii principio vaporoſo afficiuntur et ſomnolenti fiunt, qualem effectum et aqua deſtillata et ſpiritus abſtractitius pariter praeſtant. Porro, ſi ſubſtantiae iſtius oleoſae, ſolutioni aquoſae innatantis, vel minima portio animali exhibetur, iſtud poſt paucas horas perit. Sique opii crudi decoctum aquoſum canibus in moderata doſi datur, hi ſomnolenti fiunt, calorem ſentiunt et ſudant. Opii diu ſuper ignem toſti magna copia aſſumitur, absque eo, ut notabilis oboriatur effectus. Nullum pariter effectum praeſtat reſina, poſt decoctionem opii aquoſam, ope ſpiritus vini extracta. Illud vero reſinoſum, quod ope ſpiritus vini absque praeuia coctione ſtatim extrahitur, vehementiores multo effectus in parca etiam copia exſerit, quam extractum aquoſum. Idem illud ſpirituoſum, ſi diu cum aqua coquitur, nullum plane effectum edit, quod etiam obſeruatur, ſi gummoſum ex reſiduo poſt ſolutionem cum ſpiritu vini factam extrahitur. Cum itaque omnis opii vis et cum aqua et cum ſpiritu vini alembicum tranſcendat, et iners remaneat poſt deſtillationem reſiduum; cum porro opium diu coctum omnem vim amittat, contraque leniſſime coctum aliquam retineat; cum tandem opii volatile principium exhiberi alias haud poſſit, niſi gummoſis et reſinoſis irretitum, Noſter proinde colligit, omnium effectuum cauſam a principio opii vaporoſo et volatili dependere, idque ita comparatum eſſe,

ut aliquam omnino cum aliorum narcoticorum principio volatili analogiam alat, iis quidem natura mitius, arte tamen magis volatile, magis penetrabile magisque actiuum et vehementibus narcoticis ſimile reddi poſſit.

p. 169. Opio chemice ita diſquiſito primaria nunc eiusdem actio in corpus ex principio agente cognito indagatur. Quicquid igitur SYLVIVS et WILLISIVS de vi opii in neruos aut cerebrum agente dixerint, falſum id Noſter pronuncians et PITCARNIVM potius ſequens, primariam opii actionem ex ſanguine rarefacto dependere, ſtatuit. Cum nimirum opio volatile et elaſticum principium inſit, ita, ut calore accedente id ipſum rarefiat, cumque etiam minima opii particula has dotes retineat, ſanguinisque natura ad rarefactionem ſubeundam procliuis ſit, Noſter ideo, opium ſanguini admixtum et calore corporis agitatum non ſolum ipſum expandi, ſed et eo ipſo ſanguinem rarefacere, atque ceu fermentum in minima licet mole, omnem tamen ſanguinis maſſam mouere, colligit.

p. 175. Cum autem omnes illi effectus, quos opium producere ſolet, a ſola rarefactione non dependeant, ſaepiſſimeque prius obſeruentur, quam opium ſanguinis maſſam ingrediatur, Noſter inde, opii vapores a neruis ſuſcipi ſubitoque per corpus ob halituoſum pariter fluidum in neruis reperiundum diffundi, autumat. Quomodo autem id in neruos vel eorum fluidum agat, pronunciare non audet, idque quidem eam ob cauſam, quia et fluidi neruei natura et ſingularis iſte in opio deprehendendus principii vaporoſi rectorisque ſpiritus character nos latet.

p. 186. Aſt, cum ventriculi interior ſtructura undique neruis conſtet, inde etiam opium, ſtatim ac deſcendit illosque tetigit, in eos agit, ſuamque virtutem exercet, quae deinde longe lateque per corpus ſe diffun-

diffundit, ita tamen, ut in alia parte citius in alia tardius vis iſta deprehendi poſſit.

Licet autem opium, quam primum ventriculi p. 192. neruos tetigerit, in eos agat, iſtius tamen operatio, nec a ſola actione in neruos, nec a ſola etiam rarefactione ſanguinis, ſed ab utrisque ſimul deducenda eſt. Vix enim vaporoſum principium neruos ventriculi aggreſſum eſt, quin maſſa inſimul ſanguinis alteretur; qua propter ab utriuſque mutationibus reliquos effectus omnes deducendos eſſe Noſter cupit.

At enim vero nihil de mutatione ipſa neruorum fluidique eorum proponere Noſter auſus ad ſolam hinc rarefactionem, ut pote euidentem, reſpicit et cuncta proinde exponit. Phaenomenorum igitur, poſt uſum opii emergentium, ſecundoque capite deſcriptorum, aetiologiam ex actione opii primaria cognita in ſanguinem et neruos deductam nunc tradit, eodemque ordine, quo phaenomena recenſuit, horum nunc cauſas proponit.

Primo nimirum cauſam, cur opium circulatio- p. 194. nem ſanguinis fortiorem et celeriorem reddat, in rarefactione ſanguinis, hincque vaſorum praeternaturali diſtenſione, horum in contractionem reniſu, atque mutua inde ſanguinis et vaſorum actione et reactione ponit. Poſitis autem his reliquas ſecretiones faciliores, copioſiores celerioresque, hincque in primis fluidi neruei ſecretionem copioſiorem et expeditiorem fieri, aſſerit. Quibus cunctis ſimul declaratis crebriorem cordis motum, celerioremque inde circulationem ſanguinis demum deducit. Quam ob rem vero motus animales et naturales, vitalibus interim vigentibus et auctis, opio aſſumto vel langueſcant vel cohibeantur, ex ſanguine rarefacto et copioſius ad encephalon delato, et cerebrum comprimente, Noſter deducit. Cum autem neruorum cordis originem non in cerebello ſed in medulla oblongata ponat, haecque non a rarefacto ſanguine ſtatim

 compri-

comprimatur, inde etiam rationem reddit, cur reliquis motibus ſilentibus, vitales tamen vigeant. Sed unde tandem cordis motus langueſcere incipit? Certe, ſi perpenderis, neruoſum fluidum a remedii huius actione omne demum mutari, et quietem uniuerſalem induci, cordis inde motum etiam ſufflaminari aut debiliorem reddi, reperies.

p. 201. His praemiſſis facile nunc reddi poteſt ratio, cur opium calorem corporis augeat, reſpirationem citatiorem et difficiliorem reddat, atque ſanguinem calefactum copioſius ad caput determinet. Circulo enim ſanguinis intenſo attrituque huius et vaſorum mutuo hinc aucto non poteſt non generari calor, imminuto autem et debiliori facto circulo, neceſſario etiam ſequitur frigus, quod itidem calore praegreſſo ab opio obſeruatur. Sanguine autem rarefacto et circulo intenſiori vaſa etiam pulmonis diſtenduntur, et magis magisque infarciuntur, inde crebior difficiliorque reſpiratio. Cum tandem ab opio ſanguis rarefiat, crebriorque circulus ſimul reddatur, ſanguis etiam copioſius ad caput aſcendit, ita tamen, ut iſte leuior et ſubtilior factus ſubtiliori inſimul opii vapore intermixtus ibi adpellatur. Quoniam vero encephali vaſa ob ſingularem ſtructuram reſiſtere et cedere nequeunt, maximus igitur ſanguinis commoti et rarefacti ab opio fit in caput appulſus, iſte ibi cumulatur, cerebri medulla comprimitur, atque igitur praecipua opii phaenomena eo deduci et declarari poſſunt.

p. 212. Aſt opium moderata doſi ſumtum cur animum pacare atque hilarem et alacrem reddere valeat, declarabis, ſi conſideraueris, arctum inter corpus et animam dari vinculum, hancque ea omnino ſentire, quae corpus afficiunt; ſique demum attenderis, ſanguine attenuato viribusque cordis auctis, crebriorem ſecerni ſpirituum copiam, inde alacritatem et hilaritatem animi facillime cognoſces.

Cum

Cum autem opio, nimia doſi ſumto, ſanguinis p. 217.
maſſa magis intumeſcat, vaſaque cerebri magis infar-
ciantur, atque inde medullaris huius ſubſtantia com-
primatur, ratio hinc quoque patet, cur opium ni-
mia doſi ſumtum temulentiam, torporem et ebrie-
tatem inducat.

Cur opium acumen ſenſus obtundat et natos do p. 222.
lores ſedet, Noſter abſolute non determinauit, ſed
multorum ſententiis adductis tandem dubius quaſi aſ-
ſerit, opium in neruos et cerebrum ſimul agere, mo-
tumque neruei fluidi affluentis ad partem et ab ea
refluentis ad cerebrum alium praeſtare, et aequa vi
compreſſione huius ſecretionem et influxum liquidi
imminuere, hinc ſenſus obtundere doloresque ſe-
dare.

Cauſam, cur motus animales debilitet opium, in p. 231.
compreſſione cerebri, a ſanguine rarefacto et copio-
ſius ibidem delato facta Cl. Auctor quaerit hincque
declarat.

Opium ſomnum inuitare interdum in altum ſo- p. 235.
porem extenſum, huncque ingraueſcentem, acceden-
te vera apoplexia, vel conuulſionibus necare Cl. Au-
ctor obſeruauit, idque, quomodo fiat, a rarefactio-
ne et compreſſis inde neruis, ita, ut nec ſecerni nec
influere poſſint, deduxit. Atque ſi ſanguis ita atte-
nuatur, et diſtenſionis compreſſionisue gradus eo
uſque increſcit, ut vel nerui comprimantur, vel va-
ſa nimis diſtenta omnem elaterem amittant, aut ob
ſummam debilitatem diſrupta liquidum effundant,
Noſter igitur pro lentae aut ſubitaneae compreſſionis
gradu aut ſoporem profundum aut apoplexiam acce-
dere, conuulſiones autem ab inaequali cerebri ner-
uorumque compreſſione oriri, atque ad conuulſiones
a repletione eas pertinere arbitratur.

Opium dormientibus inſomnia, vigilantibus p. 253.
phantaſmata et deliria parere, chronicamque adeo
interdum amentiam et fatuitatem inducere, Cl. Au-

ctor annotauit; quorum effectuum cauſam itidem in vaſis encephali nimis repletis, ſanguinis effluxu et refluxu mutato, atque medulla ob iſtius inaequalem tranſitum fortius hinc agitata et irritata ponit. Aſt chronicam fatuitatem et amentiam ab opii immoderato uſu relictam ex amiſſo penitusque abolito vaſorum nimis diſtentorum elatere deducit.

p. 257. Pari etiam ratione a ſanguine commoto eiusdemque volumine aucto ſtimulos venereos, opio uſurpato, obſeruatos deducit, imo, cum opium acrimonia manifeſta praeditum ſit, hacque omnem ſeroſam maſſam imbuat, eos inde a vellicatis irritatisque partium genitalium neruulis tenerrimis multo magis oriri, affirmat.

p. 259. Opium diaphoreſin valide et ut plurimum cum pruritu mouere et alias ſeroſas excretiones compeſcere, ſuperius dictum fuit. Huius effectus cauſam ſequentem Noſter agnoſcit. Cum nimirum hactenus demonſtratum ſit, quod opium circuitum augeat, dein calefaciat, porro ſanguinem attenuet et in globulos ſeroſos ſoluat, atque nerueas tandem et muſculoſas fibras relaxet, haeque dotes omnes ad promouendam diaphoreſin requirantur, huius ergo effectus cauſam facile quiuis perſpiciet. Cur autem reliquae excretiones ſeroſae ab opio cohibeantur, ex eo deducendum eſt, quia primo una excretione aucta, altera ſaepe imminuitur, tum etiam, quia partes, quae ad emittendum liquidum ſenſiles eſſe alioquin debent, opio quaſi obtunduntur et minus ſenſiles euadunt. Cum autem et hae excretiones ob ſpaſmum a materie acri vellicante imminutae ſaepe inueniantur, ratio quoque reddi poteſt, cur eaedem ſe et excretiones, quae ab opio cohibentur, ab eodem reſtituantur et promoueantur. Fibris enim a ſpaſmo contractis, nunc autem ab opio aſſumto reſolutis, neceſſario excretiones reſtituuntur. Ergo opium interdum excretiones compeſcit, interdum autem cohibitas reſtituit.

Opium

Opium functioni ventriculi inimicum eſſe, Cl. p. 269.
Auctor obſeruauit. Cum autem ad actionem ventriculi rite perficiendam, fibrarum eius muſculoſarum neruearumque irritabilitas et ſenſilitas requiratur, hae autem opio aſſumto ſufflaminentur, cauſa ea propter patet, cur appetitus deleatur, et ſaburra in eo haerente, interdum ciborum faſtidium, nauſea et vomitus ab opio obſeruentur.

Idem tandem opium alui libertatem cohibere an- p. 273.
notauit. Cauſa non ſolum in perſpiratione ab opio aucta, verum etiam in motu periſtaltico languidiori facto vel cohibito ponitur. Perſpiratione enim aucta aluum et absque opio ſicciorem ſemper fieri, multi iam obſeruarunt. Atque cum ad promouendas foeces aluinas motus inteſtinorum periſtalticus omnino requiratur, hic autem ab opio cohibeatur, ratio inde patet, cur alui libertas opio aſſumto ceſſet. Verum, licet interdum aluus obſtructa ab opio aperiatur, id tamen per accidens tantum fieri, Noſter declarat. Saepe enim, ſpaſmis obortis, ſcybala duriora retinentur, quibus autem ſolutis, ea demum excluduntur. Hunc caſum ſi exceperis, ſemper ab opio alui excretionem impediri, obſeruabis.

At enim vero opium unum eundemque effectum p. 276.
in omnibus ſubiectis non edere, idque aliis nocere aliisque prodeſſe Cl. Auctor obſeruans, ſexto igitur capite diuerſum corporis humani ad opium habitum conſiderat. Ibi namque oſtendit, quod opium, cum ſanguinem attenuet rarumque reddat, iis proinde, qui plethora laborant, corpusque ſuccis plenum gerunt, magis officiat rariuſque proſit, quam qui non adeo ſucculenti reperiuntur. Aſt haec non ſola cauſa: opium enim vaſa laxa efficiens in iis, qui tali vaſorum genere praediti ſunt, haud bonum effectum edere, Noſter expertus loquitur; contra vero robuſtioribus conuenire itidem affirmat. Cum tandem opium omnium neruorum compagem debilitet, iis

 igitur,

igitur, tali neruorum ſyſtemate inſtructis, raro iſtud conuenire autumat, hinc non niſi validioribus firmoque vaſorum genere gaudentibus propinandum, debilibus vero rariſſime tantum et parca ſatis copia exhibendum eſſe, ſuadet. Tandem et cutis habitum conſiderandum eſſe innuit. Quibus enim facilis et larga eſt perſpiratio, quiue ſub calidiori coelo viuunt, ita, ut perſpiratio largiter et facillime ſuccedat, ii omnes non ſolum opium melius ferunt, ſed et a largiori paulo doſi non adeo afficiuntur ac illi, quibus perſpiratio rara eſt, aut qui ſub frigidiori plaga vitam degunt.

p. 286. Cunctis his de opio expoſitis, capite ſeptimo de iis nunc agit Noſter, quae ad varias eius pro variis, quas de opio fouerunt, ſententiis uſitatas correctiones pertinent. Totum hoc caput perlegentes et accurate perpendentes, Cl. Auctorem in enarrandis refutandisque auctorum, de opio corrigendo ſententiis multum omnino fuiſſe, atque ipſam rem ita pertractatam deprehendimus, ut ei utcunque ſuffragari vix unquam dubitemus.

Sententiis eorum, qui opium correctione indigere contendunt, pariterque illorum, qui eandem reiiciunt, praemiſſis, Noſter, poſteriorum partes tenens, digreſſionem paulo facit, et exemplo mercurii et ferri, rem illuſtrare tentat. Ea enim remedia, aeque ac opium nulla correctione indigere probat, haecque cruda ſi exhibeantur, plus praeſtare, quam multis taedioſisque praeparationibus mutata, oſtendit. Aſt ad opium, pro frigido a veteribus habitum, iterum accedens, idque ceu remedium calidum conſiderans nullo plane modo calidis corrigi, parique paſſu recentiorum per acria, neruina, cordialia, purgantia, diuretica et alexipharmaca correctionem ambulare exponit.

p. 319. Per toſtionem, qua non nulli opium corrigere putant, vires iſtius non corrigi, ſed imminui, per

ſpirituoſa autem, quae a non nullis adduntur, illas p. 322.
crudi opii viribus efficaciores multo reddi, opiique
extractum aquoſum in eadem doſi, qua crudum ex- p. 326.
hibetur mitius agere, nec pro correcto inde habendum Cl. Auctor oſtendit.

Licet autem opium acidis debilius multo reddi p. 344.
concedat, vere tamen iſtis haud corrigi, ſed tantum, quoad vires in aequali, cum crudo opio, doſi exhibitum imminui autumat. Cum vero negari nequeat, opii effectus addito acido imminui, a contrario igitur opium alcalinis additis non corrigi, ſed actiuum magis reddi Noſter itidem arbitratur.

Cunctis his rite perpenſis et accurate expoſitis p. 353.
tandem Cl. Auctor concludit, opium nulla plane correctione opus habere, et ubi neceſſarium indicetur, crudum ſemper ſufficere. Reiicit ergo omnia opiata, quae ceu correcta multi tradiderunt, laudat ſolum crudum, atque omnes illas correctiones opii principium non corrigere, ſed vel vires eius imminuere vel augere demonſtrat.

Vltimo tandem capite de doſibus opii Noſter p. 355.
agens perhibet, gentes orientales opio ſenſim ita aſſueſcere, ut a grano uno incipientes ultra drachmam quotidie demum aſſumant, et ob conſuetudinem poſt hac omni die larga doſi iſtud deglutire cogantur.

Aſt et Europaeos opio ita aſſueſcere poſſe, ut p. 362.
largas ſane doſes impune ferant, multis auctorum obſeruationibus adductis probatum legimus. Quicquid autem conſuetudini tribuendum, id tamen alias in eiusmodi caſu nocere ſemper et de opio in primis valere animaduertimus. Opium enim minus aſſuetis larga doſi propinatum, eos interficere exempla a Cl. Auctore adducta confirmant.

Tandem quod ad doſes opii attinet, quibus in fa- p. 369.
cienda medicina uti licet, a minima ſemper incipiendum Noſter ſtrenue innuit. Defectus enim remedii facile ſuppleri, exceſſus autem raro aut plane non

emen-

emendari poſſe, monet. Hinc igitur medicis, opio utentibus, non ab uno ſtatim grano ſed a dimidio ſaltem incipiendum et ad duo ſenſim, doſin puta ſummam, aſcendendum, minori nempe nihil proficiente, ſuadet.

En itaque primaria, quae hinc inde decerpere licuit, momenta. Hunc ergo librum commendare non dubitamus. Eum enim non ſolum erudite et firmis argumentis elaboratum, ſed tot utilitatibus tantisque cautionibus refertum deprehendimus, ut dignum proinde eum iudicemus, qui ab omnibus, medicinam miſero hominum generi facientibus, legi omnino mereatur.

IV.

Pharmacopoeia Argentoratenſis Inclyti Magiſtratus iuſſu reuiſa et ad uſum hodiernum accommodata a Collegio Medico. Argentorati, ſumtibus Iohannis Gothofredi Baueri, 1757. fol. alph. 2. pl. 17.

Quae anno huius ſeculi viceſimo quinto primum edita fuit Pharmacopoeia Argentoratenſis, eam nunc recuſam, emendatam et hodiernae medicinae accommodatam accepimus. Comparauimus hanc nouam cum priori, et mutationes, quas perlegentibus animaduertere licuit, ſequentes notamus. Primo ea tantum remedia hic reperiuntur, quae medicis argentoratenſibus in uſu nunc ſunt; multa igitur in priori editione reperiunda, obſoleta imo inconcinna plane in noua hac proſcripta, contra vero noua et nunc uſitata adpoſita ſunt. Pretioſa deinde, nullis ſane viribus praedita, omiſerunt, viliora e contrario, viribus omnino valentia ſubſtituentes. Porro non nullas remediorum formulas correctas tradiderunt, omnes autem in hac ſecundum ordinem alphabeti-

phabeticum diſponuntur, quas tamen in priori ſecundum claſſes coordinatas reperies. Tum index etiam, ob inſcriptiones remediorum in aliis perſaepe variantes ſubnexus eſt. Tandem plura in aliis pharmacopoeis deſcripta remedia, ob compoſitionis praeſtantiam, iisdem verbis in hac, ut in illis, deſcribuntur.

Comparauimus etiam hanc Pharmacopoeiam cum Würtembergenſi, atque maximam partem remedia, quae ibi reperiuntur, et in hac, Würtembergenſi nimirum, animaduertimus. Aſt mutata tamen non nulla, quaedam etiam omiſſa atque noua, quae ab annis aliquot in uſu eſſe coeperunt, appoſita tandem deprehendimus. Non ingratum igitur Lectoribus noſtris fore ſperamus, ſi non nulla, quae partim mutata partim noua prorſus ſunt, illuſtrationis gratia apponamus. Mutatum v. c. animaduertimus crocum martis aperientem. In Würtembergenſi enim pharmacopoeia iſte ex vitriolo martis, aqua ſoluto et alcali praecipitato, in hac autem ſequenti modo paratur: Sumitur nimirum limatura martis, quae in patina extenditur, aqua humectatur, radiis ſolaribus expoſita ſiccatur, dein teritur, iterum humectatur, isque labor tam diu repetitur, uſque dum omnis martis limatura in puluerem croceum abeat. Mutatum etiam deprehendimus Electuarium Diaſcordii FRACASTORII. In Würtembergenſi namque uncia huius remedii una opii grana duo, in hac autem uncia una totidem opii grana duasque tertias in ſuper grani partes continet. Differt de reliquo haec noſtra ab illa Würtembergenſi quoad componendi modum aliudque remediorum ingredientium pondus obſeruatum hic fuit. Sed ſufficiant haec, tranſeamus ad ea, quae ceu noua officinalia conſideramus. Ita appoſitum et inter officinalia remedia ſuſceptum reperimus iſtud ab annis aliquot cognitum et in dyſenteria aliisque fluxibus laudatum vitrum antimonii ceratum,

quod,

quod, uti notum eſt, ex vitro antimonii contuſo, cerae mixto et ſuper ignem lenem in puluerem brunnum redacto paratur.

Sed mittimus alia, ne iuſto longiores videamur. His enim, quae adduximus, conditionem huius Pharmacopoeiae quodam modo indicari, arbitramur. At enim vero, licet a pluribus remediis inertibus hanc pharmacopoeiam repurgare anniſi ſint, tamen hinc inde quaedam adhuc reperiuntur, quibus commode etiam carere potuiſſet. Proſtat e. g. in ea adhuc lapis haematites, hyacinthus et nephriticus praeparatus, de quibus autem dubitamus, quin unquam bonum aliquem effectum edere in corporibus valeant.

V.

EPHRAIM KRVGERI Diſſ. Inaug. de Neruo phrenico, Lipſiae, 1758. pl. 6. tab. 2. aen.

Expoſita neceſſitate difficilis diſquiſitionis neruorum, neruique phrenici denominatione et deſcriptione generali, illorum ceruicis, ex quibus hic
p. 7. oritur, octo paria aſſumit Cl. Auctor GALENI deinde RIOLANI, WILLISII, VIEVSSENII et WINSLOVII aliorumque de phrenico ſententias examinat,
p. 17. et tandem iconis ſuae atque deſcriptionis rationem
p. 19. exhibet. Proponit itaque primum totius nerui progreſſum, et nexus eius cum intercoſtali, atque ea, quae in latere dextro cadaueris adhibiti inuenit, deſcribit et varietates in latere ſiniſtro eiusdem, nec non decem antea diſſectorum cadauerum, ratione nexus illius obſeruatas atque alia, quae cum aliorum auctorum obſeruationibus comparauit, ſubiungit.
p. 20. Cum itaque phrenicus ſua initia ex ceruicalibus colligat, filamentum a tertio primam, a quarto, ſecundam, et a quinto pari deductam tertiam radicem appellat. Secunda tamen, ut dicit, primaria eſt et vel

ſimplici

ſimplici vel multiplici filamento oritur, ita, ut primum ſtatim poſt egreſſum dicti paris ex interſtitiis vertebrarum plerumque ſecedat, et vix non ſemper reliquis craſſius ſit, cui ſequentia, poſt quam per aliquot plerumque lineas ſeparatim deſcenderint, ſucceſſiue inſeruntur. Vidit tamen interdum, ubi duplici principio oriebatur neruus, alterum demum ſupra inferiorem partem muſculi ſcaleni inferioris connecti. Sic ortus neruus muſculis vicinis non nunquam ſurculos dat, et ulterius a latere rami arteriae thyroideae adſcendentis externo ſupra par quintum, cui plerumque arcte adhaeret et ſupra muſculum ſcalenum anteriorem deſcendit, ac ab illo ſemper nouam acceſſionem accipit in variis ſubiectis vario modo conſpicuam. Interdum enim accedit unicum filamentum, interdum duo. Alterum, quod internum dicit, non ultra aliquot lineas ante inſertionem in phrenicum ſeorſim deſcendit, alterum autem, quod exterius erat, vel mox inſeritur, vel ſeorſim ſupra venam ſubclauiam a latere externo nerui phrenici thoracem ingreditur et cum eo committitur. Is enim poſt extremitatem anteriorem clauiculae in pectus intrat et pone venam ſubclauiam ante arteriam eiusdem nominis, ubi interdum paruulos ſurculos dimittit a latere paris vagi oblique anteriora verſus procedit. Hoc filamentum, quod VIEVSSENIO a pari ſexto oritur, plerumque a quinto exortum muſculo ſubclauio ramulum dare vidit. Interdum eundem neruum in tres ramos diuiſum fuiſſe, obſeruauit. Ipſe phrenicus in pectore ſecundum longitudinem p. 22. mediaſtini, cui lateraliter agglutinatur, ante radicem pulmonum deſcendit. Dexter magis interior apparet, quam ſiniſter, qui illo tamen eſt longior. Ambo tandem ſine ulteriori ramificatione in diaphragmatis muſculoſam partem diſtribuuntur. Ramos enim ad cor eiusque plexus ſecedentes, ut LANCISIVS ſcribit, nunquam vidit nec illos VIEVSSENII ad

pericar-

pericardium venientes. In unico tamen cadauere phrenicum in duos ramos diuiſum obſeruauit, quorum unus modo conſueto deſcendebat, alter autem antrorſum magis pericardio ſine ulla ramificatione ad-
p. 24. haerens ad diaphragma progrediebatur. Praecipuam vero et icone illuſtratam diſquiſitionem nerui huius et nexus eius cum intercoſtali in cadauere viri robuſti XXVI annorum inſtituit Noſter et ita explicat: *a latere interno ſecundae nerui radicis ſecedens ramus ſupra muſculum ſcalenum anteriorem interiora verſus deſcendebat, et in hoc deſcenſu muſculo recto colli duos dabat ramulos, duos ab ipſo phrenico iterum recipiens. Duos circiter pollices ab origine ſua progreſſus nouo ab ipſo phrenico ſurculo augebatur, et paulo poſt in neruum intercoſtalem inſerebatur. Porro ab eodem latere nerui phrenici ſupra par quintum conſtituti proueniens neruulus, cum per ſpatium unius circiter pollicis deſcendiſſet, in duos diuidebatur ramos, quorum unus cum anſa intercoſtalis circa arteriam ſubclauiam formata connectebatur, alter autem ad phrenicum iterum perueniebat. A latere radicis ſecundae externo ſecedebat filamentum et aliud a pari quarto. Haec in unum confluebant neruum, qui nouum ſurculum a phrenico accipiens ad hunc alium mox remittebat. Ipſe autem in ulteriori ſuo deſcenſu de nouo a phrenico neruulum recipiebat, a quo ſimul alius ad par quintum tendens iterumque cum phrenico communicans et ſcaleno laterali ramulum mittens ſecedebat. Supra par quintum autem dictus neruus conſtitutus, altero a phrenico augebatur et paulo poſt in duos ramos diuidebatur, quorum internus ſuper phrenicum ad anſam intercoſtalem veniebat, externus autem in duos iterum ramos diuiſus, uno ad muſculum ſterno Thyreoideum, altero ad ſubclauium tendebat. Tandem par quintum formabat neruum in tres ramos diuiſum, quorum internus erat nerui phrenici radix tertia, medius ad pericardium et externus ad muſcu-*
p. 25. *lum ſubclauium perueniebat.* Repetiit obſeruationes a latere

latere ſiniſtro, et nexum phrenici cum intercoſtali, illi WILLISII quodam modo ſimilem nec non alios vidit, quorum varietates ulterius exponit et obſeruationibus illuſtrat. Nexus quoque cum aliis neruis p. 31. factos conſiderat et TH. BARTHOLINI ſententiam de nerui phrenici ſurculis in maxillas et labia progredientibus reiicit, nec non fibram eiusdem nerui diſquirit, quae a VIEVSSENIO delineata, pari ſecundo dorſali unita, neruo intercoſtali coaleſcit, et quam, ſi adfuit, vel a pari ſexto vel quinto oriundam conſpexit, conſpexit et alios nexus horumque varietates. Vſum p. 34. demum exponens phrenicum vires motrices diaphragmati afferre, illius vero ortum remotum atque deſcenſum rectum ad motum legitimum diaphragmati conciliandum fuiſſe neceſſarium colligit, atque ulterius rationem eius cum aliis connexi declarat in ſternutatione, tuſſi atque ſingultu ſpeciatim oſtendit, et riſum tandem Sardonium exponit.

VI.

CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG Programma, quo obſeruationem, quae viam bilis cyſticae declarat, proponit. Lipſ. 1758. pl. 2.

Praeter alia, quae in cadauere foeminae 44 annorum notatu digna Cl. Auctor inuenit, veſicula fellea triplo ad minimum maior, quam ea in ſtatu naturali eſſe ſolet, longeque denſior, prorſus alba et calloſa atque lapillis referta accumbebat partim duodeno, maxime colo, quae tamen transſudante bile non tingebat. Ductus hepaticus, qui vicino duodeno colorem flauum imprimebat, ubi cyſticus limites illius et choledochi conſtituebat, pollicis ſuperabat diametrum; primi quoque eiusdem rami ex hepate progredientes diſtenſionis ſimul participes erant, nec non choledochus, qui ob diſtenſionem

ex continuatione ſolius hepatici oriri videbatur, huic ſimilem amplitudinem habebat. In his maxima erat collecta bilis copia non diluta et flaueſcens, ſed ſpiſſa obſcurioris coloris et maxime amara. Ductus etiam cyſticus in loco inſertionis ad choledochum ad trium circiter linearum amplitudinem erat diſtentus, iuga tamen valuuloſa non prorſus euanuerant. Ab illo autem loco ad pollicis ferme diametrum diſtentus, calculis repletus et durus et calloſus reperiebatur. Inde producta ampla veſicula fellea calculis quoque et duabus circiter unciis liquoris cuiusdam replebatur. Liquor bilis colorem utcunque referebat, tenuis tamen erat, odoris expers et vix amara, nauſeoſi tamen quid guſtu percipiebatur, quod in omnibus ſtagnantibus humoribus corporis humani occurrit. In calculis, quorum numerus ultra 166 aſcendebat, nucleus internus reſinae ad inſtar ſplendens, maxime obſcurus et fuſcus, ſtrata vicina flaua quodam modo reliqua alba magis, externum tamen fuſcum et albo atque viſcido muco obductum apparebant. Declarat inde Cl. Auctor viam bilis. Ductus nimirum hepatici ſi etiam in viciniam cyſtidis veniunt, ad illam nunquam deducuntur; nullius enim veſtigium deprehenditur, ſi tela celluloſa, quae cyſtidem et hepar intercedit, flatu diſtenditur. Si vero exiſterent, illorum certe praeter modum extenſorum veſtigia, denegata etiam bilis in veſicula collectione, in hoc cadauere obſeruata fuiſſent. Ipſa vero cyſtis, quae ex ſua ſubſtantia tenue tantum unguinoſum ſerum vel mucum paulo ſpiſſiorem exſudat, etiam hoc in caſu veram bilem non exhibuit et quamuis lapillorum nucleus fuſcum, et ſuperficies externa ſimilem colorem referret, maxima tamen lamellarum pars pallide lutea et ferme alba fuit. Hinc ex hepatico ductu ad choledochum delatae bilis ingreſſus in cyſticum egregie cognoſcitur. Ante morboſam enim foeminae diſpoſitionem bilis vere ad

cyſtidem

cyſtidem tranſiiſſe certum eſt, cum primordia calculorum in nucleos colore bilis tinctos coniuncta fuerint; ductu autem cyſtico obſtructo ipſe hepaticus et choledochus collectionem biles admiſerint.

VII.

Verſuch zu einer gründlichen Vertheidigung derer Saamenthiergen; nebſt einer kurzen Beſchreibung derer Leeuwenhoeckiſchen Mikroſkopien, und einem Entwurfe zu einer vollſtändigern Geſchichte des Sonnenmikroſkops, als der beſten Rechtfertigung derer Leeuwenhoeckiſchen Beobachtungen, von MARTIN FROBENIVS LEDERMÜLLERN, *Not. und Procuratorn zu Nürnberg. Mit Kupfern verſehen. Nürnberg, bey George Peter Monath,* 1758. 4. 8½ *Bogen, 6 Kupfertafeln.*

h. e.

Tentamen ſolidioris defenſionis animalculorum ſpermaticorum, cum breui deſcriptione microſcopiorum LEEVWENHOECK. Accedit adumbratio perfectioris hiſtoriae microſcopii ſolaris, ceu optimae defenſionis obſeruationum Leeuwenhoeckianarum. Auctore MARTIN. FROBENIO LEDERMÜLLER, Notar. et Procuratore Norimbergenſi.

Ediderat Cl. LEDERMÜLLER anno 1756, ſub epiſtolii ſpecie, phyſicas de animalculis ſpermaticis obſeruationes, quarum mentionem in praecedenti volumine commentariorum * noſtrorum breuibus fecimus. Harum defenſionem in praeſenti ten-

* Vol. V. Part. IV. p. 602.

tamine ſuſcipit, easque nouis obſeruationibus, nouisque argumentis confirmat. Praemiſſa praefatione, quae ſtatum controuerſiae exponit, ad ipſam accedit
p. 1. defenſionem. Hanc *duabus ſectionibus*, in quas omnem libellum diuidit, praeſtat. *Prior ſectio* probat, non ſolum dari in ſemine maſculino animalcula ſpermatica, ſed ea etiam vere vita eſſe praedita. Prouocat igitur denuo ad praegreſſas obſeruationes, et ad teſtes qui prioribus experientiis adſtiterunt. Multum hac occaſione conqueritur de diffidentia, quam non nulli non ſolum in ſua, ſed et in ſuorum teſtium fide poſuerunt, quum tamen non fuiſſet primus, qui talia affirmaſſet. Completum igitur exhibet catalogum eorum ſcriptorum, qui haecce animalia ipſi viderunt, eorumque exiſtentiam ac vitam in ſcriptis probarunt, inter quos non minorum gentium dii, ſed celeberrimi reperiuntur viri. Plerique quidem crediderunt Cl. LEEVWENHOECK inuentorem primumque obſeruatorem horum fuiſſe animalculorum: ex SCHRADERI tamen *diſſertatione epiſtolica de microſcopiorum uſu* commonſtrat, Dr. HAMM, *Batavum*, ea ante LEEVWENHOECK vidiſſe atque obſeruaſſe; cui opinioni etiam acceſſiſſe et Cl. WOLFFIVM, et Ill. HALLERVM. Poſt HAMM et LEEVWENHOECK adducuntur HARTSOECKER, HVYGENS, SWAMMERDAMM, HOOCKIVS, BOERHAAVE, LISTORP, NIC. ANDRY, RÜDIGER, WOLFFIVS, OBERMANN, DIETRICH, LIEBERKÜHN *, et MAVPERTVIS, qui omnes ſe animalcula

* De LIEBERKÜHN, ex familiari cum ipſo conſortio ſcimus, illum omnino non probaſſe, HAMBERGERVM ſtatim edidiſſe epiſtolam ſuam ad eum familiariter datam, qua cum illo obſeruationes quasdam communicauit, non ut illas publici iuris faceret, ſed ut eius de his experiretur ſententiam. Minime enim et ipſe illas, quod nempe ad animalculorum figuras, quas

cula vidiſſe fatentur *. Inter defenſores animalcu- p. 11.
lorum nominat MYLIVM, WINCKLERVM, HALLERVM, LESSER, NEEDHAM, et IO. FR. CARTHEVSER, qui ambo tamen ultimi illa ſe et obſeruaſſe teſtantur. Quando autem Ill. HALLERVS in *Primis lineis phyſiologiae*, §. 786, ſcripſit: *in liquore corporis lutei talium animalculorum ſimilia* reperiri, huic omni, qua decet, modeſtia contradicit, negatque ſe quidem illa unquam inuenire potuiſſe. Aſſenſoribus, p. 14.
qui publicum ſcilicet plauſum ſuae dederunt ſententiae, adnumerat, GOTTSCHED, POLEY, DELI- p. 18.
VM, DE WINDHEIM et ARNOLD. Sequitur *ſectio ſecunda.* Haec continet contradictiones et obiectiones, quibus alii praecedentium ſcriptorum fidem ſuſpectam reddere, et animalculis exiſtentiam et vitam denegare auſi ſunt. Agmen ducit LYONET, cuius conatus nuper demortuus MYLIVS in peculiari ad RICHARDVM epiſtola refutauit. Ad hunc accedit Cl. BVFFON, quem Ill. HALLERVS in Praefatione

quas pro diuerſo animalium genere, ex quibus ſperma ſumtum fuit, differentes inuenit, attinet, pro tam firmis, ac ſufficienti experientia ſtabilitis habuit, ut ſyſtema his ſuperſtrui poſſet. Repetere enim et recoquere illas voluit, qua in re autem moleſta praxi, et morte praematura praepeditus fuit. Vt haec noteſcant, reuerentia poſcit, quae piis manibus LIEBERKÜHN debemus, ne quis, qui haec aliter inter experiendum inueniat, eum incuriae vel doli accuſet.

* His ex commercio noſtro literario addere poſſumus Ill. VAN SWIETEN, qui in literis nuper ad nos datis ſcribit: *animalcula ſeminalia toties vidi et in ſemine diuerſorum animalium, piſcium, ut de illorum exiſtentia dubitare nequeam.* LEEVWENHOECK *noſter millenis oſtendit ſpectatoribus. Optimo cum* LIEBERKÜHN *vidi frequenter.* Nos quoque, qui haec ſcribimus, aliquoties haec animalcula contemplati ſumus, et ſemper mouentia ac viua reperimus.

tione eius hiſtoriae naturali, in germanicam linguam translatae, praemiſſa, refellit. Studio praeteriit Cl. Auctor GENDERVM et NIGROSOLVM, quia talia protulerunt dubia, quae illum non tangunt. Primus ergo, quem ſibi redarguendum ſumit, eſt M. SCRINCI, *Bohemo-Pragenſis*, qui in *Diſſertatione inaugurali philoſophica de principio aut cauſa corpus animale formante etc. Altorffii*, 1756 habita, LEEVWENHOECK circa animalcula ſpermatica obſeruationes ludibrio habere, et phantasmatum nomine notare conatus eſt. Hunc pari moneta remunerari ſtudet Cl. Auctor, illumque ad experientias remittit, quas accuratius inſtituendas monet. Meminit quoque diſſenſus, quem memoratae diſſertationis auctori apertis verbis, in gratulatione adiecta, declarauerunt Cll WEISS et ADELBVRNER, Profeſſores Altorffini doctiſſimi. Alter in ordine eſt Cl. ASCH, *Petropolitanus*, cuius *Diſſertatio inauguralis medica, de natura ſpermatis obſeruationibus microſcopicis indagata* 1756 *Goettingae* prodiit. Merito taxat Noſter Cl. ASCH, quod in adductis, et ope microſcopii cum ſpermate inſtitutis experientiis non addiderit, quale adhibuerit microſcopium, cuiusque diametri applicuerit lentes? Num microſcopio ſolari etiam uſus ſit? et quae ſunt reliqua. Minime miratur Noſter, cur Cl. ASCH in ſpermate, non prius quam hora quarta poſt emiſſionem, examinato, nil niſi bullulas aereas, nulla vero animalcula detexerit: quod iucundum ſpectaculum multo minus expectare potuit, quum in *obſeruatione duodecima* vetus et iam foetens adhibuit ſemen. In *Obſeruatione* quidem *decima quinta* recens in uſum vocauit ſperma Cl. ASCH, ſed quoniam et tunc ſolum modo *motum, qui non ad unam plagam tetendit, ſed huc illuc conuerſus confuſusque fuit*, non vero animalculorum caudas obſeruauit, iure Noſter inde colligit, cauſam in microſcopio latuiſſe, et Cl. ASCH caruiſſe lente, qua corporum ſuperficies ſufficienter

p. 23.

cienter augentur. Accedit et hoc, quod frigidam aquam affuderit, qua animalcula certe necauit. Vt p. 26.
vero artificium pateſcat, quo uſus eſt Cl. Auctor ad ſiſtenda et monſtranda in ſemine animalcula, microſcopium, inter quae ſimplex compoſito ſemper praefert, deſcribit, et ſuarum lentium vim augendi, et rationes exponit. Deinde requirit, ut ſemen examinandum vitris, ad formam patinae factis, excipiatur, pauca tepida diluatur, et experimentum die lucido et claro, vel nocte, ſufficientibus luminibus illuſtrata, inſtituatur. Poſt haec non nullas cautelas adnectit, quae tam ratione microſcopii, et machinamentorum ad hoc pertinentium, quam ratione ſeminis examinandi obſeruari debent, quas lectores ex Cl. Auctore ipſo perdiſcent. Poſtremo ad quasdam p. 29.
obiectiones, illi et in litteris, et coram factas, reſpondet, palamque profitetur, licet de praeſentia et vita animalculorum in ſemine certus atque conuictus ſit, ſe tamen illorum uſum atque finem cum pluribus adhuc ignorare. Interea Cl. Auctori magna ſimilitudo intercedere videtur inter animalculum ſpermaticum, et vermiculum, qui in ouo incubato obſeruatur, cuius celere incrementum et mutationem ex MALPIGHIO deſcribit, eiusque figuras huc transferri curauit. Sequitur nunc breuis deſcriptio mi- p. 37.
croſcopiorum ſimplicium LEEVWENHOECK, quae Londini in bibliotheca Societatis regiae Anglicanae aſſeruantur, et quorum delineationem celebris Londinenſium Mechanicus CVFF exhibuit. Appendicis p. 40.
loco accedit conciſa expoſitio microſcopii ſolaris eiusque originis, qua Cl. Auctor probabile reddere annititur, LEEVWENHOECK iam notum fuiſſe microſcopium ſolare, eiusque uſum. Animalculorum ſpermaticorum inficiatores et aduerſarii LEEVWENHOECK obiecerant, illum multo grandiores figuras animalculorum ſpermaticorum exhibuiſſe, quam eae ope microſcopii ſimplicis, etiam optimi, apparerent.

rent. Vt illum defenderet, mauult aliquid famae optimi LIEBERKÜHN derogare, quam LEEVWENHOECK. Omnem igitur nauat operam, ut probet LEEVWENHOECK iam cognitum fuiſſe microſcopium ſolare: hoc poſito ad modum probabile illi videtur, animalculorum figuras, a LEEVWENHOECK exaratas, eſſe depictas, ſecundum figuras, ope microſcopii ſolaris, in pariete formatas. Argumenta autem a Cl. Auctore ideo prolata, minime, ut verum fateamur, nobis ita comparata viſa ſunt, ut nos de Cl. Auctoris opinione conuincerent. Neſcimus enim cur b. LIEBERKÜHN, ceu germano, et conterraneo, inuentionis gloriam eripere debeamus, quum Angli *, et inter hos ipſe CVFF ** et Galli *** uno ore Cl. LIEBERKÜHN illam tribuunt, et eum

* Philoſophical Transactions Vol. XLI. Part. II. for the Years 1740. 1741. Loquitur ibidem Cl. BAKER de ſolari microſcopio ſ. Camera obſcura, et de alio ad corpora opaca contemplanda apto, et ſic pergit: Both theſe Inventions we are obliged for to the ingenious Dr. LIEBERKÜHN, who, when he was in England laſt Winter was Twelvemonth, ſhewed an Apparatus of his own making, for each of theſe Purpoſes, to ſeveral Gentlemen of this Society, as well as to ſome opticians.

** *Dans la Deſcription d'un Microſcope de poche, et du Microſcope ſolaire ou du Microſcope de Chambre obſcure, qui ſe fait, et ſe vend à Londres chez* IEAN CVFF, *dans Fléeſtret* etc. p. 6. le Microſcope n'a pas été inventé en Angleterre. On ne l'y avoit jamais connû, quand le Docteur LIEBERKÜHN, Medecin Pruſſien, vint d'Hollande ici, il y a environ trois ans, et nous l'apporta.

*** SAVERIEN *dans le Dictionnaire univerſel de mathematique et phyſique, à Paris* 1753. Tom. II. p. 155. Sous l'article *Microſcope ſolaire: On doit ce merveilleux Microſcope au Docteur* LIEBERKÜHN, *qui le communiqua à la Societé Royale de Londres environ l'an.* 1740.

eum tanquam inuentorem citant, atque celebrant. LEEVWENHOECK autem ipſe, ne verbulo quidem in *Arcanis naturae* et *Epiſtolis*, microſcopii meminit ſolaris. Quod neque ab eius contemporaneis factum eſt. Quae enim Cl. Auctor de laterna magica eiusque uſu microſcopico, quo obiecta, lampadum ope, illuminari, et aucta ſuperficie in pariete albo repraeſentari queunt, habet, et in ſuae opinionis defenſionem vertere contendit, de his Cl. Auctori fidem noſtram dare poſſumus, eadem nobiscum iam pridem b. LIEBERKÜHN communicaſſe. Num autem Cl. WIDEBVRG, Profeſſor Erlangenſis, in nuperrime edito tractatu, cuius mentionem Noſter in fine facit, noua et nobis incognita praeſtiterit, adhuc ignoramus, quum eius ſcriptum ad noſtras nondum peruenit manus. Reſtant pauca de equuleo, ſeu microſcopio anatomico LIEBERKÜHN, quod Cl. Auctor loco aurichalci, pretii cauſa, ex ligno parari curauit, id quod iam dudum a LIEBERKÜHN factum eſt. Tale enim ex ligno paratum microſcopium tribus nummis imperialibus multis ab hinc annis Berolini emi potuit. Quod reliquum eſt, opus habemus, ut merita Cl. Auctoris circa expoſitionem et defenſionem animalculorum ſpermaticorum praedicemus, eiusque operam, ſtudium et ſollertiam laudemus. Omnia enim praeſtitit, quae lectores de animalculorum ſeminalium exiſtentia conuincere queunt. Hoc unicum adhuc noſtros lectores ſcire volumus, Cl. Auctorem non ab Aeſculapii ſed Themidos ſacerdotibus ſacrorum ſollemnibus initiatum eſſe, qua de re eo maiori honori hicce ei vertendus eſt labor.

p. 47.

VIII.

D. CHRISTIANI GOTTLIEB LVDWIG, Therapiae P. P. O. Facultatis Med. Decani, Academ. Decemuiri, Colleg. Mai. Princip. et B. M. Virg. Collegae, Academ. Reg. Boruſſ. Scient. Sodalis Inſtitutiones Medicinae Clinicae praelectionibus Academicis accommodatae. Lipſiae, apud Ioh. Fridr. Gleditſch, 1758. 8. alph. 1. pl. 11. ſine praefat.

Quem finem ſibi propoſuerat Cl. Auctor, adhunc feliciter nunc pertigit. Abſolutis enim inſtitutionibus phyſiologiae *, pathologiae ** et therapiae generalis ***, therapiae quoque ſpecialis, ſiue medicinae clinicae, inſtitutiones addere ſpoponderat, cuius promiſſi datam nunc liberauit fidem. Quae inſtitutiones, cum rationem inter ſe habent, ultimique huius libelli veritates priorum fundamentis nituntur atque excipiuntur, merito lectoribus praecedentium inſtitutionum memoriam reuocamus. In praefatione Cl. Auctor ſtudiorum ſuorum rationem reddit, quaque via, quibusque ducibus ad medicinam faciendam venit, refert, additque momenta atque conditiones, quibus ad componendas inſtitutiones impulſus fuit: Tandem pro indefeſſo ſuo, quo aliis inſeruiendum ſtudet labore, aduerſaria medico-practica ſe adhuc editurum eſſe ſpem facit, quare ut exercitatiores practici ſuas conferant operas, rogat.
p. 3. In praemiſſis prolegomenis docet, quomodo medicus tyro, qui animum ad addiſcendam et exercendam praxin applicare vult clinicam praeparatus eſſe debet, et ad quae in facienda medicina attendere tenetur. Vt ordo, quem in tradendis morbis ſecutus eſt,

* Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 141 ſeqq.
** Volum. III. Part. IV. p. 696.
*** Ibidem.

eſt, eo melius pateat, ſequentem tabulam ſynopticam adponit. Sunt vero morbi

I. Vniuerſales
  I. Syſtematis ſanguinei
    A. Febres.
      1. intermittentes
        a. tertiana.
        b. quartana.
        c. quotidiana.
        d. duplicatae.
      2. Continuae remittentes.
        a. catarrhalis benigna.
        b. catarrhalis maligna.
        c. petechialis.
        d. peſtis.
        e. ſcarlatina, cet.
        f. morbilli.
        g. variolae.
        h. purpura.
      3. continentes.
      4. lentae.
    B. Inflammationes.
      1. phrenitis et paraphrenitis.
      2. angina.
      3. pleuritis et peripneumonia.
      4. hepatitis.
      5. ventriculi et inteſtinorum inflammatio.
      6. nephritis.
    C. Haemorrhagiae
      1. narium haemorrhagia.
      2. haemoptyſis.
      3. vomitus cruentus.
      4. menſtruorum vitia.
      5. haemorrhoides.
      6. mictus cruentus.
      7. varices.

II. Syſtematis ſeroſo-lymphatici.
1. cacochymia et cachexia.
2. hydrops.
3. ſcorbutus.
4. ſcabies.
5. lues venerea.
6. malum hypochondriacum.
7. atrophia et tabes.
8. rheumatismus.
9. arthritis.

III. Syſtematis neruoſi.
1. vertigo et morbi ſoporoſi.
2. apoplexia.
3. paralyſis.
4. conuulſio.
5. epilepſia.
6. lipothymia et ſyncope.
7. melancholia et mania.

II. Particulares.

I. Morbi capitis.
1. cephalalgia.
2. coryza et grauedo.
3. oculorum morbi.
4. aurium morbi.
5. faucium et oris morbi.

II. Morbi pectoris.
1. tuſſis et raucedo,
2. aſthma.
3. vomica pulmonum et empyema.
4. phtiſis.
5. palpitatio cordis.
6. polypus cordis.

III. Morbi abdominis.
1. appetitus deprauatio.
2. deglutitio laeſa.
3. digeſtio laeſa.

4. ardor

4. ardor ventriculi et fames morboſa.
5. nauſea et vomitus.
6. infarctus hepatis et lienis.
7. icterus.
8. fluxus hepaticus.
9. cholera.
10. lienteria et coeliaca paſſio.
11. diarrhoea.
12. dyſenteria.
13. colica.
14. alui obſtructio et ileus morbus.
15. tympanitis.
16. vermes.
17. dyſuria, iſchuria et calculus.
18 diabetes.
19. incontinentia urinae.
20. ſatyriaſis et priapismus.
21. gonorrhoea.
22. fluor albus.
23. malum hyſtericum.

IV. Appendix.
1. morbi grauidarum.
2. morbi puerperarum.
3. morbi infantum.

Poſtquam morborum uniuerſalium ideam dedit, et explicauit, quid per *morbos ſyſtematis ſanguinei* intelligat, ad *febres* progreditur, earumque differentias, deſcriptionem, characteres ſpecificos, cauſas, ſymptomata, ſigna pathognomonica ſollicite et perſpicue exponit, tandemque medendi methodum adiicit. p. 7.
Febris autem definitionem difficulter dari perhibet Cl. Auctor, *cum et illa, quae a ſigno pathognomonico ſolo deſumitur, et illa, cui quaedam ſymptomata adduntur, ideam rei non ſatis exprimere* ei videntur: propterea definitionis loco deſcriptionem paulo ampliorem febris exhibere maluit, in qua tamen ſymptoma p. 13.

ptoma *pulſus celerioris* deeſſe videtur, quem ſignum pathognomonicum febris praebere Cl. Auctor ipſe §. 21 dixit. In omni ceteroquin doctrina, ut tyronum ſtudio ſuccurrat, omnia ad generaliora reuocare allaborat, qua de re ad therapiam generalem ſaepius
p. 23. prouocat. Quod ad curationem pertinet, eam, pro rerum circumſtantiis, venaeſectione, diluentibus, atque leniter reſoluentibus, habita ſemper virium vitae ratione, tentare ſtudet: qua occaſione ſimul ſuam de uſu opiatorum in febribus ſententiam, adnectit, quam, quod ad eorum quidem in c. h. effectum attinet, Cll. YOVNG et TRALLES opinionibus contrariam animaduertimus. Opiata enim impetum febris infringere negant. Meminit praeter ea diaetae ac regiminis: nec obliuiſcitur criſium, quae febres comitantur. His omnibus ſubiungit febrium diuiſiones in *ſymptomaticas* et *idiopathicas*, in *acutas* et *chronicas*, quarum diſtinctiones breuiter exponit.
p. 28. Proſequitur nunc *febrium intermittentium* differentias, quotidianas, tertianas, quartanas etc. duplicatas, regulares et irregulares. De *febribus tertianis*, tanquam frequentioribus, prolixius agit, atque in earum cauſas ſedulo inquirit. Primas igitur vias ante omnia vomitorio vel laxante purgare monet, deinde reſolutioni viſcidae materiae aptis remediis diutius
p. 37. inſiſtere praecipit, denique, *ſi febris vehementia remittit, urina diu cum ſedimento fuit, reliquaeque ſecretiones maximam materiae partem ſubactam atque expulſam eſſe oſtendunt,* medicamenta roborantia in uſum vocare ſuadet. Inter quae corticem peruuianum omnibus aliis palmam praeripere merito iudicat, quem tamen electum, et intra breue tempus in magna doſi ad unciam unam et alteram propinatum vult. Fe-
p. 39. brem *quartanam* pari modo examinat, et vix non ſimilem methodum medendi commendat, niſi ut cautelas prius datas, grauius inculcet. In febribus rebellibus moderatum mercurii dulcis uſum laudat: ar-

ſenici

ſenici vero albi, quo agyrtae non nunquam utuntur, una cum opiatis, plane reiicit. Pedes oedematoſos, p. 42. qui febres intermittentes, cortice peruuiano ſanatas, ſaepius ſequuntur, parum extimeſcendos putat, ſi corpus bene praeparatum fuit: ſed ſi poſt febrem intempeſtiue ſuppreſſam oriuntur, febrem validioribus datis purgantibus denuo excitare autumat. A praecedentibus tantum ratione temporis acceſſionis differunt *quotidianae* et *duplicatae*, quae iisdem, interdum tamen mitioribus remediis tractandae ſunt. Cauendum tamen ſedulo, ne in continuas, vel lentas degenerent, quod facile euenire ſolet, praeſertim ſi purgantia fortiora, vel medicamenta calida his morbis adhibentur. Sequuntur nunc febres *continuae remittentes*. Sub his febrem catarrhalem benignam et malignam, petechialem, ipſam peſtem, ſcarlatinam, morbillos, variolas et purpuram complectitur. Has eodem modo ſingulatim pertractat, et earum cauſas, ſigna, differentias et curandi methodum perpendit, neceſſariasque cautelas adiicit. In *benigna* p. 49. pauca tentanda, ſed plurima naturae committenda docet. In *maligna* autem, quam alii petechizantem p. 53. adpellant, cum quibus tamen Cl. Auctor non conſentit, venae ſectionem raro locum habere dicit: camphorata autem et nitroſa plurimum commendat: denique ad vitae vires, et morbi mutationes ſemper attendere in cura monet. Febrem *petechialem*, quae p. 63. cum praecedente, excepto contagio, multum conuenit, a criſi metaſtatica ad cutem facta oriri cenſet: grauitatem vero morbi *a ſubtiliori materiae morboſae reſolutione et acrimonia, magis actiua reddita*, deducit, unde et contagium huic febri familiare deriuat. Caſtra illas febres in primis fauere exiſtimat. *Ex ſympto-* p. 67. *matum igitur grauitate et contagioſa indole, nec non ex ipſis petechiis*, quae interdum purpura alba variant, *praeſentibus*, morbum determinat: deinde conſilium addit, quo medici et illi, qui circa eiusmodi aegros verſantur,

verſantur, ſe ab hocce contagio praecauere debeant.
Peſtis a praecedente differentiam in maiore maligni-
tatis, a peſſimo contagio in corpore ſuſceptae, gra-
du, cauſam vero in celeri putredine partium inter-
narum ponit, et non nulla generalia animaduertit
p. 70. atque praecipit. Exanthemata ratione figurae macu-
larum quidem diuerſa, benigniora tamen et per ac-
cidens interdum maligna praebent *ſcarlatina* et *mor-
billi*, licet hi cum variolis plura communia habeant,
et ratione curae parum tantum differant. Ambo
morbi periculoſi euadunt, ſi, angina plerumque
praegreſſa, materies non ſatis coƈta, triſti, ut appo-
ſite Cl. Auƈtor enuntiat, metaſtaſi, ad bronchia de-
fertur, febrimque lentam accendit. A morbillis ru-
beolas, quas nomine apud noſtros minus uſitato *ro-
ſeolas* adpellat, parum differre et forte mitiores eſſe,
p. 78. ex experientia didicit. Maiorem attentionem meren-
tur *variolae*, a graecis, ſecundum Cl. Auƈtorem, haud
deſcriptae, ab Arabibus tantum medicis, memoriae
traditae. Sunt autem variolae morbus contagioſus,
hinc epidemicus, iuniores potiſſimum inuadens, nec
adultis, nec ſenibus ſemper parcens, ſi in iuuentute
ab illo liberi manſere. Sunt verae, ſunt ſpuriae;
ſunt benignae, ſunt malignae; ſunt diſcretae, ſunt
confluentes. Omnes has notis ſuis diſtinguit Cl. Au-
ƈtor, earum cauſas perueſtigat, et totum morbi de-
curſum; more SYDENHAMII, in tria ſtadia diuidit.
Quae in quolibet obſeruanda ſunt ſtadio, ſedulo ani-
maduertit, additque quomodo ſymptomatibus gra-
uioribus occurrendum, et quod poſt ſuperatas, in
primis malignas, variolas, audendum eſt. His ſuam
ſententiam de variolarum inſitione, quam omnino
p. 93. adprobare videtur, ſubneƈtit. *Purpurae*, ſeu fe-
bris miliaris indolem nunc ſibi deſcribendam ſumit
Cl. Auƈtor. Morbum exanthematicum, veteribus
vel ignotum, vel ab iis non ſatis accurate deſcriptum
illam nominat, quam tamen noſtris temporibus, mu-

tatis

tatis regiminis et curationis mediis paullulum miteſcere credit. Licet ad praecedentes febres exanthematicas purpuram referre potuiſſet Cl. Auctor, tamen peculiarem tractationem illi dicauit, eiusque hiſtoriam, diuerſas ſpecies et curationem expoſuit, et quasdam obſeruationes de puerperarum purpura, et ſcorbutica, quae plerumque ſine febre eſt, adiunxit. Succedunt febres *continentes*, *quae a principio uſque ad finem morbi, aequali fere ſaepe ſymptomatum vehementia ſaeuiunt, nec remiſſionem habent.* In noſtris oris, ut Cl. Auctor putat, rarius occurrunt, frequentiores in calidioribus regionibus ſunt. His adnumerat ephemeram, ſynochum putridam et febrem ardentem. *Ephemera* mitiſſima eſt. *Synochus* vero *putrida* et *ardens* periculis plena. In *putrida* ſanguinis craſis in reſolutionem quandam putridae ſimilem tranſit. Febris *ardens* cum cauſo veterum Cl. Auctori magis comparanda venit. Raro hic morbus criſi ſoluitur. Iudicatur tamen non nunquam vel per haemorrhagiam narium, vel per diarrhoeam, vel per ſudores. Plerumque tamen adeo funeſta eſt, ut hominem citius e viuis tollat, quam bona expectari queat criſis. Eius cura fere eadem eſt, quae malignarum. Febrium agmen claudit *febris lenta*, quae, continuo fere calore poſt paſtum increſcente, aegrum depaſcit, ut, viribus exhauſtis, tandem pereat. Ratione cauſarum et ſymptomatum multum quidem variat, hoc tamen ſemper ei commune eſt, ut imbecillitas ſyſtematis neruoſi per omnes eas cauſas inducatur. Hinc huic febri maxime obnoxia ſunt corpora imbecilla, praeſertim ſi febri quacunque vehementiori afficiuntur, quae vix non ſemper febrim lentam poſt ſe relinquunt. Qui ad cauſas et gradum febris reſpexerunt, diſtinxerunt febrem lentam in hecticam, quae a ſanguine et lympha acri; in phtiſicam, quae abulcere pulmonum, vel alius viſceris interni; et cachecticam, quae a lympha ſpiſſa

p. 105.

p. 111.

p. 113.

et viſcerum obſtructione originem habet. Sed haec diſtinctio Cl. Auctori minus placet. In initio lenta febris mitiſſima eſt, ſenſim increſcit, tandem omnia ſymptomata peiora fiunt: tunc omnem curam reſpuit, et tantum curam admittit palliatiuam. Si quid tentandum, hoc in initio experiendum eſt. Saepius debilitas primarum viarum, et cruditates in illis collectae in cauſa ſunt, tunc vomitoria et laxantia pro indicationis ratione porrigenda eſſe credit. Conducunt interdum thermae et acidulae. Si vero debilitas ſolidorum lentam foueat, praemiſſis praemittendis, cortex peruuianus eligendus eſt, qui febribus neruoſis in primis medetur. Venae ſectionem in hac febris ſpecie merito reprehendit Cl. Auctor, quia vires magis frangit. Si acrimonia coniuncta eſt, cura lactis et iuſcula refrigerantia ei opponi poſſunt: quia non ſolum acrimoniae reſiſtunt, ſed et nutriunt. Cum lacticiniis etiam coincidit ſerum lactis dulce, quod igitur iis ſubſtitui poteſt. In omni lactis uſu primis viis ſedulo eſt proſpiciendum. Haec de febribus. Succedit *inflammatio*. Poſtquam in genere de inflammatione eiusque natura, cauſis, ſignis atque curatione peculiari ſectione egit, ad ſpeciales inflammationes ſeu partium procedit, quas pari ſtudio atque
p. 128. diligentia abſoluit. Primum locum occupat *phrenitis*, quae vel cerebri ipſius, vel eius membranarum eſt inflammatio, cum vehementi febre continente et delirio feroci. Inter alia huic morbo opponenda remedia extollit in primis camphoram, doſi aucta, ad grana quatuor et ultra exhibendam. Cum phrenitide coniungit *paraphrenitidem*, quae diaphragmatis inflammatio eſt. In hoc morbo vix non ſemper delirium, licet non ita ferox ac in praecedenti, adeſſe monet Cl. Auctor. Affirmat enim in genere *delirium omnibus membranarum et neruoſorum viſcerum in-*
p. 134. *flammationibus proprium eſſe.* Has excipit *angina*, quae morbus faucium, laryngis nempe vel pharyn-

gis

gis eſt. Eſt autem duplex, vel inflammatoria, vel catarrhoſa. Vtramque accurate diſtinguit, et quamlibet ſeorſim examinat. Hanc ſequitur *peripneumonia,* quae pulmonis; *pleuritis*, quae pleurae; et *pleuro-pneumonia,* quae utriuſque inflammatio eſt. Omnes, ceteris paribus, in initio venae ſectione mitigare, reliqua reſoluentibus perficere tentat. Quando autem latus *ſiniſtrum* in pleuritide frequentius dextro affici aſſerit Cl. Auctor, mendum typographicum hic latere, et *dextrum* legendum eſſe ſuſpicamur. Progreditur ad hepatis inflammationem, quae *hepatitis* dicitur. Ob nexum tranſit ad *ventriculi ac inteſtinorum inflammationem.* Doctrinam inflammationum finit *nephritide*, quae lumbos et renum regionem occupat. Haec licet duplex ſit inflammatoria ſcilicet et ſpuria, de illa tantum hic agit: ſpuriam vero, quia rurſus in calculoſam et rheumaticam ſubdiuiditur tam ad morbos viarum urinariarum, quam ad rheumatismum remittit. Accedit ad *haemorrhagias.* Ex p. 160.
triplici cauſa hae fiunt, vel ex vaſis disruptis, et nimium ad latera diſtentis, vel ex dilatatis eorum oſtiolis. Haemorrhagiae ex locis conſuetis prouenientes non adeo periculoſae ſunt, quam illae, quae ex minus conſuetis vel prorſus alienis prodeunt. Dantur et haemorrhagiae criticae. In genere autem prudenter monet Cl. Auctor haemorrhagias non ſubito eſſe ſiſtendas, ſed circumſtantias perpendendas. Haec in primis probat de haemorrhagiis narium, quas vel idiopathice, vel ſymptomatice, vel critice ſanguinem fundere perhibet. Omnes haemorrhagias narium bonas iudicandas cenſet, quae cum leuamine aegroti fiunt. Si modum excedunt, venae ſectionem in primis, et deinde remedia interna et externa commendat. Maioris periculi eſt *haemopti-* p. 167.
ſis, ſiue *haemoptoe,* quando ſanguis ex pulmonibus cum tuſſi et ſcreatu reiicitur. Minime omnis ſanguinis reiectio ad haemoptyſin referenda, ſed locus

 exami-

examinandus eſt, unde venit. Quia cauſae, quae illam excitant, variae ſunt, cura etiam pro earum conditionibus inſtituenda eſt. Venae ſectio in pede larga praemitti debet, deinde medicamenta eligenda, quae et acrimoniam demulcent, et corpus nutriunt; obſeruata ſimul accurata diaeta. Cum haemoptyſi aliquo modo conuenit *vomitus cruentus*, ſed differt ratione loci, unde ſanguis prouenit. Si enim ex ventriculo per vomitum reiicitur, vomitus cruentus audit. Ad hanc igitur diſtinctionem in cognoſcendo et curando morbo ſedulo attendendum eſt. Ad haemorrhagiarum tractationem, doctrinae cauſa, refert
p. 175. Cl. Auctor quoque *menſtruorum vitia*, quae ſexui ſequiori tantum familiaria ſunt. Docet igitur, quomodo eis feminis medendum, quibus vel iuſto plus, vel iuſto minus, vel prorſus non menſtrua fluunt, adhibita ſemper ea cautione atque circumſpectione, quae rationalem et prouidum medicum decent. Multum ſimilitudinis cum fluxu menſtruo habet *fluxus haemorrhoidalis*. Hic tamen nunquam naturalis eſt, ſed ſemper praeter naturam accidit. Parem igitur inquiſitionem et attentionem requirit, cui Cl. Auctor
p. 191. in omnibus ſatisfacit. Ad hanc morborum cateruam pertinet et *mictus cruentus*, quando ſanguis cum urina excernitur. Hunc, perquiſitis cauſis, quoque leuare, et, ſi fieri poteſt, curare monſtrat. Reſtant varices, quos ex ſuis cauſis explicat, eorumque mede-
p. 196. lam adiungit. Tranſit nunc ad *morbos ſyſtematis lymphatico-ſeroſi*, ſeu humorum, licet, ut bene annotat, cauſa in ſolis humoribus non ſemper haereat, ſed etiam in ſolidis. Chronici hi ut plurimum dicuntur, et potiſſimum ſine febre ſunt. In horum numerum refert cacochymiam et cachexiam, hydropem, ſcorbutum, ſcabiem, luem veneream, malum hypochondriacum, atrophiam et tabem, rheumatiſmum et tandem arthritidem. *Cacochymiae* et *cachexiae*, quae maior cacochymiae gradus Cl. Auctori audit,

audit, addit *leucophlegmatiam.* Materia viſcida in his morbis reſoluta, et ad maximam partem leniter euacuata, quod thermas carolinas et acidulas ferratas in primis praeſtare dicit, roborantia, corticem ſcilicet peruuianum et martialia commendat. *Hydro-* p. 205.
pem, ſub quo oedema, anaſarcam, aſciten cum uteri hydrope et teſtium tumore aquoſo, qui hydrocele adpellatur, comprehendit, euacuantibus quidem tentat, ſed draſtica, quae ſolidorum robur nimis infringunt, reiicit: diuretica autem, v. c. plantas alcalinas, ſuccum millepedum viuorum et radicem ſquillae prae aliis laudat. *Scorbuti* indolem et natu- p. 219.
ram nunc explanat, et ea, quae experientia illum de hoc morbo docuit cum obſeruationibus Cl. LIND comparat. *Scabiem,* ad cuius familiam ſerpiginem, p. 227.
impetiginem, lichenem, pſoram et lepram graecorum ac arabum refert, in ſiccam et humidam diuidit, et purgantibus, corrigentibus, expellentibus et ſpecificis ſanare inſtruit. Nec omittit, ſi ſcabies diutius durat, externa remedia, e quibus flores ſulphuris, ceruſſam et alia ex plumbo parata, quibus tamen caute uti monet, concedit, quamuis ab ultimis, ut verum fateamur, tutius prorſus abſtineremus. De ſcabie quoque retropulſa quaedam adiicit, quam reuocare aptis remediis ſuadet. *Luem veneream* vete- p. 235.
ribus ignotum morbum autumat, et circa finem ſeculi decimi quinti ex India occidentali in Europae regiones translatam, et per contagium communicatam credit. Huius curam, pro morbi gradu vel decoctis, vel mercurio tentare ſtudet. A ſaliuatione non abhorret. Num vero haec additione ſulphuris vel camphorae mitigari poſſit, nondum certe determinat, ſed ambigue tantum diſputat. Meminit quoque nouae illius methodi, ab Ill. VAN SWIETEN commendatae, qui nec mercurium ſublimatum corroſiuum in uſum vocare reformidat. Ipſe fatetur Cl. p. 248.
Auctor quibusdam abſonum videri poſſe, quod *ma-*

 lum

lum hypochondriacum ad morbos ſyſtematis lymphatico-ſeroſi reducat. Quum vero hunc morbum tanquam peculiarem cacochymiae ſpeciem, *quae in lymphae viſciditate et acrimonia atrabilaria, vel ei ſimillima conſiſtit*, conſiderat, id eo ſe excuſandum putat. Huius morbi tres conſtituit gradus, quos congruis remediis, inter quae aquae minerales eminent, mitigare et curare contendit: licet in debilitatis corporibus, illis remediis praemiſſis, corticem peruuianum
p. 258. et martialia non excludat. De *atrophia* et *tabe*, quamuis in febrium lentarum doctrina plurima iam praemonuerit, quaedam adhuc addit, et, quum in utraque nutritionis defectus praecipue accuſetur, hecticam et phtiſin huc reducit: quibus atrophiam infantum tandem adnectit. His igitur, pro cauſarum diuerſitate, mederi docet, dum praecipua momenta
p. 262. in exemplis declarat. *Rheumatismum*, etiamſi multa communia cum arthritide habere ipſe cognoſcat, ſeorſim tamen, quum ratione ſedis differat, et eos quoque adeat, qui a morbo articulari immunes ſunt, pertractat. Hunc in catarrhalem, ſcorbuticum et inflammatorium diuidit, omniumque cauſam primariam in ſubitaneo corporis refrigerio, vel perſpiratione ſuppreſſa ponit. Perſpirationem igitur inſenſibilem diluentibus, reſoluentibus et corrigentibus, quibus frictionem moderatam addit, reſtituere ſuadet.
p. 267. Rheumatismum excipit *arthritis*, quae dolor eſt articulorum cum rigiditate, immobilitate et tumore partium plus minus inſigni coniunctus. Si materia morboſa ex uno loco in alterum tranſit, vaga audit: quod ſi in uno alteroue articulo quieſcit, fixa. A loco, quem occupat, chiragra, gonagra, podagra, vel malum iſchiadicum dicitur. Arthritidem, ut rheumatismum, in catarrhalem, ſcorbuticam et inflammatoriam diſtingui poſſe opinatur. Cauſam huius proximam in humoribus viſcidis et acribus retentis quaerit: ad praediſponentem autem, ſi ſpectes,

contagio

contagio et haereditate hunc morbum interdum propagari aſſerit. Morbi acceſſum febris ſymptomatica ſaepe comitatur. In paroxyſmo ipſo parum vel nihil audendum iure praecipit Cl. Auctor; quare nec grauiores dolores in ipſo paroxyſmo opiatis miteſcere permittit: omnem contra curationem extra paroxyſmum ſuſcipiendam poſcit; ubi thermas carolinas aliasque minerales aquas, in primis ferratas, optimum in hoc morbo praebere remedium prophylacticum ſtatuit. Succedunt *morbi ſyſtematis neruoſi*, ſub qui- p. 279.
bus Cl. Auctor illos *abſconditos et vix declarandos c. h. morbos* intelligit, *qui in cerebro et connexo ſyſtemate neruoſo* oriuntur. In horum examine minime ſubtili theoriae, quae plerumque hypotheſibus nititur, indulget, ſed experientiam, ut fideliſſimam magiſtram, conſulit, medendi methodum ſemper diſponendo ad therapiam generalem. Primum locum inter hos occupant *vertigo* et *morbi ſoporoſi*, quorum cauſam proximam in ingrata quadam cerebri et neruorum ponit affectione: impeditum enim et inordinatum fluidi neruei motum tanquam effectum huius ingratae contemplatur ſenſationis. Praediſponentes et occaſionales varias agnoſcit. Morbos ipſos diſtinguit in idiopathicos et ſymptomaticos, quibus pro cauſarum varietate occurrere monſtrat. Clysmata in omni fere caſu concedit, reliqua remedia caute adhibenda monet. Vertiginem ſaepe excipit *apoplexia*, p. 289.
cuius cauſam non nulli in affecto cerebro, et laeſo deinde cerebello latere arbitrantur, quam ſententiam tamen nondum ſatis declaratam Cl. Auctor pronuntiat. Maioris utilitatis cenſet diſtinctionem in ſanguineam et ſeroſam, ad quam ſedulo in praxi reſpiciendam urget. Quando vero in apoplexia ſeroſa venaeſectionem in brachio, moderatiorem quidem, proficuam interdum iudicari ait: maxima cum circumſpectione haec intelligi, atque tentari velimus. Certe enim in apoplexia vere ſeroſa V. S. citius ne-

 cat.

cat. Tutiora et certiora videntur vomitoria, quae
p. 297. in eadem paragrapho ſuadet. Apoplexiam niſi ea interficit, plerumque ſequitur paralyſis, quare etiam prioris cauſas repetendas, et in curatione remedia, in apoplexia laudata, eligenda et hic quoque adhibenda perhibet. Febrem apoplexiae et paralyſi ſaepe ſuperuenientem caute moderandam imo, ſi opus, excitandam praecipit. Commendat praeter ea remedia externa, partibus laeſis adplicanda, v. c. balnea, epithemata, ſtillicidia aquarum mineralium, urticationes, et q. ſ. r. Concuſſioni electricae, praeſertim in ſpongioſis et laxis corporibus non omnem vim
p. 303. abnegat. Conuulſionum nunc Cl. Auctor proponit doctrinam, eos tamen, qui pleniorem poſtulant notitiam, ad ampliſſimam BARTHOLOMAEI DE MOOR tractationem, quam in *Pathologia cerebri* exhibuit, relegat. Varias interea huius morbi indigitat cauſas, quae pro earum diuerſitate idiopathicas et ſymptomaticas excitant conuulſiones. Tanquam ſpecifica in hoc morbo extollit moſchum, ambram et caſtoreum. Multum connexionis cum conuulſionibus habet *epilepſia*. Vtraque enim in inuoluntaria et violenta contractione muſculorum conſiſtit; in epilepſia accedit tantum plenaria abolitio ſenſuum externorum et internorum: hinc cauſas et methodum medendi utriusque morbi multum conuenire dicit. Diſtinguit illam quoque in idiopathicam et ſymptomaticam, quae ultima infantes frequentius adit. In ſpecificorum numerum refert Cl. Auctor viſcum quernum, radicem valerianae et oleum animale DIPPELII, quod tamen eum ſaturato decocto ligni guaiaci et ſtrobulorum pini in aptis tantum ſubiectis tentare ſuadet. De cranio humano et ungula
p. 312. alcis iudicium ſuum ſuſpendit. *Lipothymiam* et *ſyncopen*, quia earum cauſam proximam in male affectis neruis quaerit, ad morbos ſyſtematis neruoſi refert, et, quomodo eiusmodi aegroti excitari et curari debent,

bent, oſtendit. Quum vero homines praeſertim foeminae, malo hyſterico laborantes ſyncope paulum diuturniore adeo vexantur, ut mortis imaginem prae ſe ferant, remedia et experimenta docet, quibus praecaueri poteſt, ne viuae ſepeliantur. *Melancholiam* atque *maniam* tandem ſubnectit Cl. Auctor in quarum expoſitione ſimul lectores remittit ad ea, quae de malo hypochondriaco dixit: reliqua tamen, quae illos morbos ſpecialiter diſtinguunt, ſuper addit. Melancholiam definit, quod ſit delirium pertinax ſine febre, quod ſi ferox eueniat, manca dicatur. Eiusmodi delirium etiam ſine materia a ſola phantaſia laeſa non nunquam excitari poſſe bene animaduertit. Vtrumque morbum perſcrutari, dignoſcere, ab aliis diſcernere et denique ſanare erudit. Meminit hac occaſione deliriorum a morſu animalium rabidorum vel venenatorum oriundorum, quorſum in primis hydrophobia pertinet. Sequitur *Pars ſecunda*, quae morbos *particulares*, capitis nimirum pectoris, abdominis, et, appendicis loco, morbos grauidarum, puerperarum et infantum complectitur. Hos etiam ſingulatim recenſere et praecipua excerpere et annotare deberemus. Verum hocce labore ſuperſedere poterimus. Veremur enim, ſi pergamus, ne lectoribus noſtris repetitione unius eiusdemque tradendi methodi, qua in explicandis morbis, et docenda eorum cura Cl. Auctor uſus eſt, moleſti fiamus. Ex praecedentibus lectores b. ſatis ſuperque cognoſcent, quid praeſtitit, quemque doctrinae ordinem obſeruauit. Fidere enim nobis tuto poſſunt Cl. Auctorem reliquos morbos particulares eodem ordine, eadem diligentia, eademque ſollertia abſoluiſſe, ita quidem, ut morborum notiones et definitiones praemiſerit, eorum differentias explanauerit, cauſas, ſepoſitis omnibus hypotheſibus, perueſtigauerit, ſigna expoſuerit, prognoſin formauerit, et curam tandem, ſiue methodum meden-

p. 315.
p. 322.

 di,

di, non negleƈtis cautelis, adiecerit. Habebunt igitur medicae artis profeſſores et doƈtores manuduƈtionem, ordine ſimplici et naturali, elaboratam, conciſam atque breuem, ad quam diſcipulos ſuos ſine ambagibus ducere atque docere poſſunt. Habebunt et tyrones filum, ad quem ſe tenere, et vias deuias flexusque euitare queunt. De fide autem atque ingenuitate Cl. Auƈtoris ambo certi atque perſuaſi eſſe debent, illum nihil temere tentaſſe, nihilque reticu-
p. 490. iſſe, quod illi ſcitu dignum viſum fuit. Ad finem libelli Cl. Auƈtor medicamentorum formulas adiecit, quibus in medicina facienda plerumque uſus eſt. De his ipſe monet tyrones, ne coeci hisce inhaereant, ſed illas pro circumſtantiarum conditione atque varietate mutent, nouasque ab aliis medicis praeſtantiſſimis commendatas experiantur.

IX.

D. PHILIPPI ADOLPHI BOEHMERI, Med. et Anat. Prof. in Regia Fridericiana Publ. Ord. Imp. Acad. Natur. Curioſ. nec non Reg. Scient. Boruſſ. Sodalis. Obſeruationum anatomicarum rariorum faſciculus alter notabilia circa uterum humanum continens cum figuris ad viuum expreſſis. Halae apud I. I. Gebauer, 1756. fol. mai. pl. 17. tab. aen. 8.

Promiſſis ſuis quum ſteterit Cl. Auƈtor, atque rariores cum orbe erudito communicauerit obſeruationes, nos quoque earum iam mentionem libenter facimus atque datam fidem exſoluimus. * Occurrunt nempe hic quinque illae obſeruationes, in primo faſciculo propoſitae, eodem doƈtrinae atque ingenii candore elaboratae. In ipſa quoque praefatione

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 247 ſeqq.

tione eundem ſeruatum fuiſſe ordinem inuenimus, atque ſingularia quaedam ex variis corporum diſſectionibus adnotata: Vidit ſcilicet faſciculum muſculoſum ex pectorali maiore ad brachialem internum delatum: ſtylohyoideum dextrum muſculum deficientem: ulcus in cerebro calloſum cum excreſcentia fungoſa, quod conuulſiones excitauerat frequentes: ſpecialem hydropem renum, ubi in praegrandibus renibus eorumqne membrana adipoſa flaueſcens ſerum coaceruabatur; renem dextrum duplo naturali maiorem, ſiniſtrum minorem; ureterem dextrum duplicatum, paullo poſt confluentem; deinde in recens nato ante limbum inteſtini recti renitens clauſtrum membranaceum, quo aperto effluxit quidem meconium, breui tamen poſt, ſphacelata dextri coli parte, obiit infans: tandemque tumorem lumbarem cum ſpina bifida, breui letiferum.

Quo facto Cl. Auctor propius ad conſiderandas obſeruationes accedit, et quum de prima alibi diximus, nunc ad *ſecundam* nos conuertimus, quae inſcribitur *de concremento oſſeo-lapideo in uteri cauo reperto iuncta conceptione tubaria perfecta et imperfecta.* Notatu omnino digniſſimus hic caſus occurrit in femina triginta ſex annorum, quae ſaepe iam pepererat, ante aliquot vero annos infirma utens valetudine, de duro quodam ſiniſtri hypogaſtrii dolore conqueſta eſt, mutabili, catameniis inſtantibus, magnitudine; grauida tamen facta praemature bimeſtrem foetum expulit, tandem ultimo ante obitum menſe in latere dextro iliacaque eius regione dolorem nouum perſentiſcebat, et ſuperueniens febris acutiſſima inflammatoria vitae finem faciebat. In cadauere diſſecto praeter alia praecipue uterus accuſandus eſſe videbatur, quippe qui, quum reliquae partes rite ſeſe haberent, magnitudinem uteri duorum menſium referebat. Apertum eius cauum oſtendebat corpus durum, ſphaeroideum, cyſtide membranacea incluſum, p. 13.

ſum, quae reticulari textura utero iungebatur partim, partim cum utero concreſcebat. Corpus quidem extus ſubſtantiam oſſeo lapideam, intus fibroſo-ſpongioſam habebat, cum qua utraque ſubſtantia ad veram eius naturam indagandam varia inſtituit tentamina Noſter. Ouarium deinde dextrum turgens et inflammatum reperiebatur, cauitatibus minoribus duabus et collapſis inſtructum: tuba vero in principio et medio loco conſtricta, reliquum expanſa erat, duobusque maiori et minori tuberculo conſpicua. *Maius* veſicula erat, qua aperta effluens humor relinquebat foetum placenta ſua tubae connexum, *minus*, ad longitudinem diſſectum pariter veſiculam, ſed duplicatam comprehendebat, tela celluloſa et vaſculoſa iunctam, in qua corpuſculum carneum fibroſo vaſculoſum, ex ſtratis concentricis conſtans, deliteſcebat.

Inſtituta autem paullo curatior contemplatio et diſquiſitio coegit Cl. Auctorem, ut in tribus de ſingulari hoc caſu ſectionibus ſigillatim ageret, quare *primo*, de embryone in tuba dextra Fallopiana reperto, *ſecundo* de detecto in eadem corpore vaſculoſo-fibroſo, propria membrana incluſo, et *tertio* de concremento oſſeo-lapideo, mediante capſula membra-
p. 17. nacea, uteri cauo adfixo, diſſeruit. Prima itaque ſectio omnia concinne conſiderat, quae de natura conceptionis tubariae dici poſſunt, argumentis exemplisque auctorum ſtudioſe collectis confirmata, cuius tamen certa et diſtincta, ab alia conceptione vitioſa, ſigna dare recte negatur, aliquando autem
p. 30. caeſarea ſectione tolli poſſe euincitur. Altera porro ſectio molarem eſſe conceptionem demonſtrat, atque impedimenta perpendit, quae progreſſum oui ad uterum, verique embryonis ulterius incrementum
p. 35. cohibuerint. Tertia tandem de concremento oſſeo-lapideo in uteri cauo ſic exponit, ut generales cyſticorum tumorum dotes explicentur, atque eadem cum facilitate in utero, ac aliis in locis cyſticum tu-

morem

morem atheromatodem generari poſſe comprobetur, adducto exemplo viri ſexagenarii, cui tumor tunicatus, ex atheromate et ſteatomate compoſitus, inter muſculos vaſtos ſederat.

Tertia, quae in ordine ſequitur, obſeruatio *anatomen tam tumoris tunicati, ex atheromate et ſteatomate compoſiti, intra ſubſtantiam quidem fundi uterini enati, ſed externe tantum protuberantis; quam ouariorum praeternaturalium alio in ſubiecto deprehenſorum, unius nimirum hydropici, binorum autem ſubſtantiam cartilagineam continentium*, complectitur. Duo hic referuntur caſus, quorum in priore enatus ex fundo uteri tumor, cum quo per telam fibroſam nectebatur, cruſta dura et oſſea fere tegebatur, intusque pultaceam fouebat materiem, alter autem de ſterili femina, tandem cachectica et corrupto ſero ſcatente exponit, quae tubas FALLOPII concretas ſecum circumferebat. Cum hoc autem ſero, in hydropico ouario deprehenſo, ſequentia inſtituit Cl. Auctor experimenta; liquoris uncia dimidia euaporata, in coagulum abiit, quod exſiccatum friabile euaſit, et in carbones reiectum totum abſumtum eſt. Spiritus vitrioli pariter, inſtillatus, coagulum exhibuit album, maiori caloris gradu croceum redditum, nitri vero ſpiritus coagulum, mucilaginis inſtar tragacanthae produxit, exſiccatum myrrhae colorem induens: ſpiritus ſalis coagulum dedit variae grauitatis, exſiccatum conſiſtentiam gummi ſagapeni referens: ſpiritus vini rectificatiſſimus praecipitationem ad inſtar tincturae benzoes produxit, oleum vero tartari per deliquium et nitrum fluiditatem auxerunt, ſyrupus violarum mutationem paſſus eſt nullam, nec liquor iniectus igni eius pabulum fuit. p. 43.

Obſeruatio quarta recenſet *monſtrum bicorporeum*, cuius capita, pectora et ventres inter ſe coalita apparebant, extremis vero utriuſque corporis liberis. Primo in ortum monſtrorum breuiter inquirit Noſter, p. 49.

ſter, eademque ex animalculis ſpermaticis oriri adſerit, et vel in iisdem praeexiſtere, vel ex eo naſci, ſi duo animalcula ouuli unius cicatriculam ingrediuntur: deinde de diſſectione viſcerum, thoracis atque infimi ventris monſtri deſcripti varia, additis iconibus, tradit. Partes in abdomine pleraeque duplicatae erant, hepar duplex, unum ſuper, alterum ſub inteſtinorum tractu ſitum, uterus duplex, ſed ventriculus unicus, ad longitudinem dependens, cui et unicus lien adhaerebat, pancreas unicum, duodenum et ieiunum ſimplex, ileon duplex, prout colon et rectum, in thorace ſterna duo, cor duplex, et pro ratione ſitus horum viſcerum, ramificationum quoque in vaſis varietates animaduertebantur, quarum delineationes hic ſimul proponuntur, quae curatius intuenti admirationem mouent, noſtraeque intelligentiae imbecillitatem produnt.

p. 56. *Obſeruatio quinta de utero humano bifido et bicorni cum vagina duplici* agit. Detectus eſt ille uterus in cadauere uxoris quinquaginta ſex annorum, quae ex ulcere ſordido dextri pedis, maligno et ſphacelato obierat. Erat nempe ſeptum membranaceum, calloſum, quod pudoris ſinum diuidebat, vagina duplex, ſed, mediaſtini ad inſtar, medio coalita loco, deſinens inter uteri cornua, quae orificio ſuo utrinque in vaginam aperiebantur. Haec autem cornua ſpongioſo fibroſa, euidenti oſtiolo in adnexas deſinebant tubas, nec non extremo eorundem ouaria adhaerebant.

p. 61. *Obſeruatio ſexta* exponit *de vaſis peluis in ſpecie vero ad uterum ac vaginam tendentibus, nec non orificio uteri praeter naturam clauſo.* Sua quoque animaduerſione confirmat Cl. Auctor, vaſorum uterinorum origines atque diſtributiones multum variare, quae ipſe inuenerit, candide hic exponit et nitida icone expreſſit. Praecipue notatu dignum eſt, oſtium uteri

uteri plane deeſſe, nec cicatricem quidem apparuiſſe, ut a natiuitate illud defuiſſe credendum ſit.

Obſeruatione ſeptima proponitur *plenaria orificii uteri prolapſi et in magnam molem extenſi cnm vagina relaxata concretio, et nimia ſimul cum hac connexa veſicae urinariae craſſities.* Ex mala poſt infelicem partum tractatione hic contigit prolapſus, uterique orificium ad inſtar ſarcomatis in ingentem extenſum fuit molem, atque concretum. Praeter haec autem magna adfuit veſicae urinariae craſſities, in primis, quod ad tunicam muſcularem pertinet, quae rarius ſolet ita inueniri, ſiquidem ſubſtantiam quaſi referebat ſpongioſam fibroſamque, quae ad nerueam uſque pertingebat funicam. p. 65.

X.

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes, quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLERVS. Tomus primus, ad morbos capitis et colli. Lauſannae, ſumtibus M. M. Bouſquet et ſoc. 1757. 4. alph. 3½. Tab. aen. 2. Tom. II. ad morbos pectoris ib. eod. alph. 3. pl. 19. tab. aen. 4. Tom. III. ad morbos abdominis. ibid. eod. alph. 3. pl. 12½. tab. aen. 6.

Cum collectio diſſertationum chirurgicarum, quibus praecipua huius doctrinae capita explicantur et quam ſuo tempore indicauimus * communi applauſu excepta ſit **; ſimile inſtitutum in conſideratione

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 710 ſeqq. et Vol. VI. P. II. p. 226 ſeqq.

** Pariſiis etiam diſſertationes hae, ita tamen contractae, ut ex qualibet earum id tantum, quod rei caput eſt, prima-

ratione morborum internorum utile fore praeuidit Ill. Collector, qui diſſertationes, quae hiſtoriam morborum illuſtrant, in varia volumina coegit, ſingulares etiam obſeruationes et epiſtolas ad Cl. viros datas adiunxit. Ex his non nullarum titulos indicare voluimus, quo ſelectum hac in re factum breuiſſimis oſtenderemus, re tamen accuratius perpenſa ſatius duximus omnium indicem ſiſtere, quo in noſtris commentariis conſpici queat, quae diſſertationes in his voluminibus contineantur.

Tomus primus ad morbos capitis et colli continet: 1) IO. NICOL. PECHLIN Diſſ. *de apoplexia.* Leid. 1667. 2) IO. STEPH. DESHAIS Diſſ. *de hemiplegia per electricitatem curanda.* Monſpel. 1749. 3) SAM. THEOD. QVELLMALZ Progr. *de viribus electricis medicis.* Lipſ. 1753. 4) Diſſ. *exhibens conſectaria electrico-medica,* Praeſ. CAROL. LINNAEO. Reſp. *Petr. Zetzell*, Vpſal. 1754. 5) Diſſ. *de epilepſia ex depreſſo cranio*, Praeſ. MATTHIA ERN. BORETIO, Reſp. *I. Godofr. Arnoldt.* Regiomonti, 1724. 6) Diſſ. *de morbo epidemico ſpasmodico conuulſiuo contagii experte.* Praeſ. CAROL. AVG. A BERGEN, Reſp. *I. Mart. Frider. Müller.* Francof. ad Viadr. 1742. 7) Diſſ. *de paralyſi brachii unius et pedis alterius lateris dyſentericis familiari.* Praeſ. PHIL. CONR. FABRICIO, Reſp. *I. Georg. Albrecht Kipping.* Helmſt. 1750. 8) SAM. THEOD. QVELLMALZ Progr. *de muſculorum capitis extenſorum paralyſi.* Lipſ. 1754. 9) HENR. LVDOLPH. HARMES Diſſ. *in cauſas morborum et mortis ſubiecti cuiusdam maniaci.* Regiomont.

primariumque argumentum depromptum ſit, ſermoni traditae gallico prodierunt, et inſcribuntur: *Collection de theſes medico-chirurgicales ſur les points les plus importans de la Chirurgie Theorique et Pratique, recueillies et publiées par M. le* BARON DE HALLER *et rédigiées en françois par* M.* 1757. *à Paris*, 12.

mont. 1744. 10) I. WOLFFG. FRID. BOENNEKEN *biga caſuum medicorum de mania obſeruatorum.* Werthemiae, 1744. 11) Diſſ. *de Noſtalgia*, Praeſ. IO. IAC. HARDER, Reſp. *Io. Hofer.* Baſil. 1678. 12) Epiſtola FRID. LEBEGOTT PITSCHEL *de hydrocephalo interno.* Lipſ. 1741. 13) Diſſ. *de apoſpaſmate piae matris*, Praeſ. ALEX. CAMERARIO, Reſp. *Theoph. Frid. Faber.* Tubing. 1722. 14) Diſſ. *de duobus oſſiculis in cerebro humano mulieris apoplexia extinctae repertis.* Praeſ. IO. VALENTIN. SCHEID, Reſp. *Marco Mappi.* Argentor. 1687. 15) Progr. IVST. GODOFR. GÜNZII *de lapillis glandulae pinealis, in quinque mente alienatis, inuentis.* Lipſ. 1753. 16) Progr. ABR. VATER *de plica polonica rariſſima.* Witteberg. 1748. 17) Diſſ. exhibens *ſingulares obſeruationes de plica polonica.* Praeſ. GEORG. FRID. STABEL, Reſp. *Stephan. Mackio.* Halae, 1724. 18) Progr. GEORG. ERN. STAHL *de fiſtula lacrymali.* Halae, 1702. 19) Diſſ. *de ophthalmia venerea et peculiari in illa operatione.* Praeſ. ALEX. CAMERARIO, Reſp. *Iul. Frid. Breyer.* Tubing. 1734. 20) Diſſ. *qua viſus vitia duo rariſſima, alterum duplicati, alterum dimidiati phyſiologice et pathologice conſiderata exponuntur.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Chriſtian. Heinicke.* Witteberg. 1723. 21) I. I. KLAVHOLD Diſſ. *de viſu duplicato.* Argentor. 1746. 22) Diſſ. *de nyctalopia.* Praeſ. CAROL. AVG. A BERGEN, Reſp. *I. Chriſtian. Weiſe.* Francof. ad Viadr. 1754. 23) Progr. CAROLI FRID. KALTSCHMIED *de neruis opticis in cadauere latis inuentis a compreſſione per undas facta cauſa ante mortem ſubſecutae guttae ſerenae.* Ienae, 1752. 24) Progr. SAM. THEOD. QVELLMALZ *de narium earumque ſepti incuruatione.* Lipſ. 1750. 25) Diſſ. *de verme naribus excuſſo.* Praeſ. IO. SALZMANN, Reſp. *Erneſt. Chriſtian. Honold.* Argentor. 1721. 26) Diſſ. *de ſaliuatione mercuriali.* Praeſ. BERNH. ALBINO, Reſp. *Georg. Conr. de*

Horn. Francof. ad Viadr. 1689. 27) Diſſ. *de ſaliuatione critica in morbis acutis et chronicis.* Praeſ. CHRISTIAN. RÖPER, Reſp. *Abr. Flaminio Gaſton.* Halae, 1702. 28) Progr. SAM. THEOD. QVELLMALZ *de ptyaliſmo febrili.* Lipſ. 1748. 29) Diſſ. *de ſaliuatione ſine ſaliuatione.* Praeſ. ELIA CAMERARIO, Reſp. *Georg. Tob. Weiſsmann.* Tubing. 1711. 30) Progr. SAM. THEOD. QVELLMALTZ *de hydrargyri viribus a ſulphure ſuſpenſis.* Lipſ. 1748. 31) Diſſ. *an per ſuffitum felicior et tutior, quam per inunctionem mercurialem, morbi venerei curatio?* Praeſ. I. DAMIAN CHEVALIER, Reſp. *Lud. Renat. Pet. Fel. le Thieullier.* Pariſ. 1752. 32) IAC. GRAINGER Diſſ. *de modo excitandi ptyaliſmum et morbis inde pendentibus.* Edimburg. 1753. 33) Theſis in ea verba: *Ergo lui venereae hydrargyrus, camphoratus.* Praeſ. HENR. MICH. MISSA, Reſp. *Guidon. Dan. Despatureaux.* Pariſ. 1756. 34) CHRIST. AREND. SCHERER Diſſ. *de calculis ex ductu ſaliuali excretis.* Argentor. 1737. 35) MARCI MAPPI Diſſ. *de gurgulionis prolapſu.* Argentor. 1660. 36) Theſis, *an in ulcere tonſillarum gangraenoſo, antiſeptica?* Praeſ. GEDEON DE RABOVRS, Reſp. *Carol. Aug. Vandermonde.* Pariſ. 1749. 37) Progr. SIMON. PAVL HILSCHER *de inſigni quodam raucedinis remedio.* Ienae, 1747. 38) Diſſ. *de deglutitionis difficilis et impeditae cauſis abditis.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *Frid. Aug. Im. Zinckernagel.* Witteb. 1750. 39) ALEX. BRVCE Diſſ. *de hydrophobia.* Edimburg. 1755. 40) Diſſ. *de Alyſſo claue.* Praeſ. RVDOLPH. IAC. CAMERARIO, Reſp. *Theod. Chriſtoph Scharff.* Tubing. 1709.

Tomus ſecundus ad morbos pectoris. 41) TIBERII LAMBERGEN Lectio inaugur. ſiſtens *ephemeridem perſanati carcinomatis.* Groningae, 1754. 42) Theſis, *ergo puerorum tuſſi clangoſae, vulgo Coqueluche, emeſis.* Praeſ. LVDOV. CLAVD. BOVRDELIN,

LIN, Reſp. *I. Bapt. Baſſeville.* Pariſ. 1752. 43) Diſſ. *de rhoncho infantis ex ulcerum paroticorum intempeſtiua curatione variis ſymptomatibus ſtipato.* Praeſ. I. HADRIAN. SLEVOGT, Reſp. *I. Sebaſt Buchelmann.* Ienae, 1699. 44) Diſſ. *de Tuſſi*, pars prior theoretica. Praeſ. NICOL. ROSEN, Reſp. *Eberhardo Nicolai Fratre.* Vpſal. 1739. 45) *Eiusd.* Diſſ. pars poſterior practica. Vpſal. 1741. 46) THEOD. FORBES Diſſ. *de tuſſi conuulſiua.* Edimburg. 1754. 47) Diſſ. *de Spadone Hippocratico lapicidarum Seebergenſium haemoptyſin et phthiſin pulmonalem vulgo der Seeberger Steinbrecher - Krankheit, praecedente.* Praeſ. GEORG. DAN. COSCHWITZ, Reſp. *Io. Bubbe.* Halae, 1721. 48) Diſſ. ſiſtens *caſum aſthmatis a depreſſione ſterni ex febre purpurata, cum orthopnoea affligente reportati, ſola thoracis artificiali conſtrictione curati.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *Io. Otto Arnold.* Witteb. 1730. 49) Diſſ. ſiſtens *aegrotum aſthmaticum uſu radicis ſcillae ſubleuatum.* Praeſ. IO. HENR. SCHVLZE, Reſp. *Carol. Aug. Schröter.* Halae, 1735. 50) I. GERARDI WAGNER Obſeruationes I. *de febre quadam acuta in tractu Germaniae mari balthico vicino ac praeſertim Lubecae obſeruatae*; 2. *de admirandis quibusdam ſcillae in puluere exhibitae virtutibus.* Lubec. 1737. 51) Diſſ. *de pleuritide aeſtiua rarius occurrente.* Praeſ. DAN. WILH. TRILLER, Reſp. *Frid. Henr. Krieger.* Witteb. 1752. 52) Diſſ. *de pleuritide maligna miliaribus critice ſoluta.* Praeſ. ALEX. CAMERARIO, Reſp. *I. Georg. Seeger.* Tubing. 1735. 53) Theſis, *ergo peripneumoniae putridae vomitoria.* Praeſ. GABR. ANTON IACQVES, Reſp. *Cl. Thom. Guil. Guilbert de Preval.* Pariſ. 1750. 54) Diſſ. *de venaeſectionis ſaepius in peripneumonia repetitae uſu eximio ſingulari caſu comprobato.* Praeſ. ANDR. ELIA BÜCHNER, Reſp. *Adam Frid. Krauſſe.* Halae, 1753. 55) I. GERARDI WAGNER Diſſ. *de haemoptoes in primis vero habitualis ſeu phthiſicae expeditiori*

tiori quadam efficaciorique curatione. Lipſ. 1742. 56) Diſſ. ſiſtens *vomicae pulmonis et vicinarum glandularum laeta et triſtia exempla.* Praeſ. IO. HADRIAN. SLEVOGT, Reſp. *Chriſtophor. Granzin.* Ienae, 1708. 57) Diſſ. *qua deriuationem puris ex pectore in bronchia, ad* GALENVM, *de loc. affect. lib. 5. cap. 3. exponitur.* Praeſ. IVST. GODOFR. GÜNZ, Reſp. *Io. Henr. Schmid.* Lipſ. 1738. 58) Diſſ. *de Phthiſi.* Praeſ. GEORG. ERN. STAHL, Reſp. *Chriſtian. Feder.* Halae, 1704. 59) POLYCARP. GOTTL. SCHACHER Progr. *quo inciſio phthiſici continetur cadaueris.* Lipſ. 1730. 60) Diſſ. *qua febris tertiana ob empyema e vomica pulmonis rupta in cauitatem pectoris dextram effuſum, indeque pulmonem huius lateris compreſſum penitusque ab officio remotum mortem poſt ſe relinquens exponitur.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Ephraim Mutillet.* Witteb. 1731. 61) Diſſ. *qua quid in iudicio et prognoſi de morbis magnis ex paruis initiis et leuioribus cauſis oriundis obſeruari debet exemplo viri antegreſſo lapſu in genua lenta febre extincti docetur.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Chriſt. Frid. Rupp.* Witteb. 1744. 62) GEORG. ERN. STAHLII Excuſatio *reſpondens examini pulſuum celeris et frequentis, eorumque conſtans diſtinctio cet.* Halae, 1702. 63) Diſſ. *de pulſu intermittente et decrepitante.* Praeſ. BVRC. DAV. MAVCHART, Reſp. *I. Rudolph. Camerario.* Tubing. 1748. 64) I. GEORGII BECK Diſſ. exhibens *hiſtoriam de viro, palpitatione cordis et aſthmate violento mortuo* cet. Gieſſae, 1718. 65) Diſſ. *de ſteatomatibus in principio arteriae aortae repertis et de cyſticis in genere excreſcentiis.* Praeſ. CHRIST. GODOFR. STENTZEL, Reſp. *Georg. Philipp. Sauber.* Witteberg. 1723. 66) Diſſ. *de arteria coronaria inſtar oſſis indurata.* Praeſ. IO. FRID. CRELL, Reſp. *Godofr. Sam. Reinhold.* Witteb. 1740. 67) Diſſ. *de ſubitanea morte a ſanguine in pericardium effuſo.* Praeſ. IO. SALZMANN, Reſp. *Io. Goeritz.* Argentor. 1731. 68) Diſſ. *de exulceratione*

tione pericardii et cordis exemplo illuſtrata. Praeſ. SIM. PAVL. HILSCHER, Reſp. *Caſimir. Chriſtoph. Schmidel.* Ien. 1742. 69) Progr. CAROL. FRID. KALTSCHMIED *de variis praeternaturalibus in ſectione cadaueris inuentis.* Ien. 1751. 70) Diſſ. GEROG. GOETZ *de polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſis.* Altdorf. 1726. 71) POLYCARP. GOTTLIEB. SCHACHER Progr. *de polypis.* Lipſ. 1721. 72) Diſſ. *de praecauenda polyporum generatione.* Praeſ. FRID. HOFFMANN, Reſp. *Philip. Adolph. Boehmer.* Halae, 1736.

Tomus tertius ad morbos abdominis. 73) I. IAC. RITTER Diſſ. *de impoſſibilitate et poſſibilitate abſtinentiae longae a cibo et potu.* Baſil. 1737. 74) Diſſ. *de fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia.* Praeſ. DAN. WILH. TRILLER, Reſp. *I. Ephraim. Frid. Buliſio.* 1750. 75) GEORG. AVG. LANGGVTH Progr. *de tabe ſicca lethali ex calloſa pylori anguſtia.* Witteberg. 1750. 76) Diſſ. *de Cholera morbo.* Praeſ. HENRICO HENRICI, Reſp. *Io. Frid. Meſſer.* Halae, 1710. 77) IO. KAEMPF Diſſ *de infarctu vaſorum ventriculi.* Baſil. 1751. 78) Diſſ. *de raro ventriculi abſceſſu.* Praeſ. GOTHOFR. SAND, Reſp. *Georg. Albert. Stolz.* Regiomont. 1701. 79) Theſis, *ergo ab omni re cibaria vaſa aenea prorſus ableganda.* Praeſ. CAMILL. FALCONET, Reſp. *Franciſc. Thiery.* Pariſ. 1749. 80) PAVL. HENR. GERARD. MOEHRING Epiſt. *quae mytulorum quorundam venenum et ab eo natas papulas cuticulares illuſtrat.* Bremae, 1742. 81) Diſſ. *de aere microcoſmi factitio.* Praeſ. DAN. HOFFMANN, Reſp. *Ferdin. Chriſtoph. Oetinger.* Tubing. 1737. 82) Diſſ. *de Chordapſo Celſi.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Laur. Weidner.* Witteb. 1738. 83) Diſſ. ſiſtens *docimaſiam ſigna, cauſas et noxas vini lithargyrio mangoniſati.* Tubing. 1707. 84) Diſſ. *ergo morbo, colica pictonum dicto,*

venaeſectio in cubito. Praeſ. IO. ASTRVC, Reſp. *Petr. Ludov. Mar. Maloet.* Pariſ. 1751. 85) I. BAPT. DV BOIS Diſſ. *non ergo colicis figulis venaeſectio.* Pariſ. 1751. et item 1756. 86) I. GVILIELM. ILSEMANNI Diſſ. *de colica ſaturnina metallurgorum.* Goetting. 1752. 87) IO. ERN. KÜHNII Diſſ. *de Ileo.* Leid. 1702. 88) I. GOTTL. LEIDENFROST Diſſ. *de voluulo inteſtini ſingulari.* Duisburg. 1750. 89) MART. IAC. KVPFFER Diſſ. ſiſtens *voluulum ſanguineum eiusque curationem in viro quodam.* Regiomont. 1720. 90) LAVR. GRVBER Diſſ. *de febre acuta epidemica exanthematico-dyſenterica.* Baſil. 1747. 91) Diſſ. *de dyſenteria epidemica maxime contagioſa et maligna cet.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *I. Gottlieb. Vogel.* Witteb. 1747. 92) Diſſ. *de ſingulari quadam Indorum orientalium dyſenteria eiusdemque praecipua a noſtrate differentia.* Praeſ. ANDR. ELIA BVCHNER, Reſp. *I. Thom. Laurich.* Halae, 1752. 93) SAM. ERNST Diſſ. *de taenia ſecunda* PLATERI. Baſil. 1743. 94) I. GOTTLIEB. BAVER Epiſt. *de molis inteſtinorum.* Dreſd. 1747. 95) SIGISM KOENIG *lithogeneſias humanae ſpecimen duabus epiſtolis ad* SOC. R. BRIT *comprehenſum.* Bernae, 1685. 96) Ex IMMAN. WEISMANN *hiſtoria lithotocae mulieris.* Tubing. 1716. 97) Diſſ. *qua pars inteſtini ieiuni per guttur inferius excreta ſalua manente aegri vita deſcribitur.* Praeſ. IO. IAC. LEMBKE, Reſp. *Andr. Weſtphal. Gryphiswald.* 1741. 98) GEORG. ERH. HAMBERGER *de ruptura inteſtini duodeni.* Ienae, 1746. 99) CAROL. FRID. KALTSCHMIDT *de ileo a ſcrupulis pirorum meſpilaceorum eroſo et perforato.* Ien. 1747. 100) Diſſ. *de abſceſſu meſenterii et muſculorum abdominis plane ſingulari.* Praeſ. HENR. HENRICI, Reſp. *Georg. Ludov. Nottnagel.* Halae, 1712. 101) Diſſ. IO. GEORG. SCHERB *de calculo receptaculi chyli, hydropis cauſa.* Lugd. Bat. 1729. 102) Diſſ. exhibens *hepatite defunctorum extiſpicia.*

Praeſ. RVD. IAC. CAMERARIO, Reſp. *Ion. Brunner.* Tubing. 1716. 103) ABR. VATER Progr. *quo hepar in hydrope ſaepius inſons eſſe e ſectione viri ante duas ſeptimanas poſt diuturnum alui fluxum cruentum tandem hydrope defuncti demonſtrat.* Wittemb. 1720. 104) AVG. FRID. WALTHER Progr. *de atra bile.* Lipſ. 1741. 105) Diſſ. *Scrutinium icteri ex calculis veſiculae fellis occaſione caſus cuiusdam ſingularis.* Praeſ. ANDR. PETERMANN, Reſp. *I. Günther Albrecht.* Lipſ. 1696. 106) I. GEORG. BEZOLD Diſſ. *de cholelitho.* Argent. 1725. 107) I. ANDR. WISLICEN, *lapides biliofo-lymphatici per metaſtaſin febris catarrhalis exorti, ac per abdomen exulceratum excluſi.* Lipſ. 1742. 108) Diſſ. *de calculis biliariis.* Praeſ. HERRM. FRID. TEICHMEYER, Reſp. *Wilh. Henr. Aug. Stroehlein.* Ien. 1742.

XI.

Recueil Periodique d'Obſervations de Medecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Par M. VANDERMONDE Docteur Regent de la Faculté de Medecine de Paris. à Paris. Chez Vinzent. MDCCLVI. 8. Tome V. alph. 1. pl. 7. et Tome VI. MDCCLVII. alph. 1. pl. 7.

h. e.

Collectio Periodica obſeruationum ad artem ſalutarem chirurgiam, pharmaciam etc. pertinentium. Auctore Cl. VANDERMONDE etc. Tom. V. et VI.

In Tom. V. menſe Iulio 1756. deprehenditur

1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate et ſenſibilitate partium* inſtituit Ill. de HALLER. p. 7.

 2) *Lit-*

p. 25. 2) *Litterae*, quas *de effectu alcali volatilis in malo gulae gangraenoſo ad Editorem huius diarii* dedit Cl. MAIAVLT. Aquae nimirum communis uncias ſex cum ſpiritus vini duabus totidemque alcali volatilis, atque uncia una cum dimidia mellis roſati commiſcuit, cuius mixturae vaporem ore dein aperto per triginta ſex horas hauri iuſſit. Quo facto malum gangraenoſum in amygdalis conſpiciendum non ſolum ſubſtitit, verum et noua inflammatione excitata partes gangraenoſae abſceſſerunt atque aegra intra nouem dies malo hoc liberata fuit.

p. 31. 3) *Obſeruatio de vomitu hyſterico.* Auctore Cl. POMME *filio.* Foemina fluxu menſium inordinato ſemper laborans vomitu tandem inſigni cruciata fuit, ita, ut ne guttulam quidem fluidi retinere potuerit. Remediis antihyſtericis fruſtra tentatis, quid? quod malo hiſce potius aucto, aegram tandem quotidie per decem horas in balneum ducendam curauit, et ſeptimo tunc elapſo die ei priſtinam ſanitatem reſtituit. Laudat itaque balneum ceu verum affectuum hyſtericorum antidotum, contra vero ſic dictis antihyſtericis ſpaſmos uterinos augeri, aſſerit.

p. 33. 4) *Litteras de imperio animae in corpus* ad Cl. DELIVM, dedit Cl. SAUVAGES. In his Cl. Auctor diſputat contra Cl. SCHREIBERVM, dicentem, animam non agere in corpus. Hic enim ex reſiſtentia corporum mutua animae inertiam demonſtrare, aniſus eſt. Cum autem corpora tantum in ſe mutuo agere ſibique inuicem reſiſtere Noſter oſtendat, hisque nullam contra ens ſimplex reſiſtentiam eſſe, pariter probet, inde animam ceu ens ſimplex in corpus agere, absque eo, ut reſiſtentiae detur locus, concludit.

p. 39. 5) *Obſeruatio de ſingultu quodam periodico.* Auctore Cl. HAZON. Suppreſſis nimirum menſtruis, et ſuppreſſa pariter euacuatione ſeroſa, ex ventriculo proueniente et per os abundanter fluente, ſingultus ſtatim

ſtatim obortus per triginta ſex horas durauit, dein viginti quatuor horas remiſit, denuoque accedens idem tempus durans iterumque remittens per aliquot tempus ita continuauit. Contra omnia remedia tonica et anodyna iſte rebellis euacuatione tandem hydragoga cicuratus fuit.

6) *Litteras de catalepſi ad Editorem huius diarii* dedit Cl. PESSAVLT DE LA TOVR. Obſeruationi de hoc morbo praemiſſae ſuam tandem de eodem appoſuit ſententiam. Cauſam nimirum huius morbi proximam in ſanguine, abundanter caput petente, inque fluido nerueo copioſe hinc ſecreto conſiſtere, aſſerit. Cum autem nerui tunc plethora quaſi laborent, eorum inde actionem imminui, imo ob lentorem tunc oriundum, ad tempus prorſus extingui, arbitratur. p. 41.

7) *Conſectaria practica, a ſtructura oſſium parietalium deſumta* inſeruit Cl. BERTIN. Cum oſſa parietalia multo minus ac reliqua capitis oſſa obtegantur, et aponeuroſi tantum muſculorum frontalium cute et pericranio inueſtiantur, Noſter ideo oſſa iſta hanc ob cauſam facilius fracturis obnoxia eſſe, oſtendit. Horum autem fracturam periculoſam ſemper, et infantibus in primis fieri, declarat. Cum enim arteriae interius per haec oſſa decurrant, quae, iſtis fractis, facillime rumpuntur, et ſanguinem hinc, cerebrum poſtea comprimentem, effundunt, certe non mirum eſt, ſi tam periculoſi eam ſequantur effectus. Sique praeterea attendatur, quod oſſa iſta in infantibus ſaepe caſu frangantur, absque eo, ut poſt caſum ulla ſaepe laeſio, per tempus tantum ſeſe manifeſtans et mortem tunc plerumque ſecum ferens, animaduertatur, facile quiuis, talem fracturam, in initio vix conſpiciendam, et non niſi tempore elapſo effectibus ſuis ſe manifeſtantem difficulter aut plane non curari, atque mortem ob extrauaſiti liquoris corruptionem ineuitabiliter ſequi, concedet. Vt igitur p. 48.

 triſtes

triſtes iſti caſus, mortem fere ſemper ſecum ferentes, euitentur, capiti ea propter infantum, ſaepiſſime cadentium, ceſticillum, vulgo *Fallmützgen*, continuo imponendum ſuadet.

p. 57. 8) *Litteras, de vulnere, pectori inter venatum per ſclopetum, inflicto, ad Editorem huius diarii* dedit Cl. DVPVIS. Vulnus, cuius mentio hic facta eſt, primo leue apparuit, auctis autem ſymptomatibus et vulnere accuratius examinato et dilatato ultimam verarum coſtarum medio in loco fractam Noſter reperit. Variis igitur rebus, ad hiſtoriam et curam iſtius vulneris pertinentibus, enarratis tandem Cl. Auctor, aegrum, vulnere conſolidato, pro reſtituto inde habitum ſanguinem materiaeque purulentae copiam exſpuiſſe, hisque fere ſuffocatum, paulo poſt variolis correptum fuiſſe, perhibet. Verum hisce curatis vulnus poſtea quod, antea conſolidatum tam periculoſa ſtatim ſecuta ſunt ſymptomata, ultra menſem apertum ſeruauit; quo facto nulloque pure aut peregrino corpore ultra exeunte, iſtud tandem ad cicatricem perduxit, aegrumque in integrum reſtituit.

p. 67. 9) *Litteras, de lapide quodam, ſub lingua hominis reperto, ad Editorem huius diarii* dedit Cl. LEAVTAVD. Lapis iſte, qui febrem continuam continuumque ſaliuae effluxum excitauit, a Cl. Auctore tandem extractus oui columbini magnitudinem aequauit et adeo friabilis fuit, ut intra manus teri potuerit. Lapide extracto cuncta ceſſarunt ſenſim incommoda.

p. 69. 10) *Obſeruatio de lapide quodam in palato generato.* Auctore Cl. KRVGER. Inflammatione in faucibus prius oborta et tumore poſtea rupto tandem una cum pure lapis ſat magnus, cineritius leuis et compactus exiit.

p. 73. 11) *Obſeruationes nouas de liquore, Eau de Luce, dicto*, inſeruit Cl. CASTELL iunior, hisque liquorem hunc ope ſaponis, in alcali volatili ſoluendi, quam

quam tamen rem negat Cl. MACHY, parari omnino poſſe, oſtendit.

12) *Morbillos anomalos epidemicos anno* 1749 *et* 1750. *Florentiae* obſeruauit Cl. TARGIONI TOZETTI. De his tantum notamus, quod multos homines plus quam ſemel inuaſerint, copioſe eruperint, et, diarrhoea accedente, una cum febre et tuſſi ſtatim diſparuerint, absque eo, ut praeter debilitatem, nullum ſymptoma moleſtum obſeruari dein potuerit. p. 73.

In *menſe Auguſto* 1756. occurrit

1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate et ſenſibilitate partium* inſtituit Ill. DE HALLER. p. 83.

2) *Obſeruationem practicam ſingularem annotauit* Cl. MAIAVLT. Homo, malo quodam gulae laborans, nullum fluidum absque tuſſi violenta bibere potuit. Id Cl. Auctor obſeruans et epiglottidem in ſiniſtro latere eroſam coniiciens caput ad dextrum latus verti tuncque hominem iſtum bibere iuſſit: quo facto, ſat magnam absque ullo fere incommodo liquidi copiam ſumſit. Homine poſt aliquot tempus ob maraſmum defuncto et diſſecto, id, quod coniectura aſſecutus fuit, confirmatum nunc vidit. Ex his igitur iis, qui ob gangraenam, malum venereum et ſcorbutum epiglottidem arroſam habent, et absque metu ſuffocationis nullum fere liquidum ſorbere poſſunt, ſpem proinde, liquida, capite in latus quoddam flexo, ſumendi affulgere, Noſter concludit. p. 91.

3) *Obſeruationem de expulſione foetus mortui et in matris ventre corrupti poſt febrem putridam malignam* addidit Cl. DVPVY DE LA PORCHERIE. p. 95.

4) *Obſeruatio de apertura umbilici, per quam chylus et vermes in inteſtinis contenti exierunt.* Auctore Cl. MARTEAV. p. 100.

5) *Litteras de hemeralopia ad Editorem huius diarii* dedit Cl. FOVRNIER. His Cl. Auctor oſtendit, p. 102.

morbum

morbum hunc, quem ſuperius * deſcripſit, non in contracta, uti BOERHAAVIVS aſſerit, ſed in dilatata pupilla conſiſtere, ſuamque hanc ſententiam exemplo aliquo confirmare ſtudet.

p. 108. 6) *Obſeruatio de vitio quodam conformationis ſingularis.* Auctore Cl. GOVPIL. *filio.* Obſeruauit nimirum in pueri tredecim annorum, tunc temporis adhuc viuentis abdomine ad umbilicum tumorem, magnitudine oui gallinacei, per quem urina prodiit. Iuxta hunc dextrorſum rimam, ex qua interdum foetor quidem ſed nulla excrementa exierunt, vidit. In ſcroto praeterea nulli apparuerunt teſticuli, atque id, quod virilis membri formam habuit, non perforatum fuit.

p. 110. 7) *Diſſertatio de utilitate, quae ex calculi ſectione, ſecundum Celſi methodum inſtituenda, noſtris etiam temporibus hauriri poteſt.* Auctore Ill. HEISTER. Hic ſumma traditur diſſertationis, quam ante aliquot annos de eodem argumento Ill. Auctor exarauit. Primo itaque operationem hanc, CELSO adſcriptam, ab eo non inuentam, ſed accurate duntaxat primum deſcriptam eſſe, oſtendit. Cum autem Noſter de huius operationis utilitate perſuaſus ſit, eam igitur deſcribere et laudare non dubitauit. Praeferendam iſtam nempe cupit ob apparatum, qui minor multo eſt, quam ille, qui ad ſectionem lateralem inſtituendam adhibetur, imo ob maiorem ſecuritatem huic illam anteponit et commendat. Operatio ita deſcribitur: Aegri ad ſectionem praeparati orificio ani unus aut pro aetate duo digiti immittuntur, hocque facto chirurgus calculum ſuper inteſtinum rectum ad dextrum perinaei latus ducere ſtudet, ita, ut hoc in loco protuberantia oboriatur; dein autem ſcalpello ibi adacto inciſuram trium aut quatuor digitorum facit, et omnes ſubiacentes partes ad veſicam uſque diſcindit, ita ut lapis in conſpectum veniat, rectum autem

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. II. p. 216.

tem inteſtinum ab omni laeſione caueatur. Poſtea digitis in anum immiſſis lapidem expellere tentat, et ſi iſte inciſura maior eſt, aliam tranſuerſalem iterum in laterali et inferiori parte veſicae facit, tuncque lapidem educit. Operatio haec in omnis aetatis hominibus ſuſcipi poteſt, ſeque ob ſequentes rationes commendat. Ob ſimplicitatem nimirum et paucitatem inſtrumentorum, dein ob neceſſitatem, ſi ſtilus in veſicam duci nequit; porro ob inſtrumenta, quae in apparatu magno adhibenda, non nullas partes ſaepe laedunt, tum ob inciſionem hac methodo facilius quam alia faciendam, tandem cum ſectio, alia methodo ſuſcepta lapidem nec ita, ut haec, ob oculos ponat, omnemque uſum haec methodus pariter praeſtet ac aliae, contra vero ab omni damno libera ſit, eaedemque partes hac quam laterali ſectione diſcindantur; hanc ergo methodum cunctis anteponit.

8) *Obſeruatio de fractura cruris complicata.* Auctore Cl. HENRY. p. 119.

9) *Epitome orationis, quam in horto regio d.* 10. *Iun.* 1756. *ſub auſpiciis praelectionum botanicarum habuit* Cl. DE IVSSIEV. Oſtendit in hac Cl. Auctor, quantam utilitatem habeat botanices cultura, quid ea in conſeruanda ſanitate praeſtet, quidue, ſi labefactata haec ſit, in reſtituenda illa valeat. Laudat igitur eorum induſtriam, qui in cauſas vegetationis inquirunt, quiue plantas ſecundum anni tempora, loca natalia curant, et incrementum earum promouere ſtudent. Eos deinceps extollit, qui plantas, quoad externam internamue ſtructuram diſquirunt, accuratasque hinc obſeruationes in commune bonum colligunt. Laudibus tandem et eos effert, qui plantarum partes conſtituentes, unde tam diuerſi effectus dependeant, examinant. His expoſitis denique enarrat, qua ratione haec ſcientia beneficiis Regis incrementum nunc coeperit, quidue iſtud in promouenda botanices cultura Pariſiis nunc valeat et praeſtet. p. 122.

10) *Diſ-*

p. 134. 10) *Diſſertatio de non nullis remediis in malae indolis variolis bonam opem ferentibus.* Auctore Cl. VARNIER. Cum de inſitionis variolarum effectu inter Pariſienſes ſalutari ſibi perſuadere non potuerit Cl. Auctor, aliam igitur, variolas curandi methodum eligit, hasque vel in eruptione impedire vel eruptarum malignitatem auertere mitesque eas reddere ſtudet. BOERHAAVII itaque ſententia monitus Noſter aſſerit, variolas in eruptione impediri, atque aegrotantes ab imminentibus feliciter liberari, ſi accurata non ſolum diaeta ſed et venae ſectio et antiphlogiſtica cura adhiberetur. Hanc autem rem vere eueniſſe, Cl. Auctor expertus confirmat. Ad ipſas variolas iam eruptas quod ſpectat, ſi quarto vel quinto die ſtatim poſt eruptionem iterum diſpareant, balneis, ita, ut aegrotantes ad confinia colli uſque immergantur, optimo cum effectu Noſter utitur. Quo autem facto variolae non ſolum redierunt, ſed et aegrotantes optime reſtituti ſunt. In variolis confluentibus pone aures, in nucha, femoribus et cruribus veſicatoria bono cum ſucceſſu adhibuit. Cum autem tam in variolis confluentibus quam ipſis diſcretis a pure reſorpto febris ſic dicta ſecundaria perſaepe oriatur, haecque haud raro aegrotantes e viuis tollat, Noſter ideo, quo cuncta funeſta ſymptomata euitentur, puſtulas ope inſtrumenti cuiusdam aperiri iubet. Optime enim rem ſucceſſiſſe, atque febrem ſecundariam non ſolum impeditam verum et aegrotantes optime tunc viſos fuiſſe, perhibet, hincque omnibus hanc methodum commendat. Atque haec ſunt primaria, quae prae reliquis annotare licuit.

In *menſe Septembri* 1756 deprehenditur

p. 163. 1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate et ſenſibilitate partium inſtituit* Ill. DE HALLER.

p. 170. 2) *Breuis relatio de plurium hominum a lupo furioſo demorſorum curatione.* Auctore Cl. ROSE. Vulneribus

bus nimirum, a rabida beſtia inflictis, unguentum mercuriale applicuit, et per aliquot tempus continuauit, ita, ut omnes, quibus remedium hoc applicitum fuit, ab hydrophobia liberi prorſus euaſerint.

3) *Obſeruatio de rabie eiusque curatione.* Auctore Cl. DV CHOISEL, *e Societ. Ieſu.* Inter alia, quae hic occurrunt, notamus iterum, mercurium hominibus, ab animali rabido demorſis exhibitum, laudabiles praeſtitiſſe effectus. In India enim, ubi medicinam fecit Cl. Auctor, crebrius hydrophobiam, ob copiam animalium rabidorum, obſeruari, iſthoc autem remedio demorſos vel ab hydrophobia praecaueri vel etiam ab eadem iam praeſente liberari perhibet. Applicuit autem mercurium externe in unguento, interne vero eundem in pilulis propinauit, malumque hoc, vel ſaliuatione excitata, vel etiam ſaepiſſime absque ea debellari, annotauit. p. 184.

4) *Litterarum, quas ad Cl.* CAMBON *dedit Cl.* MOREL, *epitome de oſſium parietalium ſeparatione notatu digna.* In foemina nimirum poſt laborioſum partum capitis dolore diu cruciata oſſa parietalia ſenſim ſenſimque a ſe inuicem ita diſceſſerunt, ut pollex commode intra haec oſſa mitti potuerit. p. 201.

5) *Animaduerſiones de diuerſa frictionum ſpecie, deque diuerſis earundem effectibus.* Auctore Cl. LOVIS. Triplicem nimirum frictionum ſpeciem conſtituit, quarum primam fortem, alteram lenem et tertiam moderatam appellat. Prima, forti nempe, partes contrahi et roborari, hancque repetitam rarefacere, reſoluere et attenuare atque in rheumatiſmis et id genus aliis conuenire, autumat. Altera, quae lenis dicitur, partes et in primis cutem emolliri et laxari, hinc tranſpirationem promoueri, putat. Tertia tandem, quae inter hanc et illam medium quaſi locum obtinet, quaeque ideo moderata dicitur, ſanguinem et fluidum nerueum allici, hincque podagram, ea adminiſtrata, ſaepe reuocari, aſſerit. Aſt bene tamen p. 207.

men ad corporis conſtitutionem attendendum ſimul eſſe, monet. Saepe enim debilibus frictionem, quae robuſtis moderata eſt, fortem eſſe, hinc pro ratione corporis frictionem inſtituendam ſuadet.

p. 213. 6) *Litterae, quas ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LE CAT.

p. 214. 7) *De conſtruendo nouo inſtrumento, urinam ex veſica ducente, eiusdemque utilitate breuis diſſertatio.* Auctore Cl. DARAN. Cum in promouenda lotii retenti excretione inſtrumenta hactenus uſitata ſperatum effectum ſaepe non praeſtiterint, aliud ea propter huius generis inſtrumentum excogitauit Noſter, cuius utilitatem in multis caſibus, ubi alia nihil praeſtiterunt, expertus eſt. Conſtruxit nimirum ſpecillam cauum ex filis orichalceis flexilibus ſpirae in modum contortis atque tela ex utraque parte emplaſtro illita obductis, cuius cauo ſtilum ex filis pariter orichalceis paratum indidit. Hocce igitur inſtrumento multo cum fructu urinam retentam eductam fuiſſe, perhibet. Cum vero in deſcribenda huius inſtrumenti conſtructione Cl. Auctorem ob breuitatis ſtudium ſequi nequeamus, eos igitur, qui exactam huius inſtrumenti deſcriptionem deſiderant, ad ipſum hunc librum ablegamus.

p. 224. 8) *Litterae, quas de diuerſo, liquorem, Eeau de Luce, dictum praeparandi modo ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LE CHEVALIER DE LA CHAPELLE. Liquor hicce, cuius mentio ſuperius a nobis iam facta eſt, cum Pariſienſibus adeo in uſu ſit et pro arcano huc uſque habeatur, multos inde ad praeparationem tentandam excitauit. Cum autem ipſae hae praeparationes varient, Noſter ideo eas ſub examen vocauit, atque, quicquid multi praeſtiterint, narrauit.

In *menſe Octobri* 1756 *occurrit*

p. 243. 1) *Finis experimentorum, quae de irritabilitate et ſenſibilitate partium inſtituit* Ill. DE HALLER.

2) *Obſer-*

2) *Obſeruationes de morbis verminoſis.* Auctore Cl. DIANYERE. p. 252.

3) *Experimenta noua de effectibus electricitatis in morbis compluribus.* Auctore Cl. ZETZELL. In variis nimirum hominibus, diuerſo morborum genere laborantibus, experimenta inſtituit, atque hinc nihil certi determinari poſſe, animaduertit. Multos enim ita tractatos, a morbis quidem liberatos, ſed non multo poſt iisdem iterum afflictos eſſe, quid? quod in non nullis morbos plane non ceſſaſſe, in aliis autem morbos feliciter profligatos, nunquam iterum reuerſos fuiſſe, perhibet. Inde ergo ſalutares effectus hosque quidem certos indubitatosue in medicina ab electricitate expectandos hactenus vix eſſe, colligit. p. 254.

4) *Obſeruatio, de verme lato, taenia dicto.* Auctore Cl. GONTARD. Potione nimirum, ſuperius et inferius euacuante, ſumta vermis ſex pedum longitudine expulſus fuit. Dum hicce adhuc intra inteſtina latuit, ſaepe foemina de aſcenſu et deſcenſu cuiusdam rei conqueſta eſt, nulla autem fame praeter naturam vexata. Verme poſthac expulſo non amplius ſenſum iſtum animaduertit. p. 261.

5) *Obſeruatio de tumore hepatis ſcirrhoſo.* Auctore Cl. BON. p. 268.

6) *Litterae, quas ad Editorem huius diarii dedit* Cl. LÉBEVF *ſenior, hominis* mentionem faciunt, *per cuius virile membrum ſtato tempore, uti foeminis per vaginam ſolemne eſt, ſanguis effluxit.* In eodem homine, in quo ſtatus iſte praeternaturalis obſeruatus fuit, mammam etiam eiusdem magnitudinis et ſtructurae, quae foeminis eſt, Cl. Auctor reperit, atque, quod huic ſingulare fuit, eius etiam patri et quinque fratribus familiare eſſe, notauit. p. 280.

7) *Obſeruatio de tumore ſcirrhoſo, vermibus repleto.* Auctore Cl. DELESTRE. Tumor iſte paulo ſupra angulum internum oculi dextri ſedem habuit, et, ob magnitudinem viſum plane aboluit, quo autem p. 281.

aperto una cum materia ſebacea multi vermes, magnitudine grani ſecalis exierunt. Praeter cicatricem paulo eleuatam nullum incommodum remanſit, et aegrotans priſtinum oculi vigorem recuperauit.

p. 288. 8) *Obſeruatio de duabus herniis completis.* Auctore Cl. LAVRENCY.

p. 289. 9) *Obſeruatio de ſuppreſſione quadam urinae.* Auctore Cl. LEAVTAVD.

p. 291. 10) *Obſeruatio de fractura brachii cum concomitante gangraena, ob quam amputatio ſuſcepta eſt.* Auctore Cl. BRILLOVET. Notatu dignum hic eſt, quod amputationem prope humerum inſtituerint, torculare, *Tourniquet* dicto, remoto praeter aliquot guttas ſanguinis, ex muſculis tantum prouenientes, nullum ſanguinem ex arteria egredientem obſeruauerint.

p. 294. 11) *Scrutinium cauſarum doloris ad partum.* Auctore Cl. MELLET. Variis de hac re ſententiis examinatis et minus ſufficienter viſis, Noſter inde cauſas dolorum ſequentes agnoſcit. Vel enim dolores a forti compreſſione, quam uterus a muſculis abdominalibus extenſis, foetumque prementibus, accipit, vel a capite infantis, uteri orificio interno, infixo, idque verſus os comprimente, maxime autem ab uteri actione in foetum deducendos eſſe, Noſter ſtatuit.

p. 307. 12) *De liquorem, Eau de Luce dictum, praeparandi modo absque intermedio.* Auctore Cl. BETBEDER. Hic liquor ita a Cl. Auctore deſcribitur: *l'Eau de Luce eſt liquor lacteus, volatilis, valde penetrans ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum oleo ſuccini coniuncto paratus.* Hunc ſequenti modo parat Noſter: Oleo ſuccini bene rectificato affundit duplum ſpiritus ſalis ammoniaci concentrati, hancque miſcelam vaſi vitreo, epiſtomio arcte clauſo, indit et per aliquot dies in pera braccarum ſecum fert, poſt hac ſpiritum ſalis ammoniaci eadem quantitate, qua antea, denuo affundit, iterumque per aliquot dies ſecum fert, quo

facto

facto, ſuccini oleum in ſpiritu iſto tandem ſolutum la-cteumque liquorem obtinet. Hunc igitur ita paratum aquae miſceri poſſe et verum liquorem, *Eau de Luce*, eundemque, cuius inuentor Cl. DVBALEN dicitur eſſe, Noſter perhibet.

13) *Obſeruationes chemicae et practicae de virtute aquae calcis viuae ad ſoluendum calculum.* Auctore Cl. WHYTT.* p. 311.

In *menſe Nouembri* 1756 occurrunt

1) *Noua experimenta de irritabilitate.* Auctore Cl. LORRY. p. 323. Partium irritabilitatem a ſenſibilitate dependere, Cl. Auctor aſſerit. Experimenta autem, quae inſtituit, cutem, pericranium, perioſtium duramque matrem ſenſu gaudere, probant. Aſt cerebrum nullo, medullam contra oblongatam eo praeditam eſſe confirmant. Quod ad infimi ventris viſcera ſpectat, peritonaeum inſenſibile omniumque pariter viſcerum membranam exteriorem ſenſu deſtitutam, interiorem autem ſenſibilem omnino Noſter reperit. De gradu autem ſenſibilitatis notat, eum in aliis plus, in aliis minus obſeruari, ita tamen, ut ad partes maxime ſenſibiles interior inteſtinorum, ureterum et veſicae membrana referri mereatur. Vnde etiam Noſter varias, hasque adeo dolorificas, affectiones, in partibus iſtis ſedem figentes, deducit.

2) *Deſcriptio morbi ſingularis cutis.* Auctore Cl. BILLEBAVLT, *filio.* p. 340.

3) *Obſeruationes de calculis biliariis.* Auctore Cl. BOVCHER. p. 346. Cum non nulla de his cognita exiſtimemus atque de hoc argumento non nulla etiam hinc inde a nobis iam recenſita proſtent, pauca tantum ex his adducere liceat. Notamus igitur, non nullos a Cl. Auctore obſeruatos eſſe calculos, qui fundum petierunt, nullamque flammam, igni admoti conceperunt. Tales autem ut plurimum nigros,

 graues

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. IV. p. 611.

graues et compactos a flauis, leuioribus ſeſe diſtinguere, multoque minorem olei copiam in ſe continere, hincque forte ex lympha craſſa coagulata, paucum oleum inuoluente, formatos eſſe, aſſerit.

p. 364. 4) *Nouae obſeruationes chemicae et practicae de ſale naturali urinae hominis.* Auctore Cl. SCHLOSSER.*

p. 380. 5) *Litterae, quas de foetu in tuba Fallopiana reperto ad Editorem huius diarii dedit* Cl. VAN-DER-BELEN. Huic obſeruationi aliam ſimul ſubiunxit. In ouario nimirum virginis, de cuius caſtitate perſuaſus fuit Cl. Auctor, corpuſculum flauum, piſi magnitudine, obſeruauit, quam tamen rem non niſi in foeminis maritatis obſeruari poſſe, alii ſtatuunt.

p. 384. 6) *Obſeruationes nouae de effectubus, quos ratione deriuationis et reuulſionis praeſtat venae ſectio.* Auctore Ill. DE HALLER.**

p. 392. 7) *Obſeruatio de ſingulari quadam conſtitutione hominis, cuius facies in monſtroſam deformitatem abiit, quemque vulgo appellarunt, Caput vitulinum.* Auctore Cl. RANSON. Hic notamus, hominem, cuius facies inſigniter intumuit et in rugas monſtroſas degenerauit, absque ulla labe natum fuiſſe et ad annum decimum quintum uſque ſanum vixiſſe, eo tantum excepto, quod in palpebris tumores geſſerit, ita ſenſim auctos, ut tota dein facies iſtam deformitatem acquiſiuerit. Delineata huius capitis figura, hic adiecta, rem magis illuſtrat.

In *menſe Decembri* 1756 deprehenditur:

p. 403. 1) *Continuatio experimentorum, quae de irritabilitate inſtituit* Cl. LORRY. Pleuram valde ſenſibilem, mediaſtinum autem exiguo ſenſu praeditum, nullumque prorſus in exteriori pulmonum et pericardii membrana deprehendit. Aſt pulmones inciſos et ſpiritu nitri tactos exquiſite ſenſibiles, nullo autem modo

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. I. p. 60.
** vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 639.

modo cor et vaſa maiora, exterius irritata, ſenſibilia animaduertit. Tendines et aponeuroſes, inſtrumento acuto irritatas, ſenſiles, ſpiritu autem nitri tactas, inſenſibiles deprehendit. Ad muſculos quod ſpectat, de his, num ad partes ſenſibiles pertineant nec ne, difficile iudicium ferri, Noſter aſſerit. Ex variis enim diuerſisque partibus eos compoſitos eſſe, monet, inque illis interdum exquiſitum interdum nullum ſenſum obſeruatum eſſe, affirmat. Ex his itaque ſenſus principium in neruis quaerendum eſſe colligit. His enim irritatis exquiſiti doloris ſigna dediſſe animalia, perhibet. Quod ad ipſos effectus pertinet, non ſolum ad dolores ſed et ad motus in partibus irritatis obſeruandos attendendum eſſe, Cl. Auctor innuit. Multas namque partes irritatas ſaepe moueri, absque eo, ut ſenſum experiantur, aſſerit. Pupilla e. g. luminis radiis irritata absque ullo ſenſu contrahitur, contra vero retina eis afficitur, nec ita mouetur. His perpenſis experimenta apponuntur, quibus oſtenditur, quaenam partes ſentiant, ſimulque contrahantur. Ita cutis ſentit et contrahitur, nullus autem horum effectuum in cellulofa tela obſeruatur. Id pariter in peritonaeo euenit, meſenterium autem inteſtinorumque membrana externa contrahitur nec, ſentit. Hoc etiam in reliquis membranis, viſcera inueſtientibus, deprehenditur. De muſculorum irritatorum contractione diuerſos animaduertit effectus. Primo muſculos, voluntario motui ſubiectos, irritauit, inque his contractionem minus fortem obſeruauit. Diaphragma irritatum violenter ſe contrahit, iterumque laxum fit. Aſt tendines irritati, licet maxime ſenſibiles ſint, nullo tamen modo contrahuntur. Cor denique irritatum valde mouetur, et crebro pulſat. Ex his itaque, eas partes, quae notabilem in corpore motum praeſtant, irritatae ſi ſint, maxime moueri, concludit.

 2) *Ob-*

p. 422. 2) *Obſeruatio de foemina, per cuius umbilicum extractus fuit foetus mortuus, quem viginti ſeptem menſes in ventre geſſit, quaeque denuo concepit, et iuſto tempore, quatuor menſibus ante prioris extractionem elapſis, naturalem partum edidit.* Auctore Cl. BOCHARD. Septimo nimirum grauiditatis menſe foemina quaedam ab alto cadit, hincque foetum mortuum eſſe, ſtatim ſentit. Sed nihil prodit, et quinque menſibus ab eo tempore elapſis ſanguis una cum crinibus profluit, venter autem, qui ad iſtud tempus uſque tumidus apparuit, ſubito detumeſcit. Poſt aliquot menſes grauidam ſe iterum ſentit, et nouem menſibus elapſis ſanum denique foetum edit. Tribus tunc menſibus elapſis, tumor circa umbilicum oboritur, qui in ſuppurationem abit. Tunc una cum pure parua quaedam oſſa exeunt, quibus viſis et apertura hinc dilatata oſſa capitis nuda atque poſt haec reliqua totius foetus oſſa absque cute nec ulla carne tecta extrahuntur. Abſceſſu hoc rite tractato foeminam in integrum reſtitutam fuiſſe, legimus.

p. 426. 3) *Litterae, quas de hemeralopia ad Editorem huius diarii dedit* Cl. POMME, *filius.*

p. 427. 4) *Litterae, quas de caſu quodam ſingulari ad Editorem huius diarii dedit* Cl. MAIAVLT. Foemina nimirum, dira colica cruciata, octauo morbi die, poſtquam intra hoc tempus continuo materiem ſtercorariam euomuit, aliquam tandem inteſtinorum portionem per aluum depoſuit. Hanc coecum et pars coli una cum meſenterii portione conſtituit. Die morbi duodecimo foetum mortuum enixa decimo quarto tandem obiit. Corpore aperto voluulum totumque abdomen materia foetida refertum repererunt.

p. 431. 5) *Obſeruatio de vomitu habituali a pilori obſtructione orto.* Auctore Cl. RAZOVX. Praeter pylorum obſtructum in cadauere inteſtinorum tenuium diametrum, ultra dimidium, coarctatam, lienem

valde

valde paruum, flaccidum et exſiccatum uti et pancreas, hepar autem ſat magnum et ventriculo adhaerens repererunt.

6) *Litterae, quas de uſu mercurii camphorati in luis venereae curatione ad Editorem huius diarii* dedit Cl. RAISIN. Decem nimirum uncias mercurii cum camphora ſenſim exhibuit venereo, huncque in integrum absque ſaliuatione reſtituit. p. 434.

4) *Anonymi de motu muſculorum tentamen.* Cum ad modum breuis fuerit Cl. Auctor, hinc nobis, breuioribus, absque iactura ſummam tradere non licuit. Attamen, mechaniſmum ex directione vaſorum ſanguiferorum, quam cum fibris muſcularibus habent, parallela neruorumque pariter, vaſa haec circumcingentium progreſſu declaratum eſſe, notamus. p. 436.

8) *Obſeruatio de ulcere mammae hominis cuiusdam cancroſo, ab agyrta curato, huiusque curationis effectibus funeſtis.* Auctore Cl. HAZON. Cancro nimirum per remedium quoddam, ut Noſter putat, ſtypticum fere curato, aegrotans ſtatim tuſſi ſicca et aſthmate vexatur. Malo tandem de die in diem aucto aeger obiit. Pectore aperto, eo in latere, ubi cancer fuit, pulmonis lobum marcidum et ſuppuratum, magnamque de reliquo quantitatem aquae in totius pectoris cauo obſeruarunt. p. 444.

9) *Nouae obſeruationes chemicae et practicae de ſale eſſentiali lactis.* Auctore Cl. VULLYAMOZ.* p. 446.

10) *Obſeruatio, de foetu in infimo ventre, praeeunte uteri ruptura, reperto.* Auctore Cl. CRANTZ. Hic tantum notamus, rupturam hanc pugni magnitudinem vix exceſſiſſe, atque foetum mortuum iamque ſemicorruptum fuiſſe. p. 458.

11) *Commemoratio caſus valde triſtis, in loco, S. Ouen dicto, obſeruati.* Auctore Cl. FAVR. Fouea nimirum, ſtercori conſumendo deſtinata, aperta ſex p. 468.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. III. p. 469.

homines, a vapore exeunte, humi proſternuntur mortui, ex quibus autem quinque, omni adhibita cura, vitam recuperarunt.

p. 471. 12) *Deſcriptio morbillorum, qui in vico, Geisling dicto, a menſe Ianuario ad Iunium uſque* 1751 *epidemice regnarunt.* Auctore Cl. RAV. Praeter ſymptomata, alias morbilloſis conſueta, notandum eſt, quod infantes iis tantum laborauerint, non nullique eorum delirarint, alii purpuram ſimul habuerint, in omnibus febris irregularis obſeruata fuerit.

Tranſeamus ad ſextum Tomum. Hic non nullas p. 5. deprehendimus mutationes. Cum prioribus quidem maximam partem iſte conuenit; aſt, quantum ex iis, quae Cl. Editor praefixit, videre licet, tempeſtatum etiam viciſſitudines, ſingulo menſe annotatas, morborumque inſimul, quouis pariter menſe regnantium, catalogum appoſuerunt. Variae praeterea de irritabilitate hic reperiuntur obſeruationes, idque quidem eam ob rationem, cum argumentum hoc, ob utilitatem, in medicina et chirurgia aliquando expectandam, dignum omnino exiſtimetur. Quid? quod tam diu huius argumenti adponendas eſſe cenſet obſeruationes, donec vel nullum dubium reſtare, vel ad minimum diu multumque de eo diſputatum eſſe videatur.

In *menſe Ianuario* 1757 occurrit:

p. 7. 1) *Finis experimentorum de irritabilitate.* Auctore Cl. LORRY. Corde examinato reliqua pectoris contenta examini ſubiecit. Itaque primo vaſa diſquiſiuit. Aorta et vena caua, ſpiritu nitri tactae ſe contrahunt, haec tamen paulo debilius quam illa. Pleura inciſa notabiliter diſcedit, chemicis autem liquoribus tacta parum contrahitur, aſt multo magis ſubiacentes muſculi intercoſtales et mediaſtinum ſe contrahunt. Nerui irritati motus in muſculis et partibus,

ad

ad quas abeunt, excitant; imo, diſciſſi nerui pars ſuperior irritata ſalit ſeque retrahit, quod tamen in integris neruis non obſeruatur. In uniuerſum contractio variat, prout partium magnitudo et extenſio ſe habet, eaque ſemel in partibus obſeruata ſemper conſtans eſt, atque pars, ob irritationem contracta tum in mortuo tum in viuente animali diu ita manet. Ex cunctis his, quae, experimenta inſtituenti, obuenerunt, phaenomenis, ſenſum et motum a ſe inuicem diſtinguendum eſſe, inque partibus irritabilitatem abſque eo, ut a ſenſu ea dependeat, fieri, generatim Noſter concludit, ſenſibilitatis vero cauſam in ſolis neruis quaerendam eſſe, ſtatuit.

2) *Obſeruatio de homine quodam fulmine tacto.* Auctore Cl. HENRY. Arbore nimirum, fulmine tacta totaque hinc in carbonem mutata, iſtud tandem hominem etiam, ſub hac arbore dormientem et ebrium tangit, atque quidem intra ſcapulas intrat, ſub induſio ſecundum dorſi lumborumue longitudinem atque ad nates, femora et crura progreditur, et ad talum tandem exit. Praeter pilos et epidermidem, nihil nec in corpore nec in veſtitu laeſum ultra fuit, exceptis calceis, qui ab homine remoti ſemi aduſti et dilacerati apparuerunt. Hoc facto, delirus in campo ſe voluens reperitur, inde in domum quandam reductus, venae ſectione bis adhibita, ad ſe rediit. Praeter exquiſitos dolores in locis, a fulmine tactis, ſentitos, de nulla alia re conqueſtus eſt, et quindecim poſthac diebus elapſis ab iis liberatus in integrum reſtitutus fuit. p. 19.

3) *Epiſtola, quam de morbo quodam ſingularibus ſymptomatibus ſtipato deque humectantium efficacia in morbis hyſtericis ad Editorem huius diarii dedit.* Cl. POMME, *filius.* p. 22.

4) *Obſeruatio de febre puerperarum miliari.* Auctore Cl. BONTE. His, quae de hac febre diſſeruit Noſter, primo huic morbo puerperas, atque eas p. 29.

 quidem,

quidem, quibus catamenia aut parce fluunt, aut penitus deficiunt, obnoxias eſſe oſtendit. Deinde eundem hunc morbum plus una vice, idque breui temporis ſpatio, aggredi foeminas, enarrat. Tandem ſymptomata maxime variare hasque febres ipſas valde periculoſas eſſe, notat. Quod ad cauſſam proximam ſpectat, hanc in vitiata lympha conſiſtere aſſerit, quam autem ex variis cauſis corrumpi poſſe, oſtendit. In curanda demum hac febre remedia ad indicationes adhibuit, a calidis autem volatilibus et alexipharmacis abſtinuit.

p. 45. 5) *Deſcriptio infantis tribus pedibus nati.* Auctore Cl. LIESCHING.*

p. 48. 6) *De unione partium inteſtini poſt operationem herniae gangraenoſae.* Auctore Cl. LAPEGRE. Hanc rem duabus obſeruationibus illuſtrat. Duo nimirum homines incarcerata laborarunt hernia, ita, ut gangraena accedente et inteſtini ilei et omenti portio, imo et teſticulus alter in corruptionem plane abierint. Inciſione igitur facta copia faecum aluinarum exiit; vulnere autem poſthac mundato, et rite de reliquo tractato, utrumque inteſtini extremum perfecte coaluit, atque ambo iſti aegrotantes conualuerunt, ita tamen, ut prior absque ullo incommodo relicto ſanus vixerit, alter autem menſibus aliquot a reſtitutione elapſis, dira colica circa regionem, ubi inteſtinorum unio facta fuit, vexatus, materiem ſtercoraceam euomens, denuo operationi chirurgicae commiſſus fuerit. Cunctis vero rite tractatis, tempore aliquo elapſo, tandem quoque in integrum reſtitutus absque ullo incommodo vitam poſthac degit.

p. 57. 7) *Aethiopem martialem breui tempore praeparandi methodus.* Auctore Cl. MAIAVLT. Haec praeparatio differt ab ea, quae Cl. LEMERY in uſu fuit. De illa igitur, ceu noua, ſequentia notamus. Vitriolum martis aqua ſoluitur, et ſi aliqua forte cupri pars

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 488.

pars vitriolo ſimul admixta ſit, iſthaec addita lamina ferri praecipitatur. Solutio dein oleo tartari per deliquium praecipitatur et filtratur, poſtmodum aqua calida aliquoties per filtrum traiicitur, quo omnis tartarus vitriolatus, ſub operatione natus eluatur, puraque ferri calx, tandem exſiccanda, remaneat. Cum vero eadem phlogiſto ſit deſtituta, haec igitur in cochleare ferreum inditur, et cum oliuarum oleo miſcetur, quod ſuper eam, igne ſuppoſito deflagratur et aliquoties repetitur. Quo facto puluerem nigrum Noſter obtinuit, qui omnes martis proprietates habere eosdemque effectus praeſtare dicitur.

8) *Obſeruationes de non nullis morbis epidemicis anno* 1748 *in Prouincia, Prouence, regnantibus.* Auctore Cl. DARLVE. Aeris tempeſtatumque viciſſitudine locique pariter ſitu et vitae genere prius deſcripto febris tandem eiusque indolis mentionem fecit Cl. Auctor. Paucis itaque notamus, febrem hanc, epidemice ibi regnantem, putridam fuiſſe, ita tamen, ut ii, qui ea laborarunt, omnes fere inſignem inſimul vermium copiam vomitu reiecerint. Febris huius cauſſam in humida et calida nec non nebuloſa aeris temperie, menſibus praegreſſis obſeruata, ponit, vermium vero generationem in victu farinaceo, hincque oriundo viſcido, nec non fructuum nondum ſatis maturorum eſu quaerit. Notandum denique et eſt, mercurium, ob vermes ab aliquibus exhibitum, inſigniter nocuiſſe, ita, ut qui eum uſurparunt, breui poſt aſſumtionem conuulſionibus haud exiguis correpti vix euaſerint. p. 64.

9) *Obſeruationes Meteorologicae Pariſiis anno* 1756 *annotatae.* Hae ad menſem Nouembrem dicti anni pertinent, atque quod hic factum fuit, quouis menſe nunc obſeruatum fuiſſe notamus. p. 76.

10) *Morbi qui menſe Nouembri* 1756 *Pariſiis regnarunt.* Febres, quas tunc temporis obſeruarunt, putridae quidem et intermittentes tum ſimplices tum dupli- p. 80.

duplicatae, atque hinc inde quartanae fuerunt, ita tamen, ut ad epidemicos morbos minime referri potuerint.

In *menſe Februario* 1757 exſtant.

p. 83. 1) *Obſeruationes de morbo nigro.* Auctore Cl. VARNIER. Qui hoc laborant, debiles viribusque fractos contabeſcere, et materiem nigram, odoris cadauerofi, per aluum euacuare Cl. Auctor notat, et morbi huius cauſſam haemorrhagiam internam eſſe, ſtatuit. Ex hac autem omnia, quae obueniunt, phaenomena deducit, et ex ſanguine in primis, in inteſtinis corrupto, neruorum hinc et cerebri turbationem, imbecillitatem et lipothymiam oriri, autumat, pulſum vero paruum nec adeo febrilem eſſe, perhibet. His praemiſſis characteres ſimul tradit, quibus morbus iſte a dyſenteria, haemorrhoidibus, fluxu hepatico maloque hypochondriaco diſcernitur. Ad curationem denique, quod ſpectat, hanc, ob alcaleſcentem humorum ſtatum a Noſtro aſſignatum, acidis in primis abſoluendam eſſe, experientia confirmatus probat.

p. 96. 2) *Obſeruatio de vermibus ex ruſticae foeminae inguine egreſſis.* Auctore Cl. LE BEAV, *filio.*

p. 98. 3) *Litterae, quas de febre quadam ſingularis indolis ad* Cl. SVCHE *dedit* Cl. SVMEIRE. Febris, cuius mentionem hic facit, bisque obſeruauit Cl. Auctor, eadem fuit, quam Cl. HVXHAM annotauit, quamue hic febrem lenteſcentem neruoſam appellauit.

p. 107. 4) *Obſeruatio de fruſtis oſſium ex urethra egreſſorum.* Auctore Cl. GONTARD. Haec oſſium fragmenta auiculae oſſa repraeſentarunt, et quantum ex his coniicere licet, ductus quidam ſinuoſus ex urethra ad inteſtinnm abiit, per quem non ſolum oſſa ſed et interdum alia corpora imo ipſa faecum materies cum urina mixta exierunt.

5) *Com-*

5) *Commentatio de aquis thermalibus balnei Lotharingici, quoad effectus cum aquis thermalibus Plomberianis in eadem Prouincia comparatis.* Auctore Cl. MORAND. Hae aquae, opinante Noſtro, maximam partem inter ſe conueniunt, excepto eo, quod aquae prioris balnei laxante virtute praeditae Plomberianis minus efficaciores ſint. Hinc eas, in pectoris morbis, illis anteponit; cumque ſanguinem non adeo rarefaciant ſed leniſſimam tantum diaphoreſin excitent, eas hinc in vaga etiam arthritide, rheumatiſmis etc. laudat. p. 114.

6) *Obſeruationes de liquore, l'Eau de Luce dicto.* Auctore Cl. DE LA RIVIERE. Quam Cl. MACHY et Cl. BETBEDER in praeparando iſto liquore adhibuerunt methodum, eam ingenioſam quidem et chemicis principiis minus contrariam, aſt inuentoris methodo non conſentaneam eſſe, Noſter aſſerit. Inuentorem enim non niſi de ſapone conficiundo cogitaſſe, dicit. Inde Noſter alium praeparandi modum communicat, quem verum et genuinum exiſtimat. Alcali nimirum fixum et oleum ſuccini rectificatum ſumit, haecque cum ſpiritu vini in mortario vitreo miſcet, poſthac miſcelam hanc vaſi vitreo cylindrico indit, et in balneo cinerum digerit. Quo facto omnia haec ſenſim uniuntur et ſapo in ſpiritu vini ſolutus oritur. Huius aliquot guttas cum ſpiritu ſalis Ammoniaci, cum calce viua parato, miſcet, ſeque hinc liquorem iſtum memoratum obtinuiſſe, autumat. p. 122.

7) *Obſeruatio de foetu quodam male conformato.* Auctore Cl. BOVSQVET. Ani nimirum orificium in conſueto loco non deprehendit, ſed recti inteſtini extremum ad vaginae latus collocatum, duoque inſimul orificia, pro ureterum extremis habita, vidit. Corpore poſt mortem aperto, inter alia, quae male conformata fuerunt, notamus, nullam adfuiſſe veſicam nullumque pariter uterum, atque rectum inteſtinum p. 128.

teſtinum in vaginam ita inſertum fuiſſe, ut per hanc meconium exire potuerit.

p. 130. 8) *Commentatio de amputationis in morbis pedis ad malleolos ſuſcipiendae utilitate, deque nouae inuentionis ocrea.* Auctore Cl. RAVATON. Vt ii, quibus pes extremus amputatur absque deformitate commode et ſanis ſimiles incedere poſſint, ocream ea propter excogitauit, quam hic deſcripſit et commendat.

p. 139. 9) *Obſeruatio de hydrophobia poſt caſum cum commotione.* Auctore Cl. TRECOVRT.

p. 142. 10) *Breuis relatio de morbis notatu dignis anno* 1754 *et* 1755. *Helmſtadii obſeruatis.* Auctore Cl. CONRADO FABRICIO. Tempeſtatem nimirum anno 1754 valde variantem et pluuioſam febres intermittentes, continuae bilioſae et purpurae ſecutae ſunt, quas autem minime contagioſas Noſter appellat. Anni ſubſequentis hyeme accedente morbillos malae indolis, multis tum adultis tum infantibus lethales, eodemque tempore pleuritides peripneumonias et catarrhos obſeruarunt.

p. 147. 11) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic de rebus praecipuis obſeruationum quarundam, quas ad Editorem huius diarii non nulli miſerunt, mentio facta eſt. Cum autem omnia breuiſſimis indicata ſint, plurium inſcriptiones tantum addidiſſe, ſufficiet. Deprehenditur itaque

Obſeruatio de abſtinentia ſexaginta nouem dierum quam mors excepit. Auctore Cl. GERARD.

p. 148. *Obſeruatio, de paralyſi, ope febris putridae, curata.* Auctore Cl. HERMANN.

p. 149. *Obſeruatio de mercurio camphorato.* Auctore Cl. CORDET.

Obſeruatio de inſigni tumore in dextro cuiusdam foeminae ouario. Auctore Cl. GVILBERT.

p. 150. *Obſeruatio de uſu orobi ſylueſtris in rheumatiſmo podagrico.*

Reme-

Remedium contra rabiem praeſentiſſimum, per triginta annos in quingentis aut ſexcentis hominibus, a rabidis animalibus, demorſis comprobatum. Auctore Cl. IOYANT. Conſtat iſtud ex ulmaria, polypodio quercino, centaurio minori, abſynthio, hyperico, plantagine, ruta, betonica, artemiſia, meliſſa, ſaluia, verbena, mentha et oſtrearum conchis calcinatis. Herbae, dum florent, decerptae inque umbra ſiccatae in puluerem rediguntur, omnesque portione aequali miſcentur, quibus triplum concharum additur, miſcetur et ad uſum reconditur. Huius pulueris aliquam portionem cum vino mixtam, interne et externe propinatam et homines et animalia demorſa ab omnibus malis liberaſſe, legimus. p. 151.

12) *Obſeruationes meteorologicae menſe Decembri 1756 annotatae.* p. 156.

13) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt.* Praeter coryzam et catarrhos, dyſenterias etiam, peripneumonias nothas et anginas gangraenoſas, in non nullis ope vaporis alcalini volatilis attracti, curatas obſeruarunt.

In *menſe Martio* 1757 occurrit:

1) *Hiſtoria puellae, cui intra decem aut duodecim annos ex omnibus corporis partibus extraxerunt acus.* Auctore Cl. BOVCHER. Hiſtoria deſcripta, in mirandae huius rei cauſam inquiſiuit Noſter; aſt nullam reperiens, atque dubia, tamen, num forte fraus quaedam ſubeſſe potuerit, caute remouens, in ſola tantum huius rei admiratione ſubſiſtendum eſſe, arbitratur. p. 163.

2) *Obſeruatio de vomitu habituali, quem mors ſecuta eſt.* Auctore Cl. BERNARD. Remediis incaſſum tentatis periit tandem foemina, per aliquot tempus ita cruciata. Corpore aperto pylorum craſſum, induratum et coarctatum reperit, idque pariter in duodeno obſeruauit. Huius autem atque ventriculi p. 174.

etiam,

etiam, pylorum verſus, membranae admodum craſſae fuerunt, atque ita concreuere, ut cutem bouis aequantes nullo modo a ſe inuicem diſtingui et ſeparari potuerint.

p. 178. 3) *De mirandis corticis peruuiani effectubus in gangraena.* Auctore Cl. MARCHANT. Hos duabus obſeruationibus confirmat. In foemina enim, cuius partes genitales, ob laborioſum partum, gangraena deſtructae fuerunt, cortice hinc largiter uſurpato corruptionis progreſſus non ſolum impeditus fuit, ſed et partes ipſae in integrum reſtitutae ſunt, excepta veſica, quae ob ſphincterem, forte deſtructum, urinam inuoluntarie emiſit. Altera obſeruatio ad iuuenem ſpectat, cui brachium a molendini rota fractum et ita deſtructum fuit, ut ſphacelus ſtatim accedens ad axillam uſque ſe extenderit. Cortice largiter propinato ſphaceli progreſſus cohibitus fuit, brachioque poſthac amputato aegrotans dein euaſit.

p. 187. 4) *Carcinomatis mammae curatio ope infuſi foliorum belladonae.* Auctore Cl. LAMBERGEN.*

p. 193. 5) *Obſeruationes practicae de cortice peruuiano.* Auctore Cl. VANDERMONDE, *diarii huius Editore.* His corticis huius uſus probatur inque morbis, inprimis periodicis, hoc eſt, qui, ut febres intermittentes, certo tempore recurrunt, laudatur. Conſiderate tamen eum exhibendum et ad morbi indolem ipſiusque aegrotantis conſtitutionem attendendum eſſe, monet. Saepe enim corticem aliis proficuum, aliis contra noxium euadere variis exemplis probat.

p. 203. 6) *Noua analyſis chemica aquae martialis Helmſtadienſis.* Auctore Cl. CONRADO FABRICIO.**

p. 212. 7) *Obſeruatio de lamina oſſea in pectore reperta.* Auctore Cl. PEQVEVLT. Corpore nimirum phthiſici cuiusdam aperto, ſubſtantiam hanc oſſeam coſtis ſuper

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 261.

** vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. I. p. 19.

ſuperimpoſitam atque in et externe membrana in- ueſtitam et ope celluloſi contextus coſtis iunctam reperit.

8) *Obſeruatio de homine, qui per virile membrum pus, materiem faeculentam et flatus emiſit.* Auctore Cl. DONADIEV. p. 214.

9) *Extractio calculi veſiculae fellis ſingulari operatione facta a* Cl. CIVADIER. Vlcere fiſtuloſo in regione veſiculae reperto calculoque per hanc viam, ſpecilli ope, detecto, ſinuoſam hanc viam dilatarunt calculumque extraxerunt. Aegrotans poſthac optime conualuit. p. 216.

10) *Obſeruatio de ſingulari perioſtei exfoliatione.* Auctore Cl. GAVDET. p. 220.

11) *Litterae, quas de morbo populari in noſodochio militari aliisque in Prouincia, Prouence, regnarunt, ad Editorem huius diarii* dedit Cl. BERTHONYE. p. 223.

12) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic deprehenditur p. 229.

Obſeruatio de uſu agarici quercini interno. Auctore Cl. BRILLOVET. Exhibuit nimirum cum decocto Simaroubae agaricum homini, dyſenteria laboranti, huncque reſtitutum plane fuiſſe, refert.

Obſeruatio de cane, pſittaco ſimili, deque puella circopithecum aequante. Auctore Cl. MARECHAL, *filio.* p. 231.

Compoſitio cerei, inſignis in urethrae morbis, utilitatis. p. 232.

Remedium contra rabiem. Hoc ex conchis oſtrearum calcinatis cumque vino mixtis conſiſtit. p. 233.

Vires ſucci foliorum fraxini aduerſus morſum viperae. Hic ſuccus multiplici experientia probatus commendatur.

13) *Obſeruationes meteorologicae menſe Ianuario* 1757. *annotatae.* p. 235.

p. 240. 14) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt.* Colicam nimirum, epidemicam fere, et ſub finem menſis malae indolis variolas obſeruarunt.

In *menſe Aprili* 1757. occurrit:

p. 243. 1) *Hiſtoria puellae, quae absque pedum et manuum miniſterio, ſolo ventre, ſonitum tympani militaris,* ſimulque *talem, quem fabri ferrarii, ferrum cudentes, excitant, imitatione expreſſit.* Auctore Cl. THEBESIO.* Licet iſta foemina morboſum ſtatum ſimulaſſe videatur, hanc tamen actionem, praeter naturam, minime absque voluntate iſtius, ſed lucri tantum cauſſa, excitatam eſſe, Noſter perſuaſus eſt.

p. 249. 2) De *mucilaginoſorum utilitate in non nullis morbis oeſophagi, ventriculi, inteſtinorum et tracheae* quaedam appoſuit Cl. MAIAVLT. Laudat nimirum iſthaec remedia in illis morbis, ubi naturalis iſte mucus deſtructus eſt, eaque, pro re nata cum abſorbentibus, oleis, nitro et tonicis iuncta optime mucum iſtum ſupplere, autumat; hincque iis, qui acida mineralia aut aliud acre, mucum iſtum deſtruens, deuorarunt, iisque etiam, qui dyſenteria laborant, optime conuenire, expertus confirmat.

p. 257. 3) *Analyſis aquarum mineralium noſodochii de Caen.* Auctore Cl. MORLET. Experimentis his inſtitutis, aquas has ad martialium claſſem referendas eſſe, autumat. Hisce nimirum vitriolum martis in parua quantitate, praeterque hoc ſalem quendam ſeleniticum, ex vitriolico nimirum acido et terra calcaria compoſitum, terram porro abſorbentem ſubtilem, tandemque ſalem marinum in exigua quantitate, aliquamue ſalis Glauberiani portionem ſimul ineſſe, perhibet. Has aquas absque iactura virium e loco tranſuehi non poſſe, idem refert.

4) *Obſer-*

* vid. Acta Phyſico-Medica. Acad. Natur. Curioſ. Vol. X. Obſ. 88. p. 337.

4) *Obſeruatio de foemina quadam duplici utero praedita.* Auctore Cl. SANYER DU LAC, *filio.* Vnus nimirum alterum in ſe recondidit. Foemina, in qua ſingulare iſtud obſeruatum fuit, quinquies foetus enixa eſt, et tunc temporis adhuc vixit. Obſeruatio dubia ſolo attactu vix definienda. p. 278.

5) *Obſeruatio de regeneratione urethrae, gangraena, ab interna cauſſa orta, plane deſtructae.* Auctore Cl. LAPEYRE. p. 281.

6) *Hiſtoria empyematis purulenti, exfoliatione partis coſtarum verarum facta, curati.* Auctore Cl. CACKSTRYCK. Notamus hic, hominem quendam ex pleuritide empyicum fuiſſe, factaque paracenteſi pureque hinc una cum aere euacuato, poſtea reſtitutum. Notatu etiam dignum eſt, hunc ipſum antea iam aliquoties ſimili morbo laboraſſe, facta inciſura a pure liberatum. p. 287.

7) *Obſeruatio ſingularis de foemina quadam, quae foetum per anum excluſit.* Auctore Cl. GVILLERME. Grauida nimirum ab alto cecidit, menſibusque aliquot abhinc elapſis diarrhoea putrida correpta ſingulas foetus partes per anum reddidit. Licet autem ſumme emaciata et morti proxima fuerit, ſenſim tamen ſenſimque reſtituta perfecte conualuit. p. 292.

8) *Obſeruatio de abſceſſu quodam femoris, quo aperto, acicula, pollicis duarumue linearum longitudine, inque apice incruſtata exiit.* Auctore Cl. DVRAND. p. 296.

9) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic deprehenditur, p. 300.

Obſeruatio de quatuor ductibus urinariis. Auctore Cl. DEVILLIERS. In utroque nimirum latere hominis cuiusdam duos ureteres vidit.

Obſeruatio, de vermibus ſanguineis. Auctore Cl. BARATTE. Dum vena ſecabatur, una cum ſanguine vermem, pollicis longitudine, rubrum exiiſſe, perhibet.

p. 301. *Obſeruatio, de morte ſubitanea a vaſculo rupto.* Auctore Cl. HENRY.

p. 304. *Obſeruatio, de ſene nonaginta ſex annorum mire ſalaci.* Auctore Cl. BEHR.*

p. 305. *Effectus olei nucis viniqua alicantici contra vermem ſolitarium.* Auctore Cl. PASSERAT DE LA CHAPELLE. Quinque nimirum uncias olei nucis ventriculo ieiuno propinauit, duabusque horis cum dimidio elapſis quatuor uncias dicti vini ſuperbibi iuſſit. Remedio hoc per aliquot dies continuato taeniam per partes exiiſſe, exemplis probat.

p. 307. *Remedium, dolores podagrae vehementes absque ulla noxa, ſedans et imminuens.* Auctore Cl. FVVN. Id in radicum quarundam decocto et balſamo conſiſtit. Prius ex Polypod. Hermodact. Bardan. Saſſaparill. ana unciis quatuor; Raſ. Lign. Sanct. unciis duabus; Aquae libris nouem tribusque vini albi, coquendo paratur. Hocce decoctum, pro potu ordinario eiusmodi aegrotantibus exhibendum, laudatos effectus praeſtitiſſe, perhibet. Balſamum vero ita paratur: Sumuntur Therebinth. unciae tres; Sal. Tartar. uncia una et ſemis; Sapon. Venet. unciae duae; Aqu. Pluu. libra una et ſemis. Haec probe ſenſim mixta vitro induntur et Spir. Matric. vel Iuniper. unciae duae adduntur. Hunc balſamum membris exterius affricandum, optime in rheumatiſmis, luxationibus et contuſionibus conuenire, experientia confirmare putat.

p. 310. 10) *Epitome Theſeos, quam in ſcholis medicorum Pariſiis d. 27. Ianuar.* 1757. *ſub Praeſidio* Cl. DE S. LEGER defendit Cl. GIRARD DE VILLARS. Quaeſtionem nimirum, *num Irritabilitas pariter ac ſenſibilitas a neruis dependeat,* affirmatiue reſoluit.

p. 316. 11) *Obſeruationes meteorologicae, menſe Februario,* 1757. annotatae.

12) *Morbi*

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 693.

12) *Morbi, qui Pariſiis eodem menſe regnarunt.* p. 320. Praeter colicam bilioſam praecedenti menſe annotatam, hocque ſenſim euaneſcentem, faucium in primis morbos, deglutitionem difficilem et catarrhales fluxiones obſeruarunt. Reliqui enim morbi in ſingulis tantum aegrotantibus apparuerunt.

In *menſe Majo* 1757. deprehenduntur:

1) *Meditationes de gangraena externa deque generatione vermium in febribus putridis malignis.* Auctore Cl. BOVCHER. p. 323.

2) *Obſeruatio de morbo nigro ſingularis ſpeciei.* p. 336. Auctore Cl. VANDERMONDE *diarii huius Editore.* Accerſitus nimirum ad puellam ſex annorum, febre, maculis liuidis viriumque imbecillitate decumbentem, nigrasque ibi et foetidiſſimas alui deiectiones reperiens, morbum hunc ſic dictum nigrum, ſed ſingularis ſpeciei, eſſe, iudicauit. Haec cogitans eadem etiam remedia, in eiusmodi morbis adhibenda, diluentia nimirum, acida, antiſcorbutica atque purgantia propinauit. Quo facto omnia bene ceſſiſſe, perhibet.

3) *Obſeruatio de ſingulari quodam pedis ſphacelo.* p. 341. Auctore Cl. RICHARD DVPLESSIS. Hic ſaltem notamus, infimum pedem ab interna cauſſa ſphacelo correptum, remediisque incaſſum adhibitis intra tres menſes ita exſuccum et atrum euaſiſſe, ut quaſi ſolis ardore exſiccatus atque aduſtus apparuerit. Dum literis haec mandata ſunt, inter ſanam et corruptam partem manifeſtare ſe coepit ſeparatio.

4) *Deſcriptio monſtri Cyclopis, nati Berolini die decimo nono Februarii anno* 1755. p. 347. Auctore Cl. ELLER. *

5) *Obſeruationes criticae in chemiae Lemerianae editionem nouam Pariſiis a I. T. Heriſſant* 1756. *promulgatam.* p. 360. Auctore Cl. IVLLIOT.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 338.

p. 371. 6) *Obſeruatio de hernia quadam inguinali.* Auctore Cl. BARATTE. Notabile hic fuit, quod, licet aliqua ilei et peritonaei pars gangraena corrupta fuerit, faecesque per vulnus iam exierint, in integrum tamen reſtituta fuerit aegra. Vnde igitur herniarum gangraenam non ſemper mortem ſequi, iſthac obſeruatione Noſter confirmare putat.

p. 375. 7) *Obſeruatio de carie in oſſe frontis.* Auctore Cl. GVINOT.

p. 377. 8) *Obſeruatio de abſceſſu in interna hepatis ſuperficie formato.* Auctore Cl. DVRAND.

p. 380. 9) *Deſcriptio dyſenteriae epidemicae ad finem anni* 1756. *Fougeres*, in Britannia, Bretagne, *et circa eum locum regnantis.* Auctore Cl. LE NICOLAIS DV SAVLSAY. Notatu dignum hic fuit, quod huius dyſenteriae cauſſam praecipuam in ſignis vermium tum lumbricorum tum aſcaridum copia conſtituerit, praecipuaque inde ſymptomata dependerint. Propinatis igitur hanc ob cauſſam remediis ſic dictis anthelminticis, purgantibus iunctis, cuncta melius ceſſiſſe legimus.

p. 389. 10) *Epitome obſeruationum et remediorum.* Hic occurrit:

Sectio hominis, ſpina ventoſa, mortui. Auctore Cl. PERRAVLT.

p. 390. *Obſeruatio de foemina ruſtica, cui exſectus fuit uterus.* Auctore Cl. CAILLE. Vtero nimirum prolapſo, omnemque repoſitionem reſpuente, hinc reſecto, paucus admodum ſanguis effluxit, vulnereque rite tractato foemina tandem euaſit.

p. 392. *Obſeruatio de puella, cui vena millies vicies ſecta fuit.* Auctore Cl. BRILLOVET.

p. 393. *Litterae, quas de modo, liquorem l' Eeau de Luce abſque intermedio praeparandi ad* Cl. BOYER dedit Cl. BETBEDER. His contra Cl. DE LA RIVIERE continentur vindiciae methodi, a Noſtro in praeparando iſto liquore uſitatae.

11) *Ob-*

11) *Obſeruationes Meteorologicae menſe Martio* p. 396. 1757. annotatae.

12) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt,* p. 400. fuere catarrhi in primis autem pleuroperipneumoniae. Praeter hos morbos et variolas et febres putridas et anginas oedematoſas nec non inflammatorias obſeruarunt.

In *menſe Iunio* 1757. occurrunt:

1) *Meditationes de differentibus phaenomenis, quae* p. 403. *variolarum inſitionem, in iuuene, inclyto genere Lugduni Batauorum nato, ſuſceptam, comitata ſunt.* Auctore Cl. GAVBIO. Ex his notamus, iuuenem, in quo variolarum inſitionem ſuſcepit Noſter, febre ſecundaria correptum fuiſſe, quam tamen in variolis artificialibus nunquam obſeruari, non nulli tradunt.

2) *Hiſtoria abortus ſingularis, quem breui poſt ex-* p. 410. *traordinaria grauiditas ſecuta eſt.* Auctore Cl. DEYDIER. Foemina nimirum quarto poſt conceptionem menſe dolores ad partum ſentit, pauloque poſt abortum patitur. Quod primo tunc prodit, ſolidum corpus paruae nucis magnitudine eſt, idque paulo poſt aliud corpuſculum, locuſtae, ſi alas excipias, de reliquo ſimile ſequitur. Quinque ab hoc tempore menſibus elapſis, grauidam denuo ſe ſentit, tuncque abdominis mammarumque volumen ſenſim auctum apparet. Ad quarti menſis finem infantem ſe mouiſſe ipſa foemina refert. Sexto menſe abdomen inſigniter tumidum idemque deprehenditur, quod habent, quae puerperio proximae ſunt. Tunc etiam lac in mammis album ſatque craſſum reperitur, menſtruo interim fluxu nondum ceſſante. Tempore geſtationis elapſo nihil prodit, ſed lacte et menſtruo ſanguine nunc diſparentibus abdomen potius increſcit. Poſt menſem undecimum pedes intumeſcunt, infantis autem motus etiamnum percipitur. Decimo ſeptimo menſe elapſo totius fere corporis habitus

intumeſcit; remediis autem exhibitis praeternaturalis iſte ſtatus ceſſat, excepto abdomine, quod inflatum perſtat. Tandem menſe decimo octauo multa adhibita opera mortuus infans capite inſigni excutitur, ipſa autem foemina moleſtiis his liberata euadit.

p. 422. 3) *Obſeruatio de homine craſſitiei extraordinariae per epiſpaſtica in primis curato.* Auctore Cl. PEFFAVLT DE LA TOVR. Huius hominis abdomen ſex pedes craſſum apparuit, et epiſpaſticum, infimo pedi applicatum ex ſinapi et allio paratum fuit. Licet autem inſignis ſeri copia huius ope exierit, aliquid tamen et aliis remediis, in primis purgantibus, ſimul propinatis, ad imminuendam iſtam craſſitiem tribuendum eſſe, cenſemus.

p. 427. 4) *Noua analyſis aquarum mineralium loci, Greoux in Prouincia, Prouence;* Auctore Cl. DARLVC. Has aquas ex acido ſulphureo volatili, oleo tenui bituminoſo, multo ſale gemmae et nitroſo nec non ſubſtantia quadam ſelenitica compoſitas eſſe, experimentis Noſter probare ſtudet, easdemque vi diuretica, purgante, diluente, reſoluente, emolliente, diaphoretica et vulneraria pollere, aſſerit.

p. 437. 5) *Continuatio obſeruationum in nouam editionem chemiae Lemerianae, reuiſae correctae et auctae* a B** Auctore Cl. IVLLIOT.

p. 446. 6) *Obſeruatio de tumore teſticulorum, infantis trium annorum caput aequante radicitus curato.* Auctore Cl. CIVADIER.

p. 449. 7) *Obſeruatio de ſarcomate, quatuor librarum duarumue unciarum pondus aequante, in cancrum exulceratum degenerato et extirpato.* Auctore Cl. MAVGVE. Tumor hic ſub axilla ſiniſtra ortum duxit, et infra mammam progrediens a ſecunda coſta vera ad quintam uſque ſe extendit inque acumen deſiit. Hoc extirpato inſignis haemorrhagia, vix compeſcenda ſuperuenit,

peruenit, et aegrotans viribus exhauſtus fere periit, aſt omni adhibitá opera tandem euaſit.

8) *Deſcriptio pleuro-peripneumoniae* in loco, *Aumale*, dicto, *et circa eum anno* 1756. *menſe Martio, Aprili, Octobri et Nouembri regnantis.* Auctore Cl. MARTEAV DE GRANDVILLIERS. p. 455.

9) *Summa obſeruationum et remediorum.* Hic deprehenditur, p. 465.

Obſeruatio de puella perfecte ſurda, quae, nihilo tamen minus cuncta intelligendi, medium inuenit. Auctore Cl. DE LA RVE. Quodſi nimirum literas, rerum notiones deſignantes, iſtius manubus, brachiis, fronti vel etiam dorſo impreſſerunt, cunctae illico ideae de iis, quae alii auribus excipiunt, ſubnatae ſunt.

Nouae aquae minerales detectae Paſſy apud Dominam de Calſabigi. p. 466.

10) *Obſeruationes meteorologicae menſe Aprili* 1757. annotatae. p. 468.

11) *Morbi, qui eodem menſe Pariſiis regnarunt,* vagi dolores corporis, rheumatiſmi, affectiones ſcorbuticae cum oedemate, variolae, anginae oedematoſae et inflammatoriae, febres putridae atque continuae bilioſae fuerunt. p. 472.

XII.

DOMINICI VANDELLII Philoſophi ac Medici Epiſtola de ſenſibilitate Pericranii, Perioſtei, Medullae, Durae Meningis, Corneae et Tendinum. 1756. 8. pl. 5. tab. aen. 1.

et

Eiusdem Epiſtola ſecunda et tertia de ſenſitiuitate Halleriana. Patauii, 1758. 8. pl. 5.

Epiſtolarum harum prima, quam ad patruelem ſimilis nominis Patauii exarauit Cl. Auctor, partes, in libelli inſcriptione memoratas, ſenſibiles eſſe aſſerit, atque experimentis, hanc ob cauſſam inſtitutis, probare putat. Vt autem tentamina melius attendi queant, tria igitur momenta prius praemittit. Primo, totum corpus neruis contextum eſſe, ſtatuit, ita tamen, ut et ſpatia inter eos remaneant, quae neruis carent, hincque inſenſibilia exiſtunt. Secundo homines, dolores ſaepe ferre absque ullo doloris indicio oſtendit et exemplo illuſtrat. Tertio tandem innuit, ab inſenſibilitate aliquoties obſeruata non concludendum eſſe, quod res ita naturaliter ſe habeat. His ergo praemonitis experimenta nunc appoſuit, quibus primo cutem, quae Ill. HALLERO ſenſibilis eſt, inſenſibilem eſſe demonſtrat, poſtmodum pericranii, perioſtei, medullae oſſium, durae matris, tunicae corneae et tendinum ſenſibilitatem multis experimentis et obſeruationibus tum ſui ipſius, tum aliorum probare ſtudet. Aſt, tendinum in primis ſenſum ex neruorum ingreſſu demonſtrat. Vere autem tendines neruis inſtructos eſſe, ipſe non ſolum obſeruauit, ſed et alios, qui ingreſſus neruorum in tendines commemorarunt, adducit, ſimulque iconem, qua nerui ad Achillis tendinem tendentes delineantur adiecit.

Epiſtola ſecunda, quam ad eundem Virum dedit Cl. Auctor, partium quarundam, quibus ab Ill. HALLERO ſenſus denegatus fuit, ſenſibilitatem demonſtrare, anniſus eſt. Vt autem rite omnia intelligantur, quinque iterum momenta praemittit. Primo nimirum cerebrum, utpote maius in hominibus quam brutis, maiori etiam copia neruos ad partes demittere, autumat. Secundo hominum animam, ad alia ſaepe intentam, laeſiones partium, exquiſite ſenſibilium, parum aut nihil ſentire, putat, hancque rem exemplis illuſtrat. Tertio cum Cl. ZINNIO telam celluloſam in brutis maiori copia adeſſe quam in hominibus, hinc illis ſenſum obtuſiorem quam his eſſe, ſtatuit. Quarto partes debito tono deſtitutas ſenſum amittere, oſtendit et experimento confirmare ſtudet. Quinto tandem methodum ab Ill. HALLERO, et qui eum in hac re ſequuntur, uſitatam conſiderat, atque *experimenta iuxta illos non* p. 9. *amplius ante rationem ſed poſt eam inſtituta*, *et neruos tendinum et membranarum viſibiles et manifeſtos abſolute negatos eſſe*, aſſerit.

His praemiſſis primo loco pericranium conſide- p. 11. rat, idque, propter neruos, ſenſile eſſe pronunciat. Neruos a pari ſeptimo cerebri et ceruicalibus prouenire et ad pericranium tendere, oſtendit, eius autem ſenſum, experimentis inſtitutis, ſeſe obſeruaſſe, perhibet.

Eadem ratione et perioſtium, neruis praeditum, p. 15. ſenſile hinc eſſe, autumat. Neruos autem in maxillae inferioris, femoris et tibiae perioſtio manifeſte vidit.

Oſſium medullam neruos habere, inde eam ſenſi p. 19. lem, hominesque, tacta medulla, de dolore conqueſtos eſſe, dicit.

Cum autem et in dura et pia matre tum a Noſtro p. 21. tum ab aliis ramuli a neruis quinti et ſeptimi paris prouenientes obſeruati fuerint, utraque ergo mem-

brana

brana ſenſilis pronunciatur, et experimentis confirmatur.

p. 25. At vero, cerebrum ſenſu carere, medullam autem oblongatam eo praeditam eſſe, aſſerit atque ſuis aliorumque experimentis inſtitutis probat.

p. 35. Licet autem, neruos in cornea demonſtrare, difficillimum eſſe, dicat, in boue tamen filamenta neruoſa, a neruo motorio, in tunicam hanc tendentia ſeſe vidiſſe, putat, eam autem vere ſenſilem eſſe, experimentis et obſeruationibus chirurgicis confirmatus, defendit.

p. 39. Ad tendines quod ſpectat, neruis iſtos omnino praeditos eſſe, aſſerit. In Achillis enim tendine neruum a muſculo gaſtrocnemio prouenientem, ipſum tendinem ingredi, aliumque inſimul a crurali ortum neruum externe tendinem intrare, vidit, cuius autem finem non in tela celluloſa ſed in ſolida tendinis compage obſeruari, tradit. Tendines itaque, neruis praeditos, ſenſiles proinde eſſe, experimentis ultro confirmat.

Ad partium tandem irritabilitatem quod pertinet, varia in variis et lacertis in primis tentamina fecit, harumque capite reſecto, cor diu poſthac moueri, atque caudam irritatam ſeſe contorquere obſeruauit.

p. 63. Tertia epiſtola, quam ad Cl. LAMBERTVM dedit Cl. Auctor, et corneae et durae matris ſenſum tribus iterum obſeruationibus chirurgicis probat. Prius autem, quam rem hancce enarrat, Cl. LAMBERTI obſeruationes de ſenſibilitate in hominibus annotatas laudat, inſimulque obiectioni, cur nempe hoedi eo tempore, quo Achillis tendo irritetur, lac tamen ſugant, nec ob dolorem deſiſtant, occurrit,
p. 67. atque ita reſpondet: *Ego*, inquit, *opinor hanc inſenſitiuitatem ſuam originem ducere ab anima rationali in hominibus et a ſpiritu ſeu ab anima ſenſitiua in brutis animalibus*, *quae*, *dum maxima cupiditate et auiditate ad*

ad cibum incumbit, dolores corporis partium absque ulla commotione fert; eodem fere modo, quo in animi vehementioribus pathematibus, atque intenſo nimium ſtudio perſaepe corpus parum aut nihil ſenſile remaneat.

XIII.

De victu febricitantium diſſertatio Auctore IOSEPHO ANTONIO PVIATI Sacilienſi, in Patauino gymnaſio praxeos medicae ordinariae P. P. P. Pataui, typis Seminarii MDCCLVIII. pl. 22. ſine praefat.

Diſſertationem hanc Cl. Auctor ex inſtituto quodam gymnaſii Patauini ſub finem litterarii curriculi ex loco publico dicere quidem coeperat, cum autem per breue temporis ſpatium totam illam recitare non licuerat, auditorum vero multi integram ab Ipſo quaererent, luci eam publicae exponendi cepit conſilium. Agit vero in illa praecipue de victu aegrotorum acuta febri laborantium, enarratque, qualem veteres medici iis in morbis, qualem neoterici ſuaſerunt et adhuc ſuadent, atque argumenta, quibus doctrina haec corroboratur, addit, illud, quod contra illam obiici poſſet, repellit, damnaque ex peruerſo victus in febribus uſu oriunda recenſet, atque de reliquo multa, quae non ſtricte ad hoc thema, potius ad uniuerſam febrium hiſtoriam pertinent, ſubiungit.

Quo itaque viam ſibi ſterneret, qua omnem doctrinam hanc de victu febricitantium percurrere poſſet, diſtinctionem ſpeciesque febrium, et ad illas variam victus rationem ab antiquiſſimis iam medicis conſtitutam praemittit. Morbi in genere ipſis erant vel acuti, vel chronici; illi diuidebantur in acutiſſimos, in peracutos, in acutos ſimpliciter et in acutos per decidentiam, ut vocant. Huic diuiſioni et

varius

p. 6. varius conſtituebatur victus conueniens, ita, ut acutiſſimis victum extreme tenuiſſimum, qui plenaria erat abſtinentia, peracutis tenuiſſimum quidem, non tamen extreme, ſub quo melicratum, oxycratum et ptiſanam colatam intelligebant, ſimpliciter acutis tenuem, ad quem ptiſanam ex hordeo paratam, non percolatam referebant, atque acutis ex decidentia victum plenum, oua ſcilicet, alicam et piſces ſaxati-
p. 11. les imperarent. Ad hanc et morbi et victus diſtinctionem ſtudioſe animum aduertiſſe veteres medicos
p. 22. pluribus ex HIPPOCRATE et GALENO teſtatur locis Cl. Auctor, qui etiam data hac occaſione Hippocratem ab inconſtantiae crimine, cuius ob aphorismum quendam a pluribus accuſatur, ſatis verboſe, ſcilicet verba illius aliter, quam ab illis factum fuit, interpretando, liberat, grauiterque in eos inuehitur, qui regulis veterum non obedientes in acutis morbis iuſcula ex carnibus contritis expreſſa et conſummata exhibent, licet in genere quoad victus copiam conſuetudini aliquid dandum eſſe cum veteri-
p. 57. bus credat. Ne vero de idea conſuetudinis vacillarent, nec inde errores committerent auditores rationem illius explicare tentat mechanicam. Duplex datur conſuetudo, alia, qua agimus, alia, qua patimur; illam vocat Cl. Auctor id, cuius auxilio opus aliquod facile perficitur. Facile vero perfici poteſt, ſi illud pluribus agitur viribus; difficile ſi paucioribus vel imminutis; adeoque conſuetudo in opere aliquo abſoluendo pro viribus auctis, et id, quod conſuetudini oppoſitum, inſuetudo (liceat hoc verbo uti) pro viribus imminutis haberi poſſit. Oritur autem conſuetudo, ſi organa ad opus aliquod exequendum neceſſaria reiterate agendo firmiora redduntur, quod vero ea ratione fit: quo magis exercentur organa, eo maior in illorum vaſa influit ſanguinis et fluidi neruei copia; hinc ex maiori ſanguinis copia influente vaſorum augetur amplitudo maiorque fit

nutritio

nutritio et a fluido nerueo maius robur, adeoque ad id operis conficiendum per crebram actionem organis maius robur pluresque vires conciliantur, quae vero ſuperius pro conſuetudine ſumebantur. Rem hanc explicatu difficilem exemplo ſurarum, quas curſores, et brachiorum, quae remigantes habere ſolent, illuſtrat. Hoc de organis voluntati noſtrae obnoxiis aeque externis ac internis valet; nec longe alia res eſt cum illis, quae extra voluntatis noſtrae imperium ſunt conſtituta, aut quibus tantum patimur. Organa enim rei alicuius perpetiendae conſueta ad rationem illius maius habent robur, maioresque vires, quibus impreſſioni ab extra factae reſiſtunt. Sic organa auditus illorum, qui inter tormenta bellica verſantur, tantum habent robur, tantisque reſiſtunt irritationi a fragore factae viribus, ut ea parum concutiantur, quin immo, milites fuiſſe hiſtoria tradit, qui haud longe ab exploſis tormentis remoti tranquillo uſi fuerunt ſomno; cum econtrario illi, qui antea nunquam illorum exploſioni adſtiterunt, ita concutiuntur, ut credant, ex nimio fragore omnem, disrupto tympano, auditus perdidiſſe ſenſum.

Variis de febrium acutarum praemiſſis, de quibus ad modum profunde paullulumque obſcure agere videtur, propius nunc ad rem propoſitam accedit, et tria, quibus totum de victu febri correptorum ſuperſtruit ſyſtema, ſupponit momenta, quorum primum: *febrim acutam a materia auferenda fieri*, ſecundum: *febrem acutam eſſe materiam auferendam cum magno impetu actam*, tertium: *ut materies auferenda ſalubriter auferatur, vires quidem eſſe aliquouſque minuendas, ſed non proſternendas.* Hinc igitur acute febrientibus non magna ciborum copia, quod in morbo corpus per ſe robuſtum, aliquo modo potius debilitandum quam nutriendum cenſet Auctor, nec cibi maxime alibiles, in quibus ſubigendis plus p. 72.

virium

virium conſumitur et illi eas officiunt, neutiquam ſuſtinent et augent, nec tales cibi, qui motus, in humoribus in febribus illis compeſcendos, excitant, concedi poſſunt. Valde igitur Cl. Auctor improbat victum animalem, primum, quod caro animalium maxima virtute nutriente polleat, adeoque ad ſubactionem illius plures requirantur vires, quae potius morbo ſuperando ſint impendendae; deinde quod in iuſculis ex carnibus diuturniori coctura paratis opimioribus multum optimi ſucci ſit perditum et quod e contrario ſalinae inde, teſte Cl. GEOFFROY, euoluantur particulae volatiliores, quae quantas in acute aegroto excitare poſſint commotiones humorum, facile eſt intellectu; denique quod caro ſanis aptum nutrimentum, aegris hinc neceſſario ineptum praebeat. Ridet etiam iure illos, qui minutim conciſas carnes, vel ex iis parata iuſcula non nocere et aquas analepticas ex pullis deſtillando paratas multum virtutis poſſidere arbitrantur. Oua, cum maximo ſunt nutrimento, non niſi febri acuta ex decidentia la-
p. 92. borantibus poſſunt concedi. Ptiſanae ex cerealibus et potiſſimum ex hordeo et auena paratae (triticum vero Cl. Auctor excipit ex eorum numero) non tantis, quantis carnes, valent virtutibus, illas idcirco merito ſuadet. Vario huic febrium victui, quo veteres ſunt uſi, alius ſubſtitui poteſt, non vero oua, non gallinae iura, non pullorum carnes, non amygdalarum cremor nec piſces ſaxatiles, ſed potius, et quidem melicrato et oxicrato veterum aqua, ſucco li-
p. 104. monum et ſaccharo impraegnata, cremori vero ptiſanae emulſio ex ſeminibus frigidis plus minus diluta, paucis interdum additis amygdalis dulcibus. Conuenit etiam ptiſana ex auena et oryza atque ex pane parata panatella. Permittit quoque Cl. Auctor fraga, mora, ceraſa, ribeſia, mala et pyra, ex quibus poſterioribus tamen coctura plurimum aeris expulſerit. Nec diſſuadet in morbis peracutis, auctoribus

BECCA-

BECCARIO et MONTIO, Cammarorum aut cancrorum fluuiatilium iuſcula, vel in primis ubi ſuſpicio acidi, in viis primis peccantis, adeſſet. Si vero vires in ſimpliciter acuto morbo ad vigeſimum uſque diem ſunt ſuſtinendae, ius etiam pullorum vel veruecis cum oleribus mollibus et refrigerantibus coctum concedi poteſt. In acutis autem morbis ex decidentia exhiberi debent *panatellae valentiores*, *panis eiusdem ſubtiliores offulae e iure: ſubtiliora e paſta fermentata cibaria; oua recentia ſorbilia: eadem iure ſoluta: teneriorum animalium teneriores ſine pinguedine carnes: cerebra: iecinora, thymus vitulorum.*

Nunc tertium Cl. Auctor ſuperius propoſitum p. 110. disquirit argumentum, quod videlicet viribus quidem opus eſſe, affirmabat, ut auferenda materia ex corpore auferatur, ſed viribus non magnis; hinc vires acute febrientium non eſſe intendendas, ſed minuendas. Quicquid vero de eo propoſuit, eo, (ni toti fallimur) redire videtur, ut iubeat, in febribus acutis rationem febris ipſius, ne nimio ſaeuiat impetu, quoad victum haberi, nec medicos de viribus per illum augendis in ipſa febre ſollicitos eſſe. Quod autem tam ſingulari methodo inuſitataque dictione explicat, ut facile lector parum attentus falli et eo adduci poſſit, quo longe aliam, quam quae, ut opinamur, Cl. Auctoris ſit ſententia, et quae rei naturae reſpondeat minus, inde ſibi formet. Nam quicquid etiam ille de viribus acute aegrotantium imminuendis dicit, id tantum modo de febris viribus moderandis eſſe aſſumendum nobis videtur. Probe ſunt diſtinguendae vires a cauſſa morbi auctae, et vires, quae a natura ad aegrotorum ſalutem excitantur; illae enim ſemper omnique ſtudio ſunt infringendae atque imminuendae, cum e contrario, ut hae in vigore ſuo per totum morbi decurſum maneant, valde optandum; licet Cl. Auctori facile largiamur, eaque in re prorſus cum illo faciamus, id victu maxime

me nutriente, cuius ergo omnia haec produxit et de quo in ſequentibus ulterius agit, damnumque inde oriundum mechanice explicat, iis in morbis praeſtari non poſſe. Sic aſſerta Cl. Auctoris, quae non nullis partim nimis dura, partim non ſatis congrua videri poſſent, interpretari debere credimus, ſi Cl. Auctori, differentiam illam, quae intercedit inter vires naturae et vires morbi hoc in loco non attendiſſe, cuius tamen in ſectione ſubſequente omnino meminit, vitio vertere nolumus. Certe exempla adducta ſatis ſuperque teſtantur, in iis aegris non nimiam ſaeuiiſſe febrim, nec motus excitatos fuiſſe deſtructorios, ſed tantum duntaxat adfuiſſe virium, quantum morbo ſuperando ſuffecerit; ideoque quod aegri ex morbo conualuerunt, non viribus imminutis eſt tribuendum, quae potius a morbo ipſo fuerunt imminutae et deſtructae, ita, ut vires deſtructae vel imminutae effectus ſint morbi debellati, non vero cauſſae morbi feliciter debellandi.

p. 138. Quaeſtionem nunc mouet, quomodo aeger viribus vere exhauſtus in ipſa adhuc urgente febri ſit nutriendus. Apte id docet exemplo aegroti alicuius ex GALENO deſumti; ex quo ſub finem colligit: eiusmodi aegris victum quidem pleniorem eſſe praebendum, hac tamen lege, ut parum una vice et ſaepius ille exhibeatur. Licere etiam, urgente debilitate, aegro in ipſo febris ſummo paroxyſmo victum exhibere idem docet exemplum, quo in caſu Cl. Auctor iuſcula cum ouis recentibus ſucco limonum, citrinorum aut aceto condita, additis ſpiritu eſſentiali meliſſae; aqua cinnamomi, vel ptiſanam ex oryza cum ſyrupo rubi idaei, vel vinum, panisque optimi tor-
p. 146. refactas offulas et eo madidas ſuadet. Sunt etiam aegroti, qui ciborum in ipſo morbo capiendorum auidi, nec parco victu contenti debilitatem ſimulant, ne ab iis decipiatur medicus, ad arteriarum pulſum virium optimum indicem attendi, ſuadet Auctor et

cautelam

cautelam eo in caſu addit, ubi et ipſi aegri a quodam ſenſu interno falluntur. Euenire enim ſolet, ut ii, qui ventrem mole paruum et graciliorem habent, ventriculo depleto, viſcerum pondus et ſuſpenſionem ſentire videantur, quae ſenſatio, ventriculo iterum repleto cibis, mox euaneſcit.

Duo etiam loca ex HIPPOCRATE inter ſe in- p. 152. uicem comparat Cl. Auctor, in quorum altero aegros ſtatim ab initio, contra Diatritarios, nutriendos, quo ad morbum ſuperandum vires poſtea non deficerent, in altero vero, ab initio morbi euacuationem eſſe inſtituendam, praecipit, rationemque, qua id dictum fuerit, exponit. Sub finem quoad victum p. 168. dum in morbis acutis, cum chronicis multas et egregias ſuppeditat regulas, quae, ut obſeruentur, omnino dignae ſunt. Noſtram ſi nobis liceat, de hoc opuſculo exponere mentem, nos, quoad propoſitae theſeos ſummam cum Cl. Auctore conſentire, ingenue fatemur, licet in rationibus atque argumentis, quibus illam commonſtrare et corroborare anniſus fuit, ab Ipſo interdum iure, ut credimus, optimo diſſentire, inficias ire nolimus. Meretur interim, Cl. Auctor non paruam laudem, et opuſculum, ut a medicis practicis legatur, commendamus.

XIIII.

Deux Memoires ſur la formation des os, fondés ſur des experiences. Par ALB. DE HALLER, Preſident de la Societé Royale des Sciences de Göttingue, Membre de l'Academie Royale des Sciences de Paris; de celles de Londres, de Berlin etc. A Lauſanne, chez Marc Mich. Bouſquet et Comp. 1758. 12. pl. $11\frac{1}{2}$.

h. e.

Commentarii duo de formatione oſſium experimentis ſtabiliti. Auctore ALB. DE HALLER, etc.

Huius libelli pars prior in duas iterum diuiditur partes, quarum altera experimenta continet, quae cum rubia tinctorum, ad inueſtigandam calli oſſium formationem inſtituta ſunt, altera autem obſeruationes tradit, quas de oſſis formatione in ouis incubatis Ill. Auctor collegit. Ex his, priori commentario inſertis, obſeruationibus, ſat numeroſis, res maxime notatu dignas ſeorſim collegit et epitomen de his exhibuit; quibus tandem rite perpenſis varia conſectaria ſubnexuit: Atque haec omnia commentarius ſiſtit poſterior. Quod ad priorem ſpectat, breuibus nos expediamus. Ibi enim non niſi obſeruationum et experimentorum indiculus continetur, quorum autem ſumma absque iactura tradi vix unquam poteſt. Pauca tamen commemorare liceat.

p. 9. Quae prioribus paginis continentur, ad calli formationem pertinent, eaque, ut Ill. Auctor monet, obſeruationes et experimenta ſiſtunt, quae cum rubia tinctorum Cl. DETLEF inſtituit, et diſſertationi ſuae inaugurali inſeruit.

His expoſitis non nulla inde Noſter deducit con- p. 39.
ſectaria, quorum ſumma ſequens eſt: 1) Callus ex ſucco gelatinoſo a fractis oſſium extremis et medulla proueniente formatur. 2) Succus hic per gradus craſſeſcit tandemque in cartilaginem mutatur. 3) In hac, cartilagine nimirum, oſſeum punctum, ut in naturali oſſificatione enaſcitur, ſenſim augetur, et cartilaginoſa facies contra minuitur. 4) Callus ceu verum os ſpongioſum apparet, quod temporis tractu durius ſenſim euadit. 5) Perioſteum nihil ad oſſium unionem confert, et non niſi callo indurato renaſcitur. 6) Vaſa in callo reperiuntur. 7) Tandem rubia tinctorum nec perioſteo nec cartilagini, ſed oſſibus tantum et oſſeo etiam in cartilagine deprehendendo puncto imo et callo, in os iam mutato, colorem conciliat.

Commentarius poſterior, qui obſeruationum ſum- p. 177.
mam et varia conſectaria continet, in ſectiones octo diuiditur, quarum prima de cartilagine agit. Haec primum oſſis elementum dicitur et parum a primordiali, oſſa componente, gelatina differt. Die incubationis ſeptimo flexilis ea adhuc eſt, nullas autem fibras, nullas laminas nec ulla tunc temporis vaſcula continet, eiusque pelluciditas aquae ſimilis eſt. Hora 192. oſſea ſubſtantia primum apparet, tuncque ea cartilagini quaſi intermixta eſſe videtur. Flauo tamen colore vel rubro nec non natura fibroſa dignoſcitur a cartilagine, quippe quae pellucida eſt nec fibroſa unquam exiſtit. Cartilaginis longitudo augetur, prout oſſea pars creſcit, ita tamen, ut, totius oſſis longitudine ponderata, oſſea pars augeatur, cartilaginea autem ſenſim imminuatur. Sic v. g. tibiae ſubſtantia, quae primis diebus maximam partem cartilaginoſa fuit, ita ſenſim oſſeſcit, ut die decimo quinto elapſo cartilaginea ſubſtantia vix lineam dimidiam aequet. Durities cartilaginis cum intercurrentibus oſſeis lineis ſimul augetur, ſique perfecte indu-

 rata

rata eſt, tunc in extenſione ſubſiſtit et praeter lineam, inter corpus et epiphyſin deprehendendam, flexilis ulterius haud eſt.

p. 185. Sectio ſecunda id, quod corpus oſſis dicitur, conſiderandum offert. Hoc a cartilagine differt: Rigidum enim et fragile eſt, nec non colore fibris et laminis inſtruitur. Die octauo prima veſtigia oſſis apparent, idque ex colore cognoſcitur. Opacitas namque oritur, ubi os formatur, idque, quod opacum eſt, ſi microſcopio ſubiicitur, fibroſum apparet, ſulcisque ſenſim natis color etiam rubeſcens ſubnaſcitur. Quodſi pars ſulcoſa nunc et colorata eſt, flexilitas ceſſat, quodque contra tunc temporis album et laeue deprehenditur, id flexile eſt. Os praeterea ſubitum incrementum capit et breui tempore cartilaginem ſuperat. Fibrae enim a corpore oſſis productae hinc inde cartilagini intertextae reperiuntur, et quotidie augmentum capiunt, uſque dum totum oſſis corpus oſſeſcat, exceptis extremis, quae cartilaginoſa exiſtunt. Die decimo quarto ſulci ſanguine turgent, iamque vaſa intra oſſis ſubſtantiam reperiuntur. Laminarum ortus breui poſt fibrarum originem obſeruatur, idque die decimo quarto euenit. Laminae hae ope ſulcorum, vaſa continentium, a ſe inuicem ſeparantur.

p. 194. Sectio tertia cauitatis medullaris, laminarum et ſubſtantiae alueolaris formationem deſcribit. Cauitas oſſis die octauo elapſo primum in conſpectum venit, ſenſim augetur et, cartilagine in os iam mutata, ad epiphyſes uſque extenditur. Haec cauitas in medio anguſtatur, ſi os ibi craſſeſcit, contra vero circa epiphyſes ampliatur et per aliquod tempus laeuis eſt. Ad finem diei duodecimi laminae oſſis cernuntur, quae in medio numeroſiores exiſtunt quam circa epiphyſes, et primis diebus ſpongioſae et lanuginoſae ſunt, quaeque tractu temporis, poris imminutis inque ſulcos mutatis duriores euadunt. Laminas has ad

ad finem ambit celluloſus quidam contextus, qui alueolorum oſſeorum, partem alueolarem dicit Noſter, delineationem ſiſtit. Ad hos, alueolos nimirum, vaſcula ab utroque oſſis extremo prouenientia tendunt, cruſtamue cartilaginoſam perforant, quorum rami laminas inter ſe nectunt, cellulasque formant.

Sectio quarta membranarum et medullae originem continet. Perioſteum eodem tempore, quo cartilago in conſpectum venit, apparet, et epiphyſi et ei parti, quae corpus oſſis conſtituit, adhaeret. Valde tenerum in principio iſtud eſt, eiusque craſſities augetur, prout os creſcit aut cartilago in os mutatur. Quamdiu os cartilago eſt, iſtud parum adhaeret, ſtatim autem, ac os conſpicitur, huic fortius adhaeret, ſique tunc remouetur, vaſcula in oſſe conſpiciuntur, quae autem, ut Noſter putat, non a perioſteo proueniunt. Hoc enim album ſemper et celluloſum reperit. Ad finem diei duodecimi prima veſtigia medullae cernuntur, tuncque vaſcula celluloſo contextu unita cilindrum cellularem, totam oſſis cauitatem interne occupantem conſtituunt. Haec vaſcula ſub membranae forma apparent et ceu perioſteum internum conſiderari poſſunt. Nunquam autem iſta, membrana nempe oſſi interius ut verum perioſteum externum adhaeret, ſed ad includendam et firmandam pinguedinem deſtinata eſſe videtur. p. 204.

Sectio quinta epiphyſeos et nuclei oſſei formationem tradit. Quam primum os conſpicitur, etiam epiphyſis apparet, ideoque una cum oſſe formatur, cum quo primis ſtatim diebus continuum conſtituit, intercurrente nimirum linea cartilaginoſa, inter corpus oſſis et epiphyſin deprehendenda. Eo in loco, ubi epiphyſis corpori oſſis iungitur, nulla laeuitas ſed aſperitas eſt, quippe quae corpus epiphyſi nectit. Praecipuum autem vinculum eſt perioſteum. Hoc enim a corpore oſſis prouenit et ad epiphyſin tendit, et utrique loco valde adhaeret. Differt epi- p. 211.

phyſis ab ipſo oſſis corpore in eo, quod corpus oſſis citius, tardius vero epiphyſis in os mutetur. Differt de reliquo eadem ratione formationis. Corpus enim ſi ex cartilagine in os tranſit, lineas oſſeas emittit, quae ſenſim ſenſimque augentur, uſque dum omnis cartilago in os mutata ſit. In epiphyſi autem nucleus oſſeus deprehenditur, qui in medio reſidet, et ſenſim augetur, ita, ut de epiphyſi tandem et oſſis corpore, utrisque in principio cartilaginoſis nihil remaneat quod cartilaginis formam haberet, quam illa linea, quae inter epiphyſin et ipſum corpus deprehenditur.

p. 218. Sectio ſexta oſſium vaſa tam corporis quam epiphyſeos deſcribit. Die undecimo prima veſtigia arteriae deprehenduntur, tuncque ea ceu macula in tibia aut femore apparet. Die decimo tertio ad oſſis longitudinem iſta decurrit, haecque in femore duplex inque tibia ſimplex eſt et a crurali prouenit. Intrat ea ipſum os, cui omnia vaſa largitur. Proueniunt namque vaſa, quae inter ipſas oſſis laminas decurrunt, proueniunt porro ea, qnae membranas, medullam conſtituentes, perreptant, proueniunt tandem et ea, quae ad interius oſſis latus decurrunt. Ex vaſis, quae in corpore oſſis reperiuntur, quaedam ad epiphyſin tendunt, cruſtamue cartilagineam perforantes in epiphyſi diſtribuuntur, ſed haec non ſola exiſtunt: Accedunt enim et alia, quae a vaſis, epiphyſin exterius cingentibus, proueniunt et dein intrant.

p. 235. Sectio ſeptima gradus euolutionis oſſium eorundemque augmenti rationem exponit. Oſſa, quae ad octauum uſque diem flexibilia nec unquam elaſtica ſunt, die hoc elapſo elaſtica nunc deprehenduntur, eorumque color, qui albus adhuc fuit, nunc flauus, hocque poſtea tranſeunte, ruber fit. Die duodecimo filamenta et ſulci nec non laminae oſſium et medullae vaſcula diſtinguuntur inſimulque puncta rubra hinc

hinc inde apparent. Cuncta haec die decimo ſexto perfectiora exiſtunt. Sulci enim omnes formati tunc ſunt, et puncta illa rubra in vaſcula iam mutata deprehenduntur. Die tandem decimo octauo os durum et fragile eſt. Quod autem hic de naturali oſſium euolutione obſeruatur, id ſane et in calli formatione deprehenditur. Iidem namque gradus euolutionis et augmenti in hoc quam in oſſe obſeruantur; quae autem res notatu digna eſt, in primis ſi perpendamus, callum ex ſucco oſſium effuſo, ideoque aliter, ac oſſa ſolent, generari.

Sectio ultima corollaria et meditationes de me- p. 245. chaniſmo et incremento oſſium continet. Quae hic legimus ad perioſteum et formationem oſſis ſpectant. Quod ad perioſteum pertinet, Ill. Auctor oſtendit, iſtud minime oſſificationis cauſſam eſſe, multoque minus ipſum in os mutari. Veritas huius aſſerti ſequentibus probatur: 1) Perioſtei ſtructura ab oſſis fabrica plane diuerſa eſt. Celluloſum enim eſt, fibrasque paruas et minus conſtantis directionis habet. 2) Perioſteum tardius formatur ipſo oſſe, dumque hoc formatum iam eſt, iſtud admodum ſubtile cernitur, craſſius contra fit, dum os craſſeſcit. 3) Si perioſteum laminas oſſis formaret, ſequeretur, ut illud oſſi arctius adhaereat. Aſt contrarium deprehenditur. Eo enim in loco, ubi oſſeum punctum ſenſim increſcens, in cartilagine cernitur, iſtud plane non adhaeret. 4) Perioſtei laminae nunquam ſemi oſſeae apparent, os autem, quod cartilaginoſum primo fuit, in os mutatur, absque eo, ut in membranam prius tranſeat. 5) Perioſteum materiam oſſificantem non ſuppeditat, idque probatur, quod nucleus oſſeus in medio cartilaginis deprehendendus nullo perioſteo tegitur. 6) Perioſteum humorem oſſis nutritium minime adfert. Album enim eſt, nec ulla vaſcula eo tempore exhibet, dum oſſis vaſa conſpicua iam ſunt. 7) Tandem oſtenditur, quod particulae colo-

 ratae

ratae ad oſſificationem requirantur. Nunquam enim cartilago absque colorum mutatione praeuia in os mutatur. Aſt nunquam etiam perioſtei color mutatur, nec colorem a rubia tinctorum acquirit, licet tunc os tinctum ab ea appareat. Ex his itaque Noſter concludit, perioſteum oſſi tegumento tantum datum eſſe, figurae eius limites ponere et vaſcula nutritia adducere, os autem ipſum ex glutine in cartilaginem mutando formari.

p.252. His tandem coniecturas de oſſium formatione appoſuit Noſter. Primarium momentum, quod hic excutitur, eſt ipſa oſſificatio, cuius cauſſa in corde et arteriis ponitur. Os nimirum, quod primis diebus gluten tantum fuit, facile et ſubito in cartilaginem mutatur. Mutatio autem huius in os nec facilis nec ſubita ſed tarda admodum et obſcura eſt. Nunquam enim cartilago in os mutatur, niſi pars, quae in os tranſit, antea opacetur et colorem ex albo flauum acquirat. Aſt opacitas et colorum mutatio ſignum fluidi aduenientis eſt, quod autem non niſi per vaſa ibi deferri poteſt. Arteriae ergo, in oſſe prius non conſpiciendae ſenſim tamen viſibiles factae, materiem, terram nimirum aduehunt, quae cauſſam mutationis cartilaginis in os ſuppeditat. Aſt arteriae vi cordis incitatae materiem propulſant; prout ergo cordis vis augetur, oſſis tunc quoque augetur durities. Hinc ſulci, laminae et oſſis colores varii oriuntur, atque os ipſum, arteriarum pulſatione ſenſim aucta, eo demum diſponitur, ut perfecte indureſcat. Quod autem de naturali oſſificatione hic aſſeritur, valet etiam de formatione calli. Hic enim haud prius oſſeam duritiem acquirit, ac ſi eius ſubſtantiam vaſa antea perreptauerint, quibus demum obſeruatis, ipſius etiam calli ex cartilagine in os mutatio obſeruatur. Ergo cor cauſſa oſſificationis exiſtit. Hoc namque in arterias, hae autem in os, cartilaginoſum adhuc agunt, et tranſmutant. At, ma-

gis

gis huius aſſerti veritas elucet, ſi quando ipſas obſeruationes conſulimus. His namque euincitur, quod, quo debilior in foetu motus cordis obſeruetur, eo tardior oſſis mutatio procedat, contra vero, quo vegetior idem eſt, eo celerius os ex cartilagine in oſſeum ſtatum tranſeat. Cum autem eadem oſſium ſtructura, quae auibus eſt, et in quadrupedibus obſeruetur, horumque fabrica cum hominum ſtructura conueniat, eandem inde oſſificationis rationem, quae in auibus reperitur, et in quadrupedibus et hominibus locum inuenire, Noſter tandem concludit.

XV.

Acta Heluetica phyſico - mathematico - anatomico - botanico - medica, figuris aeneis illuſtrata et in uſus publicos exarata. Volumen III. Baſileae typis et ſumtibus Ioh. Rudolphi Imhof. 1758. 4. alph. 2. pl. 10. tab. aen. 17.

Ex iis, quae in hocce volumine occurrunt, obſeruationibus, partim ſummam partim inſcriptiones apponere liceat.

1) *De calculis in veſica repertis et a Cl.* I. D'APPLES *communicatis relatio,* gallico ſermone conſcripta. Auctore Cl. ROGGVIN. Laborauit nimirum vir quidam fluxu haemorrhoidali, quo ceſſante ſanguis cum urina effluxit. Paulo poſt de doloribus, ut calculoſi ſolent, conqueritur; veſica ergo diſquiſita corpus durum, reſiſtens et immobile repererunt, inde remedia, calculum ſoluentia, adhibuerunt, quibus diu uſurpatis, nullo tamen leuamine obſeruato, tandem obiit. Corpore aperto quatuor in veſica detexerunt calculos, quorum ſingulus unciam pondere exceſſit. Praeter hos quatuor excreſcentias glanduloſas, figurae pyramidalis, deprehenderunt, inter p. I.

quas

quas via reperta fuit, per quam urina exiit. Excreſcentias has, duritie cartilaginoſa praeditas, impedimento fuiſſe, quo minus ad detegendos calculos ſtilus immitteretur, Cl. Auctor refert.

p. 7. 2) Cl. IACOBI D'APPLES *duae obſeruationes practicae de mira et ſtupenda efficacia radicis ſcillae in morbis chronicis ac praeſertim hydropicis.* Radice ſcilla prius deſcripta, variisque, quibus a botanicis inſignitur nominibus adductis, tribus tandem exemplis uſum huius radicis in hydrope et tumoribus oedematoſis proficuum laudat, et, quod ei ſuffragari non dubitamus, recentem radicem exſiccatae, quae plurimis hactenus in uſu fuit, anteponendam eſſe, cenſet.

p. 10. 3) Cl. PETRI GILLERI *obſeruatio de inconſueta ventriculi extenſione.* Viri nimirum, variis ventriculi affectionibus diu cruciati, materiem nigram ſaepe euomentis et inter vomendum tandem defuncti corpore aperto nullum omentum, nullaque inteſtina ſed ingens ſaccus, totum abdomen obtegens et ad peluim uſque productus in conſpectum venit. Hunc ſaccum herniam ventriculi appellat Noſter. Orificia enim parum e ſede naturali diducta, ſed fundus eius et latera ita diſtenta fuerunt, ut ingens inde cauitas exoriretur. Dilatati huius ventriculi longitudo ultra duas ulnas helueticas, ambitus autem unius fere filum admiſit. Sub finem tractationis varios ſubnexuit auctores, qui ſimiles ventriculi hernias obſeruarunt.

p. 13. 4) Cl. IO. HENRICI LAMBERTI *theoria ſtaterarum ex principiis mechanices uniuerſalius expoſita.*

p. 23. 5) *Varia ſchediaſmata de thermometris et barometris, collecta ab Auctore, qui, uniuerſale thermometrum*

trum conſtruendi, methodum propoſuit gallico idiomate conſcripta. Hic occurrit,

Deſcriptio methodi, thermometrum uniuerſale conſtruendi. Editio noua, reuiſa, correcta et aucta ab eodem Auctore.

Determinatio frigoris ſummi, quod vulgari modo Pariſiis ad expoſitionem borealem anno 1709. 1740. *et d.* 10 *Ianuar.* 1742. *notarunt.* p. 51.

Eiusdem Auctoris agendi ratio in determinando conſenſu mutuo thermometrorum Cll. DE LISLE, FAHRENHEITII, NEWTONII *aliorumque cum thermometro Auctoris ſpiritu vini parato.* p. 58.

Commentarius de thermometris Cl. REAVMVR *et Auctoris,* in forma epiſtolae, *reſponſoria ad tomum quartum Lectionum Phyſicarum Cl.* NOLLET. p. 65.

Explicatio tabularum, effectus caloris et frigoris in barometro corrigentium. Auctore eodem. p. 94.

Tabulae, effectus caloris et frigoris in barometro corrigentes; directae ad gradus thermometri uniuerſalis cum ſpiritu vini parati; combinatae cum gradibus deſcenſus et aſcenſus thermometri uniuerſalis mercurialis, ita, ut omnes obſeruationes barometricae ad terminum temperiei globi terraquei redigi poſſint. p. 97.

6) *Modus deſcribendi ſcalas thermometrorum, quorum tubi variantem amplitudinem habent.* Auctore Cl. LVD. WENTZIO. p. 105.

7) *Deſcriptio ſpeciei Myrrhidis montanae perennis.* Auctore Cl. GAGNEBIN. Gallico ſermone exarata. Characterem uniuerſalem umbelliferarum plantarum et ſpeciatim myrrhidis ex optimis Auctoribus repetit, ſynonyma huius ſpeciei proponit, monetque Cl. LINNAEVM *Myrrhidem perennem albam minorem foliis hirſutis ſemine aureo* HALLERI in Edit. III. Florae Ienenſis Ruppii depictam, quae noſtra planta eſt, minus accurate ad *Chaerophyllum caule aequali foliolis inciſis, acutis* Sp. Plant. no. 4. p. 258, et ita ad *Cicuta-* p. 109.

riam

riam paluſtrem, *latifoliam*, *albam* C. B. P. 167 reduxiſſe. Noſtrae vero plantae deſcriptiones ex LOBELIO aliisque auctoribus in primis ex HALLERO repetit, poſtea vero ampliorem ipſe tradit, cuius ſumma haec eſt. Radix lignoſa ex flauo rufeſcens, cauleſcens, fibris ſparſim dimiſſis; caulis ut plurimum tri vel quadripedalis medulla alba repletur, externe ſtriatus, ad exitum ramorum nodoſus, et hic et petioli foliorum aſperitate plus minus inſigni variant; Folia ſimili modo variantia cum *chaerophylli ſylueſtris* foliis maxime conueniunt. In florum et ſeminum deſcriptione breuior eſt nec alia profert quam, quae myrrhidis characteri in genere competunt. Cum odorata ſit planta illa ratione virtutis cum *chaerophyllo hiſpanico moſchato* comparat cuius ſynonyma et deſcriptionem ſubiungit, et ſimul uſus varios a ſcriptoribus materiae medicae indicatos recenſet.

p. 128. 8) Cl. IO. HENRICI LAMBERTI *obſeruationes variae in matheſin puram.*

p. 169. 9) Cl. IOANNIS HOFERI *Io. filii diſſertatio epiſtolaris de poſſibilitate phyſica longaeuitatis Patriarcharum ante diluuianorum ad Virum Excell.* FRIDERICVM ZWINGERVM. Vt ordino aliquo procedat Noſter, primo annorum, quos vixerunt Patriarchae, numerum conſiderat; deinde, diluuio praegreſſo, longaeuitatis decrementum indicat, porro ipſum diluuium eiusque effectus perpendit, tandem cauſſas vitae patriarchis prolongatae adducit. Quod ad primum momentum ſpectat, Cl. Auctor demonſtrat, ante cataclyſmum primos homines ultra ſaecula nouem fere ſemper vixiſſe, poſt diluuium vero annorum ſeriem ita ſtatim decreuiſſe, ut ii iam, quos ſummum numen in ipſo diluuio ſeruauerat, vix ſexcentos annos attingerent Ab eo tempore autem notabiliter annorum numerus decreuit, ita, ut Ioſe-

phus,

phus, Iacobi filius, vix noſtram aetatem ſuperuiueret. Quaenam igitur illius longaeuitatis cauſſae? Hae ſequentes traduntur: Prima nimirum in pluuia nec non tempeſtatum viciſſitudine deficiente; ſecunda in ventorum pariter defectu, tertiaue demum in montium colliumue abſentia ponitur. Vltimum hocce aſſertum ex petrefactorum conſideratione probat. Digreſſionem igitur paulo facit, et, obiectionibus quibusdam remotis, ad ipſam petrefactorum conſiderationem accedit, quorum non nulla et in primis ea, quae ipſe ſeruat, deſcribit. Poſthac cataclyſmi effectus ulterius perpendit, ipſiusque telluris ſtructuram ante diluuium obſeruandam conſiderat. Hanc ex ſtratis horizontalibus conſtitiſſe, ita, ut ſuperius ſtratum ex mera et ſincera humo pingui, plantarum vegetationi aptiſſima, componeretur, aſſerit et praeter arenam et ſilices nullos ante diluuium lapides fuiſſe, coniicit. Ex his autem aquarum et vegetabilium puritatem demonſtrare annititur, et ex hac ipſam iam ſalubritatem corporis probat. Cum enim talis aqua nullis particulis terreo calcareis inquinata nec etiam vegetabilia eiusmodi particulis referta, ſed ſimplici tantum et pauciſſima terra praedita fuerint, factum inde et eſt, ut humores animales diu ſane ſibi ſimiles manerent. Accedit etiam hoc, quod homines ante diluuium nullis carnibus veſci conſueuerint, ſed ſimplici ſemper et vegetabili victu contenti noxiam ciborum varietatem ignorauerint. Haec Noſter conſiderans ad morborum ortum peruenit, tuncque Patriarchas nullo morbo laboraſſe, ſed placidiſſima, ſine morbo, morte periiſſe, probabile reddit. Cunctis his ſtabilitis longaeuitatem hominum ante diluuianorum demonſtrare vix dubitat, magnasque illas a cataclyſmo inductas mutationes perpendens corpora hominum notabiliter etiam mutata tantum annorum numerum attingere nunc non poſſe, oſtendit.

10) *Obſer-*

p. 212. 10) *Obſeruationes chirurgicas de ulceribus et quidem* 1. *de ulcere carcinomatoſo, vel potius cancro ipſo horrendo, totam temporis dextri occupante regionem;* 2. *de ulcere carioſo in pedis metatarſo;* 3. *de ulceribus non nullis anepuloticis poſt variolas relictis, in ſcenam producit et figuris illuſtrat* Cl. PHILIPPVS IACOBVS SCHLOTTERBECCIVS. Qui prima obſeruatione deſcribitur morbus, cancer apertus horrendi foetoris fuit, dextriue lateris regionem temporalem occupans partes ibi ita exeſit, ut palmam unam cum dimidia commode admitteret plaga. Praeter partes has, inſigniter exeſas, variae diuerſaeque magnitudinis excreſcentiae viſae fuerunt, quarum non nullae nucem una autem ouum gallinaceum magnitudine aequarunt. Variis remediis in et externe incaſſum adhibitis, et ſuaſu et querelis ipſius aegrotantis pertaeſi nodos illos reſecarunt, quo facto quarto, ob operatione, die obiit. Occaſionalis huius cancri cauſſa et origo ſequens agnoſcitur: A dente nimirum pectinis laxioris, grauiter tempori dextro impacto, paucos poſt dies tuberculum duriuſculum, piſi magnitudine, oboritur, augmentum quotidie capiens. Cum vero huic parti, minus caute tractatae, ſuaſu cuiusdam lithargyrium, cum aequali portione mercurii ſublimati corroſiui mixtum, applicatum fuerit, malum ſtatim eo ceſſit, ut non ſolum tumor multo maior euaderet, ſed et cancer exulceratus, foetidiſſimi odoris, longe lateque ſerperet.

p. 221. Altera obſeruatione hiſtoria pedis exulcerati traditur. Foeminae nimirum ſubluxatur pes infimus, hicque, conſilio chirurgi ſpreto, ab ipſa aegrotante tractatus ita corruptus euadit, ut in diuerſis tarſi et metatarſi oſſibus accedat caries. Malum hoc diu ferens ſibique ſemper ſola proſpiciens, tandem diu cruciata medentum auxilium implorat, qui, morbo diſquiſito, non niſi de amputando pede verba faciunt.

unt. Qua conceſſa et ſub genu inſtituta tandem euaſit.

Tertia obſeruatione ulcera poſt variolas relicta commemorantur, quae in occipite in primis et natibus notatu digna fuerunt. Inter haec illud, quod occiput occupauit, ita ſe habuit, ut totum occipitis os, ob abſceſſum, foetido pure ſcatentem, diuque latentem, pericranio denudatum appareret. Varia licet auxilia exhibita fuerint, malum tamen plus valuit et e viuis aegrotantem eripuit. p. 224.

11) Cl. FRIDERICI ZVINGERI *obſeruata non nulla lithologica cum adiectis iconibus.* His variae Achatum, Muſculitae et Chamitae ſpecies, in ditione Baſileenſi repertae, deſcribuntur et figuris illuſtrantur. p. 226.

12) *Commentarius* Cl. DANIELIS BERNOVLLI *de noua acu magnetica Baſileae a* Cl. DIETERICO *inuenta*, gallico idiomate conſcriptus. p. 233.

13) Cl. IO. IACOBI HVBERI *obſeruatio anatomica.* In cadaueris nimirum foeminini femore muſculum detexit, quem alios vel praeteriiſſe vel non animaduertiſſe putat. Hic muſculus, vaſtis et crurali remotis, apparuit, ita ut ex ipſo oſſe iam carneae fibrae exortae prodirent, externamque oſſis faciem inueſtientes ad condylos uſque decurrerent. Ibi in duos faſciculos abiit, quorum alter in patellam alter in condylum uterque vero maximam partem in ſic dictam burſam ſe inſeruit. Ex medio huius muſculi longus ac carneus primo, poſthac autem tendineus proceſſit faſciculus, qui ad poplitem accedens in pinguedine ibi collecta euanuit. p. 249.

In eodem cadauere ſingularem etiam ortum muſculi plantaris annotauit, tandem leuatoris ſcapulae deſcriptionem addidit. p. 251.

p. 254. 14) *Obſeruatio de hydrope omenti*, gallico ſermone exarata. Auctore Cl. I. D'APPLES. Hic notamus, in foemina, cuius abdomen inſigniter intumuit, intra paucum tempus decies octies paracenteſin inſtitutam fuiſſe, et lympham, quae ſenſim exiit, ultra quingentas et quinquaginta libras ponderaſſe. Decima octaua punctione ſuſcepta, trigeſimo die tunc elapſo, obiit. Corpore aperto, peritonaeum ſcirrhoſum inque eo multas hydatides repererunt, illoque remoto corpus inſolitae magnitudinis, omnia fere viſcera comprimens, deprehenderunt, quod examinatum omentum degeneratum exhibuit.

p. 259. 15) *Deſcriptio Barometri portatilis una cum noua, thermometra conſtantis diuiſionis conſtruendi methodo.* Auctore Cl. I. G. SVLZER.

p. 265. 16) Cl. I. IAC. D'ANNONE *de cancris lapideſactis muſei ſui.* Hic tantum figurae, quas de eiusmodi cancris Cl. Auctor adiecit, explicantur.

p. 276. 17) Cl. ACHILLIS MIEGII *obſeruatio de ſectione caeſarea, feli domeſticae adhibita, quae undecimo poſt id factum die viuum catulum per naturalem viam adhuc edidit.* Sectione facta tres catulos extraxerunt, vulnus dein conſuentes. Poſtea felem incluſerunt, tuncque decem a ſectione diebus elapſis viuum catulum in carcere deprehenderunt. Iſtam felem aliquoties uterum poſthac geſſiſſe, et, dum haec ſcripta ſunt, incolumem adhuc vixiſſe, Cl. Auctor refert. Ex his varia deducit conſectaria atque primo quidem oſtendit, ſimilem operationem, omni cautione adhibita, nec vitae viribus fractis, et in foeminis quoque pari cum euentu ſuſcipi poſſe, licet felibus vitae pertinaciam prae aliis propriam eſſe, negandum non ſit. Secundo eadem ſectione, uteri ſtructuram aliam quadrupedibus quam hominibus eſſe, probat.

In his enim iſte ſimplex eſt, in illis autem in duo cornua diuiſus. Cumque unum duntaxat cornu diſſectum hic fuerit, factum hinc quoque eſt, ut viuus dein catulus excluderetur. Hinc tertio demonſtrat, catulum hunc maximam partem vi uteri contractili expulſum fuiſſe; idque eo magis probatur, ſi muſculos poſteriores tunc temporis nondum ſanatos eſſe, perpenderis. Exinde autem Noſter colligit, humanum etiam uterum, ſimili vi praeditum, proprio quoque niſu foetum edere poſſe, licet et mater morti proxima aut mortua iam ſit, vel et abdominis integumenta et muſculi, ſectione caeſarea facta, diſcindantur. Rem hanc vere eueniſſe, obſeruationibus confirmat. Cum denique, felem aliquoties poſthac uterum geſſiſſe, notauerit, inde igitur, cicatricem nec dilatationi nec etiam contractioni uteri obſtitiſſe, colligit, idque pariter in foeminis annotatum eſſe, obſeruationibus iterum confirmat.

18) EIVSDEM *obſeruatio de oſſis bregmatis fractura cum inſigni fiſſura inde per ſuturam ſquamoſam, partem cognominem oſſis temporum atque eiusdem proceſſum petroſum propagata.* Praeter indicata notamus hominem percuſſum ex iunioribus fuiſſe, inde facili negotio, non leuem ei illatam eſſe vim, colligendum eſt. Iunioribus enim nec arida nec adeo fragilia oſſa eſſe, experientia docet. p. 285.

19) *De notabili cranii fractura cum fiſſura ingenti obſeruatio* Cl. IO. LEONHARDI HOFFMANNI. Notatu dignum hic eſt, fracturam per duas ſuturas penetraſſe. Ea enim a centro oſſis parietalis retro per ſuturam ſagittalem tranſiit, et trium digitorum tranſuerſorum longitudine in dextrum os parietale ceu fiſſura proceſſit, inque anteriori parte per ſuturam coronalem ad partem inferiorem et lateralem oſſis frontis uſque ad eius portionem orbitalem pro- p. 290.

greſſa fuit. Licet trepano aliquoties applicato aegrotans melius ſe habuerit, eiusque vita per quatuor ſeptimanas ſeruata fuerit, trepanatione tamen, neceſſaria licet viſa, ultro recuſata tandem periit.

p. 295. 20) *Diarium phyſico-medicum anni* 1755. Cl. IOH. RVDOLPHI ZVINGERI. Hic tempeſtatum ventorumque viciſſitudines, aeris temperiem, morborum catalogum aliaque in macrocoſmo obſeruata phaenomena annotauit; quibus demum morborum tunc temporis regnantium naturam inſimulque medendi methodum appoſuit. Quod ad aeris temperiem ſpectat, menſe Ianuario intenſum, poſt modum paulo remittens, aſt ad Aprilem uſque durans obſeruauit frigus, hoc autem mitius excepit ver, quod aeſtas calida et ſicca hancque demum autumnus nebuloſus, ſub finem paulo pluuioſus ſubſecutus eſt. Morbi qui dicto anno regnarunt, fuere peripneumonia fere epidemica, tuſſis conuulſiua febrisque miliaris, hique morbi ad aeſtatem uſque obſeruati ſunt, ſenſim tamen ſenſimque tunc euaneſcentes. Hos exceperunt febres intermittentes tertianae, diarrhoeae, cholerae ſubque finem anni variolae.

Ad morbos eorumque curationem quod pertinet, horum quemlibet ſeorſim tractauit, atque quicquid in eo obſeruatum fuit, annotauit. Cum autem Cl. Auctorem ubique ſequi nequeamus, non nulla tantum hinc inde decerpere liceat.

p. 302. Febrem miliarem, quae primo deſcribitur, non unam eandemque in omnibus fuiſſe, legimus. Multi enim, quibus puſtulae miliares citius erupuerunt, ſymptomatibus ſenſim miteſcentibus, febreque hinc ſoluta, haud ita diu decubuerunt: Alii, quibus difficilis puſtularum eruptio, ocyus recedens, fuit, niſi plenior ſucceſſerit, ſuccubuerunt; aliisque demum, qui purpura rubra laborarunt, per vices puſtulae erupuerunt, ita, ut in multis bis nec in paucis ter,

priori-

prioribus ſemper areſcentibus, procederent. In his morbus ultra quatuor ſeptimanas durauit, ſed mitior ſemper nec ita periculoſus. Regimen temperatum, ptiſanae ex radicibus demulcentibus et blanda alui ſubductio in plurimis bonum effectum praeſtitit. Venae ſectionem non niſi in plethoricis et quidem incipiente malo adhibuit, interdum etiam, ubi in principio nauſea et amaror oris fuit, Radicis Ipecacuanhae grana decem cum aequali pondere Mercurii dulcis optimo cum effectu exhibuit.

Peripneumonia, quae a Ianuario ad Maium uſque dicti anni durauit, iam circa aequinoctium vernale anni 1754. incepit, et epidemica fere iuuenibus et viris maxime infenſa fuit. Aſt varius fuit morbi decurſus et exitus. Multi enim adhibitis auxiliis citra notabilem mutationem liberati ſunt, alii difficilius decumbentes ſputo mucoſo cruento, paulatim albicante et facili, una cum ſudore et urina craſſa ſedimentoſa praecedente euaſerunt. In quibus autem morbus acutior velox incrementum cepit, hi ſputo cruento, tuſſi crebra, aeſtu magno, urina flammea debilique pulſu accedente perierunt. In aliis tandem inflammatio in ſuppurationem abiit, hique abſceſſu intra quatuordecim dies ut plurimum maturato et ſputo cruento-purulento reiecto, paulatim reſtituti ſunt. Ex his tamen non nulli ob copiam puris, pectore oppreſſi, ſuccubuerunt. Venae ſectio in principio adminiſtrata et interdum repetita optimam tulit opem, in primis ſi victus tenuis humectans, refrigerans et putredini oppoſitus radicumue lacteſcentium demulcentes ptiſanae adiungerentur. p. 306.

Tuſſis, quae a menſe Ianuario ad Martium uſque durauit, conuulſiua fuit, infantes et pueros in primis infeſtans. Materia, quam ſummo demum nixu reiecerunt, viſcida, tenax, albicans et parca fuit. Haec, nimirum tuſſis, in plurimis rebellis perſtitit, in non nullis tamen remediis, vomitum et aluum p. 310.

 cienti-

cientibus, paululum obediit. Interdum etiam diaphoretica, diuretica et veſicatoria non ſine fructu adhibuerunt. Malum tandem in plerisque tres menſes durans ſenſim remiſit. Cum vero iſtud malum adeo pertinax fuerit, ſequentes ideo a Cl. Auctore mouentur quaeſtiones: 1) *An ſanationem acceleraret venae ſectio iterata iuxta Sydenhamum?* 2) *An alui ductio multoties iterata?* 3) *An veſicatoria vertici capitis, nuchae vel ſcapulis applicata?* 4) *An cucurbitulae cum ſcarificatione?* 5) *An vapor aquae vel lactis vel decocti emollientis inſpiratione aſſidua hauſtus?*

p. 312. De febre intermittente nihil eſt, quod moneamus praeter id, quod non nemini ex Florum Salis Ammoniaci martialium drachma una cum mercurii dulcis granis quatuor trita, quatuorue huius remedii doſibus intra biduum ſumtis ſaliuatio oborta ſit, quotidie ingraueſcens, febreque perſeuerante in alteram ſeptimanam excurrens nec alui ductionibus obediens, quae tandem ſponte ſine noxa euanuit. Inde Noſter monet, mercurium cum ſalibus non terendum, ſed, ſi quis mercurium cum ſalibus exhibere velit, ſingula ſeorſim terenda et absque tritura miſcenda eſſe.

p. 314. Diarrhoea, Dyſenteria et Cholera ex benignorum genere fuerunt et in plurimis absque ope medica ſponte, aut lenioribus euacuantibus exhibitis, ceſſarunt. Morbos ſporadicos tunc temporis hinc inde obſeruatos, ne nimis longi ſimus, lubenter omittimus.

p. 321. 21) *Obſeruationes meteorologicas Curiae Rhaetorum habitas una cum variis in eas animaduerſionibus ſiſtit* Cl. IO. HENRICVS LAMBERT. Quicquid nimirum a primo menſis Auguſti 1755. ad ultimum Iulii uſque 1756. obſeruatum fuit, Cl. Auctor appoſuit, inſimulque comparationem obſeruationum iam nunc expoſitarum, cum iis, quas ab anno 1750. ad 1754. Curiae Rhaetorum inſtituit, exhibuit.

22) Cl.

22) Cl. IOANNIS HOFERI *filii obſeruatio mon-* p. 366.
ſtri humani. Prodiit nimirum foetus, per pauca tantum momenta viuus, cui extremitates inferiores fuerunt nullae, ſed abdomen ab umbilico ſenſim gracilius in apicem acutum tandem deſiit. A poſteriori foetus parte eo in loco, ubi in regione lumbari alia propendit appendix, quae mollis, rugoſa et conica ani orificium obtexit, ita ut non niſi ea remota iſtud in conſpectum veniret. Corpore anatomice diſquiſito, nullum partium, generationi dicatarum, veſtigium apparuit et praeter oſſa peluis monſtroſe formata priorem appendicem unum os femoris conſtituit, cui monſtroſum tibiae os adhaeſit. Poſterior appendix nullis fibris muſcularibus praedita maſſam ſpongioſam tenui cute tectam repraeſentauit. Monſtrum hoc humanum quatuor iconibus depictum hic deprehendimus.

23) EIVSDEM *obſeruatio practica.* Nobilis quae- p. 370.
dam foemina, cui circa pubertatis tempus emmenagoga fortia largiter exhibuerunt, ab eo tempore ita debilis euaſit, ut viro poſthac nupta aliquoties abortum pateretur, crebrisque haemorrhagiis uteri aliisque aegritudinibus diu inde laboraret.

24) *Commentarius de reptilium quorundam motu* p. 373.
progreſſiuo. Auctore Cl. EMANVELE WEISS. Hic ea, quae de motu lumbricorum terreſtrium, erucarum, geometrae ſcolopendrae et vermis aquatici Cl. Auctor annotauit, deprehendimus. Cum autem deſcriptiones ita comparatae ſint, ut in compendium commode redigi nequeant, breuiſſimis his ſuperſedere cogimur. Icones adiectae rem magis illuſtrant.

25) *Diſquiſitio deſcriptionis cuiusdam arcus archi-* p. 390.
tectonici, ex qua noua eaque facillima geneſis parabolae Apollonianae deducitur. Auctore Cl. L. WENTZIO.

 26) *Lethar-*

p. 397. 26) *Lethargus cum impotentia loquelae tandem conuulſiuus et lethalis.* Auctore Cl. IOANNE LVDOVICO BVXTORFIO. Morbus, cuius hiſtoria hic traditur, in iuuene ſeptendecim annorum, habitus macilenti, texturae tenerae, litteris aſſidue dedito, caſte alias et ſobrie viuente, obſeruatus fuit.

p. 401. 27) *Obſeruationes meteorologicae Baſileae inſtitutae* a Cl. IO. IACOBO D'ANNONE.

p. 409. 28) *Obſeruationes meteorologicae* in loco *la Ferriere en Erguel* dicto anno 1756. inſtitutae a Cl. ABRAHAMO GAGNEBIN, *ſeniori.*

p. 434. 29) EIVSDEM *obſeruationes de tempore anno* 1756. collectae. Hic tempeſtatum viciſſitudines, varia meteora crebrosque terrae motus annotauit, inſimulque morborum breuiſſimis mentionem fecit.

XVI.

In variolarum inoculationem diſſertatio epiſtolaris. Auctore FRANCISCO COMITE RONCALLI Parolino. Brixiae, d. 4 Ianuarii. 1759. 4. pag. 11.

Lis de variolarum inſitione inter medicos nondum compoſita eſt, et ab utraque parte etiamnum producuntur argumenta, quae et eam defendunt, et eandem pariter impugnant. Iam, quae in manibus noſtris eſt, diſſertatio ad ea ſcripta pertinet, quae inſitioni variolarum aduerſantur. Variis igitur de variolarum ortu, loco natali aliisque praemiſſis, duobus ſtatim exemplis inſitionis periculoſus et finiſter euentus illuſtratur, inſimulque quorundam ſententiae cum Cl. Auctoris ſua congruentes adducuntur, atque his demum ipſa a Noſtro prolata ſubnectuntur argumenta.

Nititur

Nititur autem Noſtri ſententia ſequentibus fundamentis: Primo pueri temperamentum eo momento, quo inſitio ſuſcipitur, conſiderandum eſt. Id enim tunc temporis vix diſpoſitum eo eſſe videtur. Si autem minus diſpoſitum deprehendatur, quomodo perfecta maturatio et ſuppuratio expectanda venit? Perpendendus deinde eſt cutis etiam habitus. Hic enim ita ſaepe ſe habet, ut multi toto vitae tempore nec ſudores nec maculas nec ulla alia exanthemata experiantur. Fac autem ſuſcipiatur in his inſitio, an expectari puſtularum eruptio tunc denique poteſt? Certe, ſi cutis denſitas, pororum exiguitas idque genus alia impedimento ſunt, nunquam etiam inductum venenum per hanc viam educi poteſt. Ergo remanet miaſma, nec expellitur. Sed niſi expurgetur ſanguis, quomodo is, qui artificialibus variolis laborauit, a recidiuae metu liber eſt? Quis porro promittit, fore, ut morbo tali ſuperato, nemo unquam eo iterum laboret? Teſtatur enim experientia, dari homines bis, ter et ultra variolis correptos. Si autem variolae ſponte obortae poſt primam inuaſionem aliquando redeant, quid de implantatis cogitandum? Nonne hae multo magis reuerti poſſunt? Aſt conſideretur tandem et ipſum pus varioloſum. Eſtne hoc in ſingulis diuerſum, et in humoribus, ſingulo propriis, obortum? Quomodo igitur hoc alius humores eo diſponere valet, ut fauſto cum euentu prorumpant variolae? Peculiares enim pori in ſingulorum hominum ſolidis admittunt tantum propria cuilibet fluida, peculiaris figurae et poris ſolidorum proportionata, ita, ut cum facilitate permeent. Sed, quaeſo, num alius hominis varioloſi pus, intra ipſius corpus maturatum et bonum, eundem et laudabilem quidem effectum producere poteſt in alio? Certe minime videtur. Ergo haeret iſtud in pororum anguſtia et ulcera rebellia poſt variolas relinquit. Sed non deſunt et aliae rationes. Quaeritur nimirum,

num omnes, quibus excitantur variolae, vita euadant et ſalui ſoſpitesque dein maneant? Sin minus, quaeſtio ultra mouetur, num ii, qui variolis arte excitatis ſuccumbunt, his intermiſſis et variolis ſponte prodeuntibus defuncti pariter eſſent? Vix quisquam affirmare audet. Ergo occidere licitum eſt? Quaeritur porro, num certior ſit medicus, eos, quibus variolae excitantur, nunquam hoc morbo laboraſſe? Nonne experientia docet, multos decumbere, ſymptomatibus varioloſis correptos, absque eo, ut puſtulae in cute appareant? Et certe multi tunc, haec perpeſſi, toto dein vitae tempore absque variolis liberi viuunt. Quis autem inter vulgus haec cognita habet, quisque ideo medicum de tali ſtatu certiorem reddere poteſt? Sed ſufficiant haec. Primaria enim momenta adducere, libuit. An itaque Noſtri argumenta omnibus facile perſuadeant, affirmare vix unquam poſſumus, incertum pariter iudicantes, utrum id, quod praeſagire Noſter non dubitauit, aliquando eueniat. Eandem enim, quae chirurgiae infuſoriae fuit, et variolarum inſitioni, pari adhuc paſſu ambulanti, ſortem fore, arbitratur.

XVII.

Diſſ. inaugur. de Nectariis Florum. Praeſide GEORG. RVDOLPH. BOEHMERO, Anat. et Bot. Prof. Reſp. *Ioanne Friderico Meiſnero.* Witteb. 1758. 4. pl. 6.

p. 3. Ad accidentales, nihilominus tamen neceſſarias florum partes nectaria refert Auctor, quae veteribus forte incognita, ad minimum non accurate nota, plerumque pro petalis habita, a MALPIGHIO in Corona Imperiali et Ranunculo bene deſcripta, aſt recentiſſimo demum tempore plenius expoſita fuere. Ill. LINNAEVS enim huius ornamenti floralis praeſentiam,

ſentiam, formam, figuram, ſitumque imo adaequatum nomen et uſum primus docuit, hinc et inuenti huius gloriam eidem iure tribuendam eſſe, monet. Illam itaque floris partem accidentalem, ubi humor transſudat et colligitur unctuoſus, mira dulcedine praeditus, nectarium adpellatur, idque nomen optimum eſſe, ex nectaris varia ſignificatione probare ſtudet. Cum vero a nectare contento receptaculum dictum fuerit nectarium, illas floris partes, quae quandoque pro talibus aſſumuntur, ideo, quoniam melleo ſucco carent eodem nomine haud inſigniendas eſſe monet, licet LINNAEVS aliique omnia ornamenta, quae praeter communes florum partes aliquando inueniuntur, nectarii titulo ut plurimum inſigniuerint. Nec ſuccus ille ſolus ad determinandum nectarium ſufficit; ſunt enim non nulli monopetali flores in quorum tubo eiusmodi continetur fluidum, nullo ſingulari receptaculo vel nectario praeſente; quod Cacti, Cardui, Aloes et Periclymeni in primis exemplo illuſtratur. Hinc nectarium tunc modo adſumit Cl. Auctor, ubi vel peculiaris adeſt petalorum ad recipiendum ſuccum apta figura, vel ſingulare et a reliquis florum partibus diuerſum exiſtit corpus, unum vel plura, certo tempore melleo ſucco repleta. Certo tempore dicit: cum et in veris nectariis non ſemper adſit ille liquor, et ante ſecretionem exiſtat corpus, et dum ſuo munere functum ſeceſſit nectar, idem remaneat. Floribus etiam nectaria modo tribuit, et quae in foliis eorumque petiolis et ſ. p. non nunquam inueniuntur ſingularia corpora, humorem continentia, ut in Marggrauia, Nepenthe, Vtricularia etc. potius glandularum vel alio adaequato nomine inſignienda, et non tam ſtructura, quam loco, maxime a nectariis diuerſa eſſe monet. Vt autem nectariorum varia accidentia externa, figura, magnitudo, numerus, ſitus et quae reliqua eo melius cognoſcantur, veraque a falſis ſeparentur,

parentur, plantas omnes, in quibus nectaris re-
p. 10. ceptaculum adſumſit LINNAEVS, recenſuit, ac hinc inde ſuas obſeruationes addidit. Ex quo catalogo patet, centum et triginta eſſe plantarum genera, quibus nectarium tribuit LINNAEVS. Cl. autem Auctor veris nectariis inſtructa ſexaginta modo nouem retinuit, dum viginti quinque numerat plantas, quibus falſo nectarium adſcriptum fuit, et triginta ſex, de quibus adhuc dubitat, an vere eiusmodi poſſideant, cum vel nullum ibidem ſuccum, vel ſuccum quidem, aſt nullum ſingulare receptaculum inuenire, vel denique Auctorum diſſenſum, plantis ipſis deſtitutus, non conciliare potuit. Falſorum et dubiorum catalogum annectere liceat. Amomi, Coſti et Curcumae nectarium laciniarum corollae auctum numerum dixit; Linea longitudinalis villoſa in Iride nectare non madida eſt, et ſi in Iride aſſumendum eſſet nectarium, etiam aliis, quarum corolla barbata eſt, idem non foret denegandum. In Commelina imperfectae quaſi antherae nectaria dicta fuere, viditque Cl. Auctor veram antheram in bifurcatas appendices mutatam. In Plumbagine, Campanula, Roella, Aſphodelo et Harmala valuulae illae nectariferae ſunt inferiores ſtaminum partes latiores, introrſumque flexae. Id in aliis ut Alkekengi flore violaceo, Polemonio etc. quoque obſeruauit, in quibus vero nullum nectarium adſumſit LINNAEVS. In mirabili corollae potius partem eſſe, tubumque eius baſin ventricoſo globoſam, fere ut in Ariſtolochia, conſtituere aſſerit. In Achyrante et Celoſia marginem ouarium cingentem ex ſtaminum filamentis, inferne coalitis, oriri, in Galantho vero petalorum naturam habere, in Narciſſo et Pancratio coronam, in medio ſitam, a CAESALPINO acetabulum, ab aliis forte comam adpellatam, nunquam nectar continere, ac in Siliquaſtro baſin calicis, ſtaminibus tectam, ſemper ſiccam ſe inueniſſe aſſerit. Stami-

Staminum filamenta, intime unita tubum in Azedarach conſtituere, VAILLANTIVS adſumſit, idemque Auctor ſtatuit, in primis, cum tubum diuiſum cum imminutione antherarum in petala abiiſſe obſeruauerit. Silenes denticuli ad alia ornamenta florum modo pertinere, vel exinde patere ſcribit, quia ipſe LINNAEVS Myoſotidi, Bugloſſo et ſ. p. nulla nectaria adſcripſerit, licet faux in iisdem ſquamulis clauſa iuueniatur. In Cherleria nectaria, ungues HALLERO dicta, vera petala eſſe credit. Species Cleomes forte non omnes inter ſe conuenire, notat, dum HALLERVS in una modo ſpecie tres globulos ſpongioſos deſcripſerit, et Cl. Auctor in illa floribus gynandris foliis digitatis nullas reperire glandulas, ſed intra petalorum ungues guttulas modo tot, quot ſunt petala, vel etiam plures inuenire potuerit. Petalorum ungues in Hermannia tubi quidem ſpeciem, ſed non officium nectarii habere contendit, et in aliis floribus ut Acriuiolae, ſimilem figuram animaduertit, quibus LINNAEVS nullum tribuit nectarium. Setarum coronam in Granadilla nectarii nomine haud inſigniendam, et ſi truncata membrana in Marucuia verum ſit nectarium, genere eandem ſeparandam eſſe ſcribit. Filamenta cirroſa e ſpadice Ari egredientia, ſtamina imperfecta vel alia ornamenta, in Mercuriali vero femina vere ſtaminum filamenta ſterilia eſſe affirmat. Anthoxanthum, Olax, Auena, Hamamelis, Cuſcuta, Dioſma, Sauuageſia, Nerium, Gomphrena, Staphylaea, Ananas, Oryza, Cardioſpermum, Laurus, Fabago, Kalmia, Gaultheria, Cluſia, Cacao, Helicteris, Grewia, Mays, Carex, Phyllanthus, Vrtica, Cupreſſus, Andrachne, Valliſneria, Salix, Oſyris, Tamnus, Ruſcus, Clutia, Muſa Ophioxylon, Gleditſchia plantae ſunt, quarum nectaria dubiis adnumerauit Auctor. Deſcriptis ita variis plantarum nectariis, hanc partem maximi momenti, hinc a botanicis ſedulo conſiderandam

randam eſſe, docet; cognoſcuntur enim ex illis, immo conſtituuntur facile plantarum genera, quod Ranunculi, Hellebori, Penthori hisque affinium plantarum exemplo comprobauit, magnam porro aeſtimationem inde acceperunt, quod non tam frequenter et facile mutentur, tandemque virium medicatarum forte indicem et ſignum exhibeant; attamen a LINNAEO ſancitam regulam: plantas, quarum flores nectariis, a petalis ſeparatis gaudent vulgo venenatas eſſe, exemplo Hellebori, Aquilegiae, An-
p. 34. thorae, Ranunculi etc. limitauit. Flores vero nectaria non modo ut ornamentum vel ut characterem genericum acceperunt, ſed ſingulari quoque praeſunt muneri, dum melleum ſuccum continent, illumque praeparant et ſecernunt. Non enim ex aere vel rore, ut veteres crediderunt, deriuari debet hic ſuccus, cum Cl. Auctor obſeruauerit, flores etiam vaſculis incluſos vel in hypocauſtis aſſeruatos eiusmodi oſtendere materiam; apes etiam non modo dum roſcidi ſunt flores, ſed et dum dies feruet, melleum ſuccum colligere, immo in non nullis floribus aditum rori ad nectaria, dum tecta quandoque ſunt et inuoluta, minime patere; Praeter ea et colorem et ſaporem nectaris mellisque varium, ac diuerſas horum virtutes, dum vel ſalutares vel venenatae ſunt, ſententiae ſuae robur addere, tandemque in nectariorum, cum reliquis florum partibus analogicam ſtructuram plenius eandem docere concludit, et organa ſecretoria ac perſpirabilia dici, ac glandulis, follicu-
p. 37. loſis in primis, comparari debere, affirmat. Chymicum quoque nectaris et mellis examen vegetabilis proſapiae eſſe demonſtrat; et licet experimenta, cum nectaris ſucco inſtituta, fere deſiderentur, tamen ex Diario Francofurtano, quod, ut nunc compertum habemus, Cl. CARTHEVSERVS edidit, qui etiam Tractationis, ab Auctore ſaepius citatae, de nectario ſucco, Auctor exiſtit, nectaris in Melianthi floribus praeſen-

praeſentis ſolutionem in aqua et ſpiritu vini optime ſuccedere, ſuccumque hunc cum parciori aquae copia remixtum, oleorum aethereorum ſolutionem efficere adduxit, easdemque ſaponaceas et olea deſtillata menſtrui inſtar ſoluentes particulas in nectareo liquore Periclymeni Virginiani ipſe cognouit, et dum mel florum ſit nectar, quod fere ſine ulla praeparatione ab apibus colligitur, conuenientia haec ratione mixtionis euidenter pateſcit. Non vero primarium uſum nectariorum nectarisque ſucci in melle conficiendi Auctor aſſumſit, ſed eſſentialem in flore vel fructu quaerendum eſſe, contra aliorum opinionem defendit. In fructu PONTEDERA et BLAIRIVS utilitatem huius ſucci adſumſerunt, dum ad prioris aſſerta, liquore illo futuri fructus rudimentum molle ſeruatur, faciliusque extendatur, immo in non nullis, quorum calcara habent flores, nutriatur. BLAIRIVS vero foecundantem antherarum puluerem in nectarium incidere, et mediante nectario ſucco ad ouarium peruenire, ſtatuit. Quam hypotheſin nunquam nec veritatem nec probabilitatem obtinere poſſe, adductisque a Cl. BOSSECKIO in Diſſ. de Antheris florum rationibus ſufficienter deſtructam eſſe, concedit BOEHMERVS; PONTEDERAE vero ſententiam ſtudioſius diſquiſiuit, quae ad infringendam hanc coniecturam in Diario Francofurtano adducuntur rationes, et ſobrie examinauit, et, ut nobis videtur, bene refutauit, tandemque concludit, cum omnes floris partes ad communem uſum conſpirent, et propter fructum adſint, humoresque in diuerſis florum partibus ideo mutentur et praeparentur, ut in foecunditatem et nutrimentum embryonis poſſint impendi, omnino nectarium humorem easdem exercere utilitates, licet determinari haud poſſit, an ipſum praebeat nutrimentum, an vero potius ſeparetur ideo, quo reliqua humorum maſſa aliam mixtionem atque virtutem accipiat, et, ut LVDWIGIVS putat,

putat, per haec organa ſpiſſiores ſucci, humoris ſubtilioris motum in vaſis impedientes ſecernantur et expellantur.

XVIII.

GEORGII RVDOLPHI BOEHMERI Progr. De ornamentis, quae praeter nectaria in floribus reperiuntur. Witteb. 1758. 4. pl. 2.

Minima in corporibus naturalibus, et vegetabilibus in primis, ſpectanda et admiranda eſſe, dum in genere monuit, ſpeciatim exigua illa ornamenta, quae praeter conſuetas floris partes et nectaria adſunt, et ad cognoſcenda ac conſtituenda plantarum genera, a recentioribus adhibentur, ſedulo annotauit, et cum phyſicus eorundem uſus nondum innotuerit, botanicam eorundem diſquiſitionem inſtituit, omnesque fere plantas, quae eiusmodi acceſſorias partes oſtendunt, recenſuit. Ex hac tractatione, quae ratione generum conſtituendorum monuit Cl. Auctor, annotemus. In mono-et pentapetalis ſquamulas illas, faucem corollae ambientes, non eandem aeſtimationem in definiendis generibus accepiſſe, et quandoque ab iisdem eſſentialem genericam notam deſumptam, quandoque vero in definiendo genere neglectam et nec ad ſpecies determinandas adhibitum fuiſſe, variis exemplis comprobauit. Faucem nudam peruiamque in Cerinthe pro eſſentiali charactere aſſumſit LINNAEVS, in Lycopſi, Heliotropio et Borragine negligitur idem. In Aretiae genere conſtituendo et ab Androſace ſeparando ad glandulas, in tubo corollae haerentes, bene reſpexit HALLERVS, recteque ALLIONIVS Vitalianae genus propter hanc notam Aretiae ſpeciem eſſe, affirmauit. In Lychnidis familia tubum corollae nunc denticulis decem ornatum, nunc nudum deprehendimus.

Hine

Hinc LINNAEVS quondam Coronariae et Lychnidi eiusmodi ornamenta tribuit, Agroſtema vero et Silene iisdem deſtituuntur. In noua vero generum editione Cucubalo corollam denticulis coronatam tribuit, eoque charactere a Silene differre ſcribit; in illis autem, quae Agroſtema et Lychnis dicuntur, ad haec ornamenta non reſpexit, et in utroque, ut et in Saponaria, ſpecies recenſuit, quarum petala et coronata, et denticulis deſtituta. Quae cum ita ſint, Cl. Auctor aut Cucubalum cum Silene coniungendum, non obſtante corollae corona, aut in Lychnide et Agroſtema ad eandem notam reſpiciendum, ſpeciesque coronatas ab aliis, quae petala nuda gerunt, ſollicite diſtinguendas, et cum ſumma ornamentorum in his generibus varietas inueniatur, eadem negligenda, et Lychnidis familiam in duo tantum genera diſtribuenda eſſe, exiſtimat, ea ratione, ut Cucubuli ſpecies ſint, quae tres ſtylos capſulamque trilocularem habent, Lychnidi autem ſtyli quinque et capſula unilocularis tribuatur. Ziziphus, Frangula, Paliurus, Rhamnus ſquamulas ad ſegmenta corolla oſtendunt, quae in Alaterno deficiunt, nihilominus haec genera coniunxit LINNAEVS. Aſt alaternum vel propter hanc notam ſeparandam eſſe putat Auctor, in primis cum ſquamulae illae ipſa ſint forte petala, id autem inuolucrum corolla dictum, calicis nomine ſit inſigniendum. Biſtorta, Perſicaria, Fagopyrum atque Polygonum confinia ſunt genera, et niſi ad glandulas, in fundo calicis ſitas reſpiciamus, nullum aderit diſtinctionis fundamentum. Hinc et LINNAEVS quondam ad easdem reſpexit, et pro Fagopyri genere conſtituendo adhibuit; Poſtea vero aſſumtum antea fundamentum neglexit, omniaque haec genera coniunxit. Aſt non tam parui momenti eſſe haec, licet exigua, corpuſcula, eaque characterem genericum diſtinctiuum praebere, iam in Flora Lipſienſ. noſter Auctor, et poſt eum ALLIONIVS,

ZINNIVS ac ipſe HALLERVS affirmarunt, continuatoque examine cognouit, optime ex his, cum reliquae partes varient, Fagopyri genus definiendum, tria autem reliqua coniungenda eſſe. In Viburno, Opulo, Tino atque Sambuco loco ſtyli glandulam turbinatam deſcripſit LINNAEVS, et hinc tria priora genera coniunxit, Sambucum vero propter tria ſemina, in bacca contenta, corollamque rotatam ſeparauit. Verum cum ad eiusmodi differentias alias non reſpexit, et plantas fructu diuerſas ſaepe combinauit, Sambucus etiam reliquis addi debuiſſet, cum glandula maioris momenti ſit, quam numerus ſeminum corollaeque figura. Attamen glandulam eandem inuenire non potuit, ſtylumque modo craſſiorem adeſſe vidit Cl. Auctor, ideoque nullum coniunctionis praebere fundamentum aſſerit; et cum in opulo flores, radium corymbi occupantes ſteriles ſint, amplioremque reliquis ambitum obtineant, ſingulare hoc genus conſeruandum, nec non Sambucum propter notatam differentiam diſtinguendam, Viburnum autem et Tinum coniungendas eſſe, exiſtimat. Plura de his ornamentis, quae in calice, corolla, ſtaminibus atque piſtillo inueniuntur, in ipſa commentatione adducuntur exempla.

XIX.

Diſſertatio, de characteribus foſſilium externis. Praeſide M. IOANNE CAROLO GEHLER, Reſp. *Chriſtiano Friderico Kadelbach.* Lipſiae, 1757. 4. pl. 5. tab. aen. 1.

Quae in reliquis naturae regnis tanta praeſtiterunt commoda notae externae, in foſſilium diſquiſitione fere ab omnibus fuerunt reiectae. Quibus cum contrarietur Cl. Auctor, in his paucis plagulis ſua ſenſa exprimere, et nullam, niſi ab iis, quae in corporum

corporum ſuperficie deprehenduntur, characteribus, conditam methodum, hiſtoricae mineralium rerum cognitioni aptam eſſe demonſtrare annititur. Praemiſſis itaque iis, quae ad definitionem ac differentiam corporum naturalium ſpectant et a variis auctoribus fuerunt tradita, breuibus regnorum naturae veram diuiſionem explicat, monſtratque ſuperfluam eſſe eorum operam, qui de aqueo, aereo ac igneo regno conſtituendo cogitant, cum quoduis horum non ut corpus naturale, ſed ut primum principium omnium corporum ſit conſiderandum. Nec tamen ſatis aptus nobis videtur, quem ad mineralia ab aliis diſcernenda adtulit, character, quod nempe animalibus et plantis una eademque ſemper competat forma, quae vero foſſilibus non ſemper eadem ſit, cui aſſerto omnes cryſtalliſati lapides contradicunt. Placet Auctori prae reliquis, quibus inſigniri ſolet regnum hocce, nominibus, illud foſſilis regni, quamuis et hoc non omnia eius corpora deprehendere, nitrum embryonatum ſua ſententia teſtetur. Recentiorum plures, cum veterum deſcriptiones plus obſcuritatis, quam lucis huic doctrinae affuderint, de ſyſtemate concinnando cogitarunt, cuius alii tantum partem quandam, alii omnem apparatum redigere in ordinem tentarunt, quorum ſcriptorum catalogum Cl. Auctor recenſet. Licet autem ob defectum organicarum partium in foſſilibus diſponendis maxima delitescat difficultas, dari tamen characteres omnino diſtinctiuos in corporum externo habitu, ex ea, quam ſibi acquirunt metallicolae, lapides cognoſcendi facultate probari poſſe putat. Eſt cuilibet ſuus finis ſcopusque varius, quem ſibi in colligendis diiudicandisque foſſilibus proponit, hinc naſcitur ea cognitionis foſſilium differentia, qua alius mineralia ut mixta, alius ut aggregata conſiderat, et vel ad chemiam, vel ad hiſtoriam naturalem, vel ad rem medicam oeconomicamque applicat. Nec tamen negandum

p. 5.

p. 8.

p. 11.

p. 14.

 erit

erit omnium harum diſquiſitionum fundamentum eſſe hiſtoricam cognitionem. Quae ergo a chemicis conduntur methodi, vix ad hiſtoriam naturalem adhibendae, ſed potius allaborandum, ut, quae a qui-
p. 17. busdam, quos adfert, prolata vel adumbrata exſtant, ſyſtemata, perficiantur ulteriusque excolantur. Nec tamen ex aſſe conſentimus cum Cl. Auctore, cum
p. 20. nullum lapidem per ſe ac ſine addito ſale, Cl. CARTHEVSERI auctoritate deceptus, liquidum fieri affirmet; eſt enim in baruthinis regionibus ardeſiae quaedam ſpecies, quae leui ſatis ignis gradu liqueſcit, ut Cl. POTTIVS * iam notauit, et nosmet ipſi vidimus. Vt autem facilis via ad condendam foſſilium methodum efficiatur, omnes nunc characteres, qui ſenſibus detegi poſſunt, paulo curatius examinat, ut, quid quilibet commodi praeſtet, facilius perſpici queat. Odor ad methodum nihil valet, quamuis ſint quaedam glebae, quae vel per ſe, ut *iolithus*, vel attritae, ut *lapis ſuillus*, vel igni expoſitae, ut *ſuccinum*,
p. 22. *cobaltum* cet. odorem ſpargant. Idem de auditu monet, licet contrariari videantur *aetites*, *tinnientiumque* ſpecies. Sapor detegit in foſſilibus varia, et in conſtituendis ſalium generibus praecipuum praeſtat officium. Quae tactus diſtinguit in foſſilibus haud parui aeſtimanda, ut videre eſt ex ſplendido Muſaeo Terrarum a Cl. LVDWIGIO deſcripto. Maximi tamen momenti erunt notae, quas viſus eruit, qua-
p. 25. rum prima color eſt foſſilium. Et magnitudo ſedesque poſſunt exhibere quasdam notas, cum alii lapides totos efficiant montes montiumque tractus, alii contra non niſi in parua ſatis mole diſperſa iaceant ubique, alii ſub dio, ut aiunt, in fragmentis, alii in venis ſaxorumque commiſſuris occurrant. Nec omni deſtituitur uſu grauitas ſpecifica, quae potiſſimum ad ordinandam metallorum cohortem adhibenda erit. Deprehenduntur foſſilium varia ductilia malleabilia-

que,

* vid. *Fortſetzung der* Lithogeognoſie. p. 55.

que, cum alia refractaria ſint nec extendi ſeſe patiantur. Varie ſe habent glebae ſubterraneae ad lucis radios, ita aliae transmittunt eos et pellucidae ſunt, aliae vel obſcure pellucent, quas ſemipellucidas dicimus, aliae opacae prorſus nihil lucis transmittunt. Mirum quantum differunt in raritate ac denſitate, v. c. *pumex* et *achates*, in mollitie ac duritie ut *tophus* et *cryſtallus*: quae differentia optime cognoſcitur, ſi cum chalybe fricantur, ubi illae nullas, hae vero magnam ſcintillarum copiam fundunt. Maximum vero, p. 29.
quod lapides diſcernit, momentum Cl. Auctori poſitum videtur in forma lapidum ac figura. Diſtinguit commode eam in externam, quam in limitibus extenſionis ponit, et internam, quam texturam ſiue ſtructuram vocat, et a ſitu particularum earumque ad ſe relationem dependere aſſerit. Multae ſatis occurrunt glebae, quae ſuas notas in figura externa gerunt. *Cryſtallos montanas*, *topazium* cet. allegat. quem tamen ultimum falſo cubicae figurae dicit, cum orientales aeque ac noſtrates octohedro-priſmaticam formam monſtrent. *Pyrites*, *figurati lapides*, *graptolithi*, *petrefactaque* omnia ſatis commodas in ſua figura exhibent diſtinctionis notas. Ab aggregatione vero orta differentia multo plus valet ad methodum condendam, cum glebarum aliae ſint granulatae, filamentoſae aliae, aliae lamelloſae, cruſtaceae e. ſ. p. quas notas iam omnium primus attendit CONR. GESNER, poſt eum WOODWARD, variique recentiorum HAVSENIVS, CARTHEVSERVS alii perfecerunt et aptas methodos inde conſtruxerunt. Com- p. 32.
miſſuram, quae eſt locus in ſuperficie extenſa, in quo fit ope cunei facillima partium ſeparatio, et ad quem ſub malleo corporis partes diſſiliunt, Cl HAVSEN ad ſyſtema conficiendum adhibuit. Optimum huius conditionis exemplum praebent *ſal gemmae* et *galena plumbi*. Quamuis vero haec omnia ſatis euidenter in foſſilibus deprehendantur, non tamen ſuf-

 ficiunt

ficiunt nec ſingula nec ſimul ſumta, ad ordinandam ſupellectilem lapideam, hinc non alienum duxit Cl. Auctor attendere eas, quae ab aliis corporibus phyſicis in foſſilibus producuntur mutationes; cuius generis ſunt aeris acceſſus, qui in *pyritae* ſuperficie vitriolum, in *cobalti* lanuginem pallide rubram generat; *magnes* ferri particulas in glebis latitantes prodit; *electrum* res leues adducit; *turmalinus*, dum calet, cineres attrahit; acida lapidibus adſperſa calcaream eorum indolem per efferueſcentiam detegunt. Quibus iure et ignem annumerandum nos putamus, non quidem eum, quo chemicus ad mixtiones deſtruendas utitur, ſed leuidenſia tantum experimenta ignis ope inſtituenda, quorum e numero ſufficiat unum allegaſſe, ſcilicet *fluores coloratos* carbonibus ardentibus iniectos luminoſos ſpargere radios, quod phoſpho-
p. 35. reſcere phyſici dicunt. Sub fine tandem iure monet in quauis methodo hiſtorica *mineras* non ad metallorum claſſem eſſe referendas, ſed potius in eam lapidum ſuſcipiendas. Vt enim botanici non a virtute plantarum ſiue earum principiis conſtitutiuis conſtruunt ſyſtema, ſic et in regno foſſili non ex eductis, ſed ex characteribus externis diiudicetur quaelibet gleba. Coronidem imponit huic ſpecimini promiſſum, fore, ut ex his, quae adduxit Cl. Auctor, olim quoddam ſyſtema condat, ut diſputatorum utilitatem in ipſo exemplo oſtendere poſſit. Addita tabula aenea duas ſiſtit Echinitarum rariores varietates, quarum una Echinoconitam quatuor ſtriis ſiue ſuturis notatum, altera Echinodiſcum ſex radiis inſignitum praeſentat, cuius poſterioris exemplum iam b. KLEINIVS ſub nomine globuli Tesdorpfii deſcripſit.

XX.

Noua phyſico-medica.

Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis* in nouiſſimo, die ſeptimo menſis Iulii celebrato, conuentu praemium, quod eo tempore ab ipſa tribui ſolet, exhibendi caruit opportunitate. *Num uſitata materie vilius detur aliquod remedium, ex quo funiculi funesque maiores nautici confici poſſent, qui fortiores eſſent, durarentque diutius illis, quos vulgari ratione contorquere ſoleant reſtiones?* ab Illuſtri illa Societate quaeſitum fuerat *. Argumentum primo quidem intuitu vile modo viſum, ex variis autem rationibus graue omnino dicendum, ex voluntate Ill. Societatis non fuit excuſſum; licet non nulli de eo ipſi exhibiti fuerint commentarii: quapropter nemini adiudicare illa potuit praemium: neque nunc eſſe putat, cur denuo iſtam proponat quaeſtionem?

Apud *Berolinenſem* porro Regiam Scientiarum Academiam idem quoque accidit, quod de Gottingenſi iamiam retulimus. Commentarii enim *de arſenici natura* conſcripti, cuius argumentum duplici iam vice propoſitum fuerat expectando praemio **, nondum ſatis fecerunt Academiae expectationi atque voluntati. Itaque in publico conuentu, die triceſimo primo menſis iulii habito, declarauit Academia, terminum, quo diiudicari debeant ad ipſam ideo miſſae commentationes, dilatum adhuc ſe velle ad exitum huius, quem agimus, anni 1759, ita, ut ſub initium proxime ſubſecuturi anni eas diiudicet, num inter eas aliqua ſit, quae praemio digna cenſeri poſſit?

* Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 722.

** ibid. Vol. IV. P. III. p. 549. Vol. VI. P. III. p. 543.

Inſuper eodem tempore Ill. iam commemorata Academia nouam ex philoſophia experimentali deſumtam exhibuit quaeſtionem: *Num omnia nimirum entia, quae vita fruuntur, tum ad animale cum ad vegetabile regnum pertinentia, ex ouo per germen foecundato? an ex aliqua materie, generationi apta ipſique germini ſimili oriantur?* Cuilibet in hoc argumentum inquiſituro liberam relinquit Academia ſententiam, utri ex iam dictis hypotheſibus adſentiri velit. Germinis vocem in latiſſimo nec ab omnibus viris doctis, naturalium rerum cauſſas indagantibus, recepto ſenſu hic loci ab Academia adſumi apparet: verbis tamen ipſius Academiae uti, quam aliis clarioribus quidem forte viſis, mentem ipſius exprimere malumus.

Londini a Regio Medicorum Collegio ibidem florente in ſociorum numerum receptus nuper fuit Cl. D'ESCHERNY, Med. D. affinitate cum celebri illa *Stephenſia* coniunctus, quem honorem tractatu, *de calculo* remediisque famoſis Stephenſianis ante tres annos edito*, promereri ipſi viſus fuit.

Norimbergae nuper diem ſuum obiit ſupremum Vir de hiſtoria naturali inſigniter promeritus, AVGVSTVS IOANNES ROESEL cognomine VON ROSENHOF dictus, qui ex artifice naturam linearum ductu et colorum elegantia imitante et exprimente, accuratiſſimus ipſe factus fuit naturae indagator, cuius rei teſtimonia praebent eximia ab ipſo edita opera, ſuo tempore a nobis, uti merentur, laudata**; quam ob rem digniſſimum omnino iudicamus, cuius memoriam poſteris commendemus, vitae ipſius rationem proxime uberius indicaturi.

Hambur-

* ibid. Vol. V. P. III. p. 566.

** ibid. Vol. II. P. I. p. 85. Vol. IV. P. II. p. 215. Vol. VII. P. II. p. 282.

Hamburgenſis quoque ciuitas luget mortem Viri de ipſa meritiſſimi, PETRI CARPSERI, chirurgi peritiſſimi atque dexterrimi, nuperrime die octauo menſis iulii Hamburgi e viuis erepti. Arte ſua, ſcientia, morumque dulcedine atque ſuauitate, liberalitate omnibusque inſeruiendi ſtudio non apud ciues ſolum, ſed exteros quoque, multum ſibi conciliauerat famae atque gratiae. Sexaginta annorum aetatem attingens quidem, prorſus tamen non expleuit, anno nimirum ſuperioris ſeculi nonageſimo nono die viceſimo ſecundo menſis decembris natus.

Memoria GEORGII ERHARDI HAMBERGERI, Phil. et Med. D. Phyſices, Chemiae et Praxeos Prof. Publ. Ordinar. Sereniſſ. Ducum Saxoniae Stirpis Erneſtinae Conſil. Aul. Caeſ. Acad. Nat. Cur. Socii, Medici Prouincialis Ienenſis, Facultatis Medicae Senioris.

Diu iam GEORGII ERHARDI HAMBERGERI vitam deſcribere debuimus; diu id expectant multi: Forſitan ideo haud pauci ſunt, qui de noſtro ſilentio non leui afficiantur admiratione. Sed quomodo, quaeſumus, exactam vitae deſcriptionem tradere poſſemus, niſi de praecipuis rerum affectionibus ſatis antehac inſtrueremur. Ex quo enim deceſſit Cl. iſte Vir, omnem, ut harum rerum compotes eſſemus, operam dedimus, ipſosque adeo haeredes, quorum quippe ope optima ſuppeditari poſſent adminicula, rogauimus. Sed voti noſtri nos nondum participes eſſe, percepimus. Euoluimus itaque deſcriptiones, quas de Medicorum vitis dedit Cl. BOERNER,* euoluimus in ſuper elogia,

* vid. Ei. *Nachrichten von den Lebens-Umſtaenden jezt lebender Aerzte.* 1 *Band,* 1 *Stück.* p. 60. *Wolfenbüt.* 1749. 8.

gia*, HAMBERGERO dicata, perlegimus ea, omniaque autem ita comparata deprehendimus, ut ſcopo noſtro minus ſatisfacere viderentur. Ne vero diutius cunctantes, culpa licet a nobis procul ſit, in huius ſuſpicionem incidamus, id iam perficere ſtudebimus, quod peractum a nobis iam multo ante, eſſe, vellemus. Atque forſan et nunc lectorum expectationi minus ſatisfacere poſſemus, niſi aliqua data nobis eſſet occaſio. Ob oculos nimirum eſt libellus **, in quo vita et fata b. iſtius viri exponuntur, cuius quidem recenſionem exhibere animus non eſt, id tamen eius ope perficere annitimur, quod diu expectant multi, diu optauimus ipſi. Ex hoc igitur fonte vitae laudabiliter tranſactae noſtra promanat deſcriptio, ſollicite tamen cauendo, ne minimo verbulo controuerſias, in memorato libro recoctas, tangamus. Cum enim clare perſpectum habeamus, Cl. Auctorem eius in medicorum ſcholis educatum non eſſe, huncque eundem, controuerſias recenſendo, in partes HAMBERGERI abire, eas igitur, in primis cum beati iſtius Viri partes tenere, datum nobis in hoc caſu non ſit, illas inquam controuerſias reticere potius, quam commemorare conſultum ducimus. Sed ad vitam nunc enarrandam nos accingamus.

Natus

* vid. Nou. Act. Academ. Caeſar. Natur. Curioſor. Tom. I. Append. p. 281. Norimberg. 1757. 4. et Act. Academ. Moguntin. pag. 26. Erford. et Goth. 1757. 8.

** *Das Leben des Herrn Hofraths und Profeſſors* GEORG ERHARD HAMBERGERS, *nebſt einer Nachricht von ſeinen Schriften und gelehrten Streitigkeiten, von* IOHANN CHRISTIAN BLASCHE, *der Weltweisheit Doctor, der philoſophiſchen Facultaet Adjunctus, Rector der Rathsſchule zu Iena, und Mitglied der deutſchen und lateiniſchen Geſellſchaft. Iena, bey* Theodor Wilhelm Ernſt Güth. 1758. 8.

Natus eſt HAMBERGERVS Ienae die viceſimo primo decembris anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo, patre GEORGIO ALBERTO, Matheſeos ibidem et Phyſices Profeſſore Publico Ordinario, matre vero SOPHIA CATHARINA ex gente SPITZIA. Litteras, quas primas vocant, Ei SIDELIVS et ANDREAS SAMVEL GESNER tradiderunt; ipſe vero pater tunc temporis prima geometricae et arithmeticae artis fundamenta iecit. Cum a teneris iam annis magnus erga ſtudia Ei fuerit amor, et inſignis praeſertim medicam artem addiſcendi cupiditas, factum inde etiam eſt, ut clam ſaepe ſuis ſubterfugiens ceu puer anatomicis SLEVOGTII demonſtrationibus intereſſet, eodemque tempore, Academiae hortulano adiuuante, plantas quoad figuram et nomen familiares ſibi redderet. Anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo quarto, decimum ſeptimum aetatis ſuae tunc agens litteriſque, eruditorum generi olim profuturis, ſat imbutus in palaeſtram academicam ſe contulit, ſtatimque a patre matheſin et phyſicen accepit, in caeteris philoſophiae diſciplinis a POSNERO et SYRBIO formatus. Ita autem ingenitus ei erga mathematica ſtudia fuit amor, ut ceu iuuenis multos ea antecelleret, et difficiliora horum problemata reſoluere iam cum promtitudine calleret. Vnicum ſane huius rei documentum lectores noſtros conuincere poterit. Accidit nimirum, ut quidam una cum HAMBERGERO, litteris quidem dediti, aetate tamen prouectiores, hunc ipſum rogarent, vellet eis in matheſi inque eius explicandis diſciplinis doctorem ſe praebere, ad quod officium explendum paratiſſimus ſtatim fuit, forte diu iam occaſionem hanc optans. Verum pater id percipiens ad ſe vocauit filium, huncque monuit dicens, num ſciret, quid agere velit. Pater ergo tentans, utrum ad perficiendum hunc laborem idoneus ſit, librum, praelectionibus mathematicis dicatum euoluit, praebuit-

que

que cupiens, vellet confeſtim experiri atque ea, quae ob oculos eſſent, absque praeuia praeparatione explicare. Filius illico obediens, ſeque ad explendam voluntatem componens, explicare coepit, primasque has lectiones absque mora per horam integram continuando, vires oſtendit. Quo tentamine rite et feliciter peracto, doctorem in hac arte ſe gerere, nullum nunc ei ultro fuit dubium. Inde decimo octauo aetatis ſuae anno id iam, quod percipere alii vix coeperunt, docuit et cum laude perfecit. Nonne igitur id ſatis patrem aliosque inſtruere potuiſſet, quantus olim Iſte in hac arte futurus exiſteret, et quale eius quantumue ab eo expectandum foret incrementum? Sed in qua hactenus facile magiſtrum aliis ſe praebuit, in alia tamen, arte nimirum medica, tyro tunc temporis fuit. Licet enim naturali quaſi in hanc artem inſtinctu ductus, eam addiſcere concupiuerit, patris tamen renuentis iuſſu a conatu detentum ſanctioribus diſciplinis totum ſe tradere oportuit. Verum, quod perpetrare hactenus fruſtra a patre vegeto integroque conceſſum expectauit, id tandem ab eo moribundo ſponte conceſſum fuit. Morti enim iſte proximus et ſingularem filii propenſionem in artem medicam perpendens, votis tandem annuit, et, ut medicinae ſe deuoueret totum, lubenter conceſſit. Quo facto, patris, breui poſt defuncti, voluntate ultima nixus, illico medicorum ſcholas intrauit, et inter eos WEDELIORVM patris et filii nec non SLEVOGTII et FICKII praelectionibus ſedulo interfuit, eique profectoris munus a SLEVOGTIO accipienti, cadauera proinde diſſecandi, corporisque igitur humani fabricam penitius perſcrutandi optima et crebra data fuit occaſio. Ita autem in medicis et philoſophicis indefeſſum ſe praeſtitit, ut variis ſtatim dignitatibus academicis condecoraretur. Anno enim milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſeptimo ideoque aetatis ſuae viceſimo Philoſophiae

Magiſtrum

Magiſtrum Eum ſalutarunt, bene omnino promeritum. Etenim praeter matheſin, quam diu iam explicauerat, phyſicen nunc quoque omni cum laude exponere incepit. Sed quam dignitatem philoſophorum ordo ei lubenter impoſuerat, ea et totus medicorum conſeſſus indefeſſum aſſiduumque HAMBERGERVM ornare, multo magis decreuerat. Itaque anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo primo Doctoris munus eiusque priuilegia ab inclyta Facultate Medica Ienenſi accepit, ſeque munere hoc dignum omnino eſſe, multifariam poſthac probauit. At vero, forſan haec prima tantum induſtriae praemia dicas. Longe enim maiora, tunc temporis quidem futura, haud tardo tamen pede ſe inuicem ſecuta ſunt. Ita anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo tertio Ordo philoſophicus praeclaram adeo HAMBERGERI in philoſophia perſpiciens peritiam, *Adiunctorum* numero eum adſcripſit, annoque ſubſequente Weimarienſis territorii Phyſicum prouincialem eum conſtituere, Principibus placuit. Cum autem ad erudiendam iuuentutem, medicae arti addictam aptiſſimum Noſtrum iudicarent, Eum eapropter anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſexto dignum aeſtimarunt, cui Profeſſionis Medicinae extraordinariae munus deferretur. Verum, hiſce muneribus ob ſingulares animi dotes collatis, HAMBERGERVS annum vix trigeſimum agens ita praefuit, ut omnium expectationi non ſolum ſatisfaceret, ſed et longe eam ſuperaret. His itaque nouas ſuperaddere, haud unquam dubitarunt, ſed quauis data occaſione ſuam ſemper benignitatem atque clementiam abundanter declararunt. Itaque anno huius ſeculi vigeſimo nono Ienenſis Phyſicus conſtitutus eſt. His igitur praemiis affectus omnibus nunc oſtendit, ſe non tantum nomen ſed ipſa haec officia reapſe promereri. Omni enim fide, omni pariter dexteritate, omnibus proſpexit. Licet vero per aliquod tempus nulla ſeſe obtuliſſet

tuliſſet occaſio, Principum tamen benignitas vix parum unquam ſiluit, ſed conſtans ſemper in adaugendis HAMBERGERI dignitatibus manſit, nec unquam defuit. Quantopere autem HAMBERGERI induſtria et aſſiduitas quamue alta mente repoſita fuerit, id quaeuis ſemper declarauit occaſio. Anno enim milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo Phyſices Profeſſor Ordinarius declaratus inſimulque Conſiliarius Aulicus denominatus fuit. Anno huius ſeculi quadrageſimo quarto Ordinariam Profeſſionem in medicina ſuſcepit, quo etiam anno locum in Facultate medica obtinuit. Quatuor poſthac annis elapſis ſummum in facultate aſcendit locum, ab eoque tempore ad ultimum uſque diem munere Profeſſoris Chemiae et Praxeos functus eſt. Sed haec ſunt, quae HAMBERGERO Ienae contigerunt, quaeque Ei ſummo ſemper ceſſerunt honori, ornamento. Aſt, commemorandum nunc quoque eſt, quod exteri de HAMBERGERI induſtria ſibi polliciti ſint, quantique Eum aeſtimarint. Inter hos primam operam, HAMBERGERVM ad ſe vocandi, dederunt ciuitatis, Stetini, Primates. Gymnaſii enim ibi florentis Matheſeos munus praeſidiique militaris curam ei obtulerunt. Anno dein milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo primo Altorfenſis Academia, ut Phyſices et Matheſeos munus in ſe ſuſciperet, Noſtrum rogauit, eodemque tempore Caeſarea Academia Naturae Curioſorum Socium Eum nominauit. Anno poſthac ſeculi noſtri trigeſimo tertio Göttingenſis, annoque tandem quadrageſimo ſecundo Halenſis Academia HAMBERGERVM ad ſe vocarunt, voti tamen nunquam participes.

De matrimonio ineundo cogitauit anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo ſecundo, duxitque ergo IOANNIS ADOLPHI WEDELII, Medici Ienenſis Celeberrimi filiam, SOPHIAM MARGARETHAM, ex qua ſex filios treſque filias ſuſcepit. Ex

quibus

quibus autem omnibus unus tantum quidemque natu maximus filius optimae ſpei et indolis diu ante patris deceſſum diem obiit ſupremum, reliqui vero etiamnum inter viuos optimi patris obitum lugent. Viuere deſiit die menſis Iulii vigeſimo ſecundo anno milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo quinto, diu antea malo Iſchiadico cruciatus crebrioribusque inſultibus ſyncopticis ſenſim ita defatigatus, ut inter ſyncopen etiam viribus et vita deficeret. Itaque exſpirauit HAMBERGERVS, Vir inter Phyſicos et Medicos Celeberrimus, ſuorum deſiderium, omniumque pariter, qui Eum magni ſemper et ubique aeſtimarunt.

Index ſcriptorum a b. HAMBERGERO editorum Libri.

Elementa phyſices methodo mathematica in uſum auditorum conſcripta. Ienae, 1727. 8.

Recuſa et aucta ſcholiis. ibid. 1735. 8.; Tertio prelo ſubiecta. ibid. 1741. 8.; cum praefatione, de cautione in experientiis certe formandis et applicandis adhibenda, et reſponſionibus ad Cl. VAN MVSCHENBROECK obiectiones. Quarta vice excuſa. ibid. 1750. 8.

Vberior dilucidatio legum ſuarum adhaeſionis atque tranſitus ignis ex uno corpore in aliud, qua ſimul ad ea, quae nuper contra diſputata ſunt, reſpondetur. Ienae, 1728. 8.*

LEOPOLDI PILATI, S. R. I. Baronis ep. de conciliandis annis Iuliano et tropico. c. annotationibus. Ienae, 1734 8.

De reſpirationis mechaniſmo et uſu genuino Diſſertatio, una cum ſcriptis, quae vel illi oppoſita ſunt, vel ad controuerſiam de mechaniſmo illo agitatam pertinent. Accedunt his notae, in quibus ad argumenta, dubia et criminationes reſpondetur, et ſenten-

* vid. Act. Erud. 1730. p. 156.

ſententia in diſſertatione propoſita ab oppugnationibus vindicatur. Ienae, 1748. 4.

Phyſiologia medica. ſ. de actionibus corporis humani ſani, doctrina mathematicis atque anatomicis principiis ſuperſtructa. ibid. 1751. 4. c. f. *

Elementa phyſiologiae medicae in uſum praelectionum academicarum concinnata. ibid. 8. c. f.

Diſſertation ſur la cauſe de l'Elévation des vapeurs, qui a remporté le prix au Iugement de l'Académie des Belles Lettres, Sciences et Arts. à Bourdeaux, 1743. 4.

Diſſertation ſur la mechanique des Sécretions dans le corps humain, qui a remporté le prix, au Iugement de la même Académie. ibid. 1746. 4.

Praef. de Praxi medica rationali addiſcenda et proponenda, praemiſſa GERH. VAN SWIETEN Comment. in BOERHAAVE Aphoriſmos de cognoſcendis et curandis morbis. Hildburgh. 1747. 4. mai.

Diſſertationes:

Diſſ. Siſtens leges perſpectiuae ad ſitum plani transparentis mutatum applicatas. Ienae, 1719. 4. recuſ. ibid. 1747. 4.

De malignitate in morbis Praeſ. *Io. Adolph. Wedelio* pro gradu Doct. ibid. 1721. 4.

De ſole ſplendorem amittente, coelo nubibus non tecto. Reſp. *Georg. Eckard.* ibid. 1722. 4.

De primis fluidorum phaenomenis. ibid. 1723. c. f. 4.

De experimento ab HVGENIO pro cauſſa grauitatis explicanda inuento. Pro loco in facultate philoſoph. obtinendo. Reſp. *Io. Arzt.* ibid. eod. 4. recuſ. 1747. 4.

De frigore morbifico. Reſp. *Io. Dan. Rücker.* ibid. 1725. 4.

De

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 656.

De penetratione ſalis alcali in interſtitia ſalis acidi per experimenta demonſtrata. Reſp. *Io. Andr. Segner.* Ienae, 1726. 4.

De reſpirationis mechaniſmo atque uſu genuino. Reſp. *Iuſtin. Gerh. Duiſing.* ibid. 1727. recuſ. 1737 et 1747. 4.

De venaeſectione, quatenus motum ſanguinis mutat, contra eruditorum dubia defenſa. Reſp. *Dionyſ. Kraegelius.* ibid. 1729. recuſ. 1737. et 1747. 4. c. fig.

De cohaeſione et attractione corporum. Reſp. et Auct. *Io. Petr. Süſſemilch.* ibid. 1732. 4.

De origine fontium ſotericorum. Reſp. *Aug. Frid. Danckwerts.* ibid. 1733. 4.

De medicamentis emollientibus. Reſp. *Gottl. Ambroſ. Chph. Schelhaſius.* ibid. 1737. recuſ. 1757. 4.

De cauſſis aſcenſus vaporum. Reſp. filio natu mai. *Adolph. Fridr. Hamberger.* ibid. 1743. 4.

Qua diaſtolen cordis a ſanguine, per venas redeunte, non perfici aſſeritur, pro loco in Facult. medica obtinendo. ibid. 1744. 4.

De modo agendi medicamentorum in genere. Reſp. *Io. Herm. Wille.* ibid. eod. 4.

De tumoribus generatim. ibid. eod. 4.

De ſimilitudine ſignorum indicationis et mortis, in febribus acutis proxime inſtantis. Reſp. *Mich. Pfeiffer.* ibid. 1745. 4.

De inflammationum pathologia. Reſp. *Abrah. Gottl. Wagner.* ibid. eod. 4.

De modo agendi medicamentorum terreorum. Reſp. *Georg. Iac. Biermann.* ibid. eod. 4.

De haemorrhoidibus doctrina generalis. Reſp. *Chriſtoph. Henr. Schnell.* ibid. eod. 4.

De viis menſium inſolitis. ibid. eod. 4.

De incraſſantibus. Reſp. *Wilh. Godofr. Frobenius.* ibid. 1746. 4.

De inflammationum verarum diagnoſi. Reſp. *Mich. Wittwerck.* Ienae, 1746. 4.

De hepate obſtructo multorum morborum cauſſa. Reſp. *Io. Chph. Reinmann.* ibid. eod. 4.

De medicamentis reſoluentibus. Reſp. *Io. Iac. Milgus.* ibid. eod. 4.

De ſpina ventoſa. Reſp. *Phil. Ernſt. Maler.* ibid. eod. 4.

De luxationibus et ſubluxationibus. Reſp. *Io. Henr. Hieronymi.* ibid. eod. 4.

De tumore abdominis poſt partum non ceſſante. ibid. eod. 4.

De meteororum actione in corpus humanum. ibid. eod. 4.

De paregoricis. Reſp. *Rud. Chriſt. Pfaff.* ibid. 1747. 4.

De anodynis ſtricte ſic dictis. Reſp. *Wilh. Sim. Chriſt. Hirſching.* ibid. eod. 4.

De morte ſubitanea, omni aqua per paracenteſin abdominis ſimul educta, plerumque contingente. Reſp. *Fridr. Buchner.* ibid. eod. 4.

De hypnoticis et narcoticis. Reſp. *Io. Hieronym. Bolſter.* ibid. 1748. 4.

De ſulphure. Reſp. *Io. Iac. Schreiber.* ibid. eod. 4.

De calore humano naturali. Reſp. *Adolph. Fridr. Hamberger.* ibid. eod. 4.

Vnius pulſationis praedicata, quatenus eſt actio. Reſp. *Fridr. Wilh. Hoffmeiſter.* ibid. 1749. 4.

De attrahentibus. Reſp. *Io. Chriſt. Graff.* ibid. eod. 4.

De opio. Reſp. *Io. Chriſt. Burghardi.* ibid. eod. 4.

De emeticorum agendi modo et uſu. Reſp. *Fridr. Ludou. Wigand.* ibid. eod. 4.

De purgantibus. Reſp. *Carol. Aug. Deutſch.* ibid. eod. 4.

De exanthematibus, ſpeciatim de purpura. Reſp. *Io. Benedict. Morgenſtern.* ibid. eod. 4.

De

De dolore in genere. Reſp. *Fridr. Theod. Fiſcher.* Ienae, 1750. 4.

De vigiliis. Reſp. *Mart. Iac. Kubas.* ibid. eod. 4.

De rigiditate fibrarum. Reſp. *Io. Gottl. Hanſch.* ibid. ibid. eod. 4.

De nutritione. Reſp. *Io. Andr. Muthwill.* ibid. eod. 4.

De ſcirrho. Reſp. *Io. Chriſtoph. Paetzel.* ibid. 1751. 4.

De ſiti. Reſp. *Paul. Conr. Ieſſen.* ibid. eod. 4.

De natura febris. Reſp. *Iul. Albert. Henr. Zeller.* ibid. eod. 4.

De ſcorbuto frigido. Reſp. *I. A. W. Lez.* ibid. eod.

De foetu in utero materno liquorem amnii deglutiente. Reſp. et Auct. *I. F. Keſſel.* ibid.

De conuulſionum natura. Reſp. *Chriſt. Adam. Gondela.* ibid. eod. 4.

De calore et frigore corporis humani, atque modo agendi remediorum refrigerantium et calefacientium. Reſp. *Ioach. Francke.* ibid. eod. 4.

De anxietatibus. Reſp. *Mich. Iac. Buch.* ibid. eod. 4.

De atoniae cauſſis in genere. Reſp. *Phil. Iac. Hoffmann.* ibid. eod. 4.

Diarrhoeae pathologia. Reſp. *Gerh. Meier.* ibid. 1752. 4.

De frigore ſymptomatico. Reſp. *Io. Fridr. Schickard.* ibid. eod. 4.

De ſuffocatione. Reſp. *Io. Sailler.* ibid. 1753. 4.

Vlcerum pathologia. Reſp. *Paul. Lanyi.* ibid eod. 4.

De obſtructione. Reſp. *Io. Bernh. Gottſchalck.* ibid. eod. 4.

De tremore. Reſp. *Laur. Chriſt. Clauſſen.* ibid. 1754. 4.

De gangraena. Reſp. *Maur. Caſimir. Wenneber.* ibid. eod. 4.

Obſeruationes quaedam clinicae. Reſp. *Chriſtoph. Gottl. Schultze.* ibid. eod. 4.

Inflammationum therapia. Reſp. *Ioh. Theophr. Trogmayr.* ibid. eod. 4.

De aeris in corpore humano haerentis elaſtici effecti·bus tam naturalibus quam praeternaturalibus. Reſp. *Matth. Chriſt. Knuzen.* Ienae, 1754. 4.

De apoplexia. Reſp. *Chriſt. Gottfr. Lange.* ibid. eod. 4.

De atonia. Reſp. *Io. Dau. Chriſtoph Purckhauer.* ibid. eod. 4.

Programmata.

Ep. gratul. ad D. IO. ADOLPH. WEDELIVM, ubi de phaenomenis quae ſimilitudinem actionum fluidorum etc. agitur Ienae, 1725. 4.

Progr. auſpiciale de camphora per ſpiritum nitri fuſa. ibid. 1727. 4.

De partialitate acus magneticae. ibid. eod. 4.

Contra mechaniſmum pectoris ad dubia ab ill. HALLERO mota reſpondet. Progr. inaug. I — VIII. ibid. 1744 — 1746. 4.

De ruptura inteſtini duodeni. ibid. 1746. 4.

De Cyprino monſtroſo roſtrato. Progr. inaug. I — V. ibid. 1748. 4. c. f.

De aere corporibus incluſo. Progr. inaug. I — X. ibid. 1747, 1750. 4.

De peruerſa valetudinis cura. Progr. inaug. I — IX. ibid. 1750 — 1755. 4.

XXI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

D. IOH. CHRISTOPH EBELS *Abhandlung von dem deutſchen Indig, oder einer feſten blauen Farbe aus dem Waid; aus dem Lateiniſchen überſezt und mit Anmerkungen verſehen von* D. CARL LVDWIG NEVENHAHN. *Braunſchweig*, 8.

IOAN. PETR. EBERHARDI Diſſ. inaug. de motu cordis, ab aucta vaſorum reſiſtentia aucto, oppoſita argumen-

argumentis Celeb. DE SAUVAGES. Reſp. *Io. Carol. Boecking.* Halae, 4.

IOAN. PETR. EBERHARDI Conſpectus medicinae theoreticae in tabulas redactus. Pars I. Phyſiologia et Diaetetica. ibid. 8.

IO. PHILIP. HENR. EBHARDT Diſſ. de acidorum mineralium natura atque proprietatibus. Goetting. 4.

BALTHASAR ERHART *oeconomiſche Pflanzenhiſtorie, nebſt dem Kern der Landwirthſchaft, Garten - und Arzneykunſt. Fünfter Band. Vlm und Memmingen*, 8.

Diſſertationes ſelectae ALBERTI EVLERI, PAVLI FRISII et LAVRENTII BERAVD, quae ad Imperialem Scientiarum Petropolitanam Academiam an. 1755 miſſae ſunt, cum electricitatis cauſſa et theoria, praemio propoſito, quaereretur. Petropoli et Lucae. 8.

GIACINTO BARTOLOMEO FABBRI Sulla inſenſitiuita ed irritabilita Halleriana opuſcoli di vari Autori P. I. nella quale ſi contingono tutte le coſe favorabili al ſiſtema del Chiar HALLER. Bologna, 4. Tome II.

LVDWIG FAKRATS Diſſ. inaug. ſiſtens theſes inaugurales ex materia medica et chymia. Baſil. 4.

IO. FRID. FASELII Diſſ. inaug. ſiſtens morbos arteriarum cum ſuis cauſſis, effectibus atque ſignis tam diagnoſticis, quam prognoſticis. Reſp. *Ierem. Dan. Brebizius.* Ienae, 4.

Eiusd. Progr. de uſu clyſterum in febrium exanthematicarum curatione. ibid. 4.

Principes de Chirurgie par M. GEORGE DE LA FAYE: nouvelle edition corrigée et augmentée. à Paris, 12.

FORTVNAT. DE FELICE Diſſ. de Newtoniana attractione, unica cohaerentiae naturalis cauſſa, aduerſus Cl. HAMBERGERVM. Bern. 4.

Traité des fievres; trad. du Latin de Mr. FIZES. à Paris, 12.

ANTON. FRACASSINI opuſcula pathologica, alterum de febribus, alterum de malo hypochondriaco. Grypswaldiae, 4.

L'Electricité de Mr. FRANCKLIN. Voll. 2. Paris, 8.

Dictionnaire médicinal, contenant la méthode ſûre pour connôitre et guerir les maladies critiques et chroniques, par des rémédes ſimples et proportionnès à la connoiſſance de tout le monde et les rémédes particuliers, qu' on diſtribue dans l' Europe comme des Secrets. On y a joint les maladies des chevaux etc. par M. I. G. Docteur en Med. Nouvelle Edition. à Paris, 12.

PETR. ADRIAN. GABO, Finska ängskiötſelens hinder och hielp. Reſp. *Io. Henr. Hallenberg.* Abo.

THOMAS GATAKER Obſervations on the internal uſe of the Solanum or Nightſhade. The fourth Edition, to which is added a Supplement. London, 8.

Planches anatomiques de Mr. GAVTIER. Seconde Edition. à Paris, fol.

IOAN. CAROL. GEHLER Diſſ. de characteribus foſſilium externis. Reſp. *Chriſtian. Frid. Kadelbach.* Lipſ. 4. c. f.

LVDOVIC. ALEXAND. GERVAISE Quaeſt. med. an in morbis acutis ſoli naturae criſes molienti fidendum? Reſp. *Ludov. Maria Girard de Villars.* Paris, 4.

Kurze Anweiſung, wie mit dem Anbau des Holzes zum gedeihlichen anzuhoffenden Anwachs deſſelben zu Wercke zu gehen, auf Verordnung churfürſtlich-maynziſcher Policey- und Merkantil-Deputation in Erfurt, aus denen den Holz-Anbau betreffenden Actis, *auch forſtmäßigen Berichten und Gutachten zuſammengetragen, und zu nützlicher Direction der*

chur-

churfürſtlichen Unterthanen zum Druck befördert von CARL AVGVST GRVTEBRÜCK. *Erfurt*, 8.

IOH. THEOPHIL. GIBOLLET Diſſ. inaug. de aneuryſmate. Argentor. 4.

EBENEZER GILCHRIST the Uſe of Sea-Voyages in Medicine. London.

IOSEPH. ALBAN. GLYCKHERR Diſſ. inaug. de febre inflammatoria meſenterio-inteſtinali. Argentor. 4.

PHILIP. FRID. GMELIN Diſſ. ſpecifica methodus recentior cancrum ſanandi, cuius hiſtoriam, analyſinque chemicam et medicam practicam publicae ventilationi exponit etc. Auctore et Reſpond. ACHAT. GAERTNER. Tubing. 4.

Eines wahren Adepti beſondere Geheimniſſe von der Alchymie zum Gebrauch und Nutzen denen Liebhabern herausgegeben, und mit Figuren erläutert von C. G. H. *Dreßden*, 8.

ANTON DE HAEN Ratio medendi in noſocomio practico, quod in gratiam medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA etc. Viennae.

Eiusd. Quaeſtiones ſaepius motae ſuper methodo inoculandi variolas, ad quas directa eruditorum reſponſa hucusque deſiderantur, indirecta minus ſatisfacere videntur. Viennae, 8 mai.

Collection de thèſes medico-chirurgicales ſur les points les plus importans de la Chirurgie Theorique et Pratique, recueillies et publiées par Mr. le Baron DE HALLER et rédigées en françois par Mr. * * *. Tom. I. à Paris, 12. (*Diſſertationes hae in gallicum translatae ſunt ſermonem, non quoad quidem verba, ſed primaria tantum earum momenta.*)

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes. Quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLERVS. Tom. I. II. III. Lauſannae, 4. mai. c. f. Voll. 3.

ALBERTVS HALLERVS Elementa Phyſiologiae corporis humani. Tom. I. Fibra. Vaſa. Circuitus ſanguinis. Cor. ibid. 4 mai. c. f.

Deux Memoires ſur la formation du Poulet; memoires ſur pluſieurs phenomenes importans de la reſpiration par Mr. DE HALLER. à Lauſanne, 12. Voll. 2.

Die Naturgeſchichte der Thiere in ſyſtematiſcher Ordnung. Die vierfüßigen Thiere, welche lebendige Jungen zur Welt bringen; nebſt der Geſchichte des Menſchen entworffen von IOHANN SAMVEL HALLER. *mit Kupfern. Berlin,* 8 mai.

GEORGII ERHARDI HAMBERGERI Elementa phyſiologiae medicae in uſum praelectionum academicarum concinnata, cum figuris. Lipſ. 8.

Eiusd. Diſſ. de medicamentis emollientibus, *oder von erweichenden Arzneymitteln.* Ienae, 4.

Traité de la culture des Terres par Mr. DV HAMEL DE MONCEAV: Tome cinquieme contenant les experiénces et réflexions ſur la culture des Terres et ſur la conſervation des Grains, faites pendant les années 1755 et 1756. à Paris, 12. c. f.

GVSTAV. CHRISTIAN. HANDTWIG Diſſ. inaug. de puerpera partu difficillimo laborante. Reſp. *Io. Henr. Maul.* Roſtoch, 4. c. f.

Meditationes botanico - medicae de planta quadam Marchiae propria, Pimpinella nigra, quibus demonſtratur, illam in multis morbis inſignem poſſidere virtutem et efficaciam, pertractatae et editae a L. IOANNE ANDR. HARNISCH. Lipſ. 4.

FRID. HASSELQVIST Iter palaeſtinum, eller reſa til heliga landat förättad ifrän 1749 til 1752 med beſkrifwingar, rön, Anmerkningar öfwer de märkwärdigaſte naturalier. Stockholm, 8 mai.

I. E. HEBENSTREIT Aetiologia chemica; ſeu expoſitio cauſſarum ſani et aegroti hominis ſecundum principia chemica, diſſertatiunculis clariſſimorum quorun-

quorundam iuuenum expoſita, cum indice neceſſario. Lipſiae, 4.

I. E. HEBENSTREIT Diſſ. ὅμοια τῶν ἐλλειπόντων ὁμοίων ἰάματα; de ſimilibus ſimilium deficientium medicina. Reſp. Θωμά Μανδακάση Καςοριάνῳ. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſuſpecta valetudine. Reſp. *Io. Chriſtoph. Elhard.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. AETII AMIDENI ἀνεκδότων lib. IX. cap. XXVIII exhibens tenuioris inteſtini morbum, quem ileon et chordapſum dicunt, una cum veterum ſuper hac aegrotatione ſententiis. ibid. 4.

Eiusd. Tentamen philologicum medicum ſuper AETII AMIDENI ſynopſis medicorum veterum libris octo, poſt illos octo, quos ALDVS MANVTIVS Venetiis euulgauit. ibid. 4.

Eiusd. Progr. Ordo morborum cauſſalis. Specimen VII. ibid. 4.

ANTON HEINS Pharmacia rationalis, *oder vernünfftiger Gebrauch auserleſener Genesmittel in zwey Theilen, deren erſterer von denen Hülfsmitteln überhaupt, der andere von denenſelben insbeſondere, in zwey Abſchnitten, zum Dienſt innerlicher und äuſſerlicher Krankheiten handelt. Nebſt einer Vorrede* D. IOHANN ERNST HEBENSTREITS *von der Wahl des beſten Mittels, und einem doppelten Regiſter derer Nahmen nnd derer Sachen.* ibid. 4.

IO. GOTTLOB. HEISE Diſſ. de noxio inſectorum effectu in corpus humanum. Halae, 4.

IOHANN FRIEDR. HENKELS *kleine mineralogiſche und chymiſche Schriften, nebſt einer Vorrede von den Bergwerkswiſſenſchaften zu Vermehrung der Cammeralnutzungen, und mit Anmerkungen herausgegeben von* CARL FRIEDR. ZIMMERMANN. *Neue Auflage. Dresden,* 8.

GEORGE HEVERMANNS *Abhandlungen der vornehmſten chirurgiſchen Operationen am menſchlichen*

Körper mit Abzeichnung der hierzu erforderlichen Inſtrumente. Dritter Theil. Koppenhagen und Leipzig, 8.

MATTHIAS HEVSSII Diſſ. philoſ. de ſtatu animae hominis, inter feras adoleſcentis. Reſp. *Iacob Schweikard.* Argentor, 4.

Reizen door een Gedeelte van Europa, klein Aſien, verſcheide Eilanden van de Archipel, Syrien, Palaeſtina of het H. Land, Aegypten, den Berg Sinai etc. in de beginne van dere Eeuwgedaan door den Hoog Ed. Welgeb. Heer IOHAN AEGIDIVS VAN EGMOND VAN DER NYENBVRG en den Hoog Eermaarden Hoog Geleerdem Heer IOHANNES HEYMANN; telles uyt beider eygenhandige nagelaten Schrifften opgemaakt, in een goede ordre gebragt; en briefswyze zamengeſtelt, en behoorlyk ter Drukpreſſe bezorgt door IOHANNES WILHELMVS HEIMANN. Eerſte Deel. te Leiden, 4 mai.

IOHN HILL the Sleep of Plants, and cauſe of motion in the Senſitive Plant explain'd. London, 12.

LAVR. HIORZBERG Diſſ. de cauſſa maxime probabili attractionis corporum. Vpſal. 4.

GOTTFR. AVG. HOFFMANN *oeconomiſche Abhandlung der Chymie, zum Gebrauch des Haus-Land- und Stadt-Wirths, des Künſtlers, Manufacturiers, Fabricanten und Handwerkers, Preiſsſchrift, welche die in den oeconomiſchen Nachrichten darauf geſetzte Prämie erhalten. Leipzig,* 8. *m. K.*

CAROL. FRIDER HVNDERTMARCK Diſſ. inaug. Oſteo-ſteatomatis caſum rariorem proponens. Auct. et Reſp. *Frid Iacob Tittmann.* ibid. 4. c. f.

Theorie nouvelle du Flux menſtrual et traité des maladies de la tête par HVRTAVT. à Paris, 12.

IOHN HVXHAM'S Diſſertation on the malignant ulcerous ſore throat. London, 8. mai.

A courſe

A courſe of anatomico-phyſiological lectures on the human ſtructure and animal oeconomy, including what is more valuable in the works of WINSLOW, HALLER, RVYSCH, MORGAGNI, MONROO, HEISTER: by NICOL. IENTY. Tom. I. II. III. London, 8.

FRANCISCI IMBERT Theſis diaet: an ſanitati faciat decumbendi modus. Reſp. et Auct. *Anton de Villeneufve.* Monspelii, 4.

IOAN. IVNCKER Diſſ. inaug. de reſpectu ad vermes in morbis chronicis et acutis habendo. Reſp. *Io. Godofr. ab Exter.* Halae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ouuli impraegnati nexu cum utero. Reſp. *Bernhard Perkuhn.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vano ac vero a morborum contagio metu. Reſp. *Frid. Fabricius.* ibid. 4.

Elémens de Chymie, ſuivant les principes de BECKER et de STAHL, traduits du Latin ſur la ſeconde édition de Mr. IVNCKER, avec des Notes par Mr. DE MACHY. a Paris, 12. Voll. 6.

IOH. HEINRICH GOTTLOB VON IVSTI *Grundriß des geſammten Mineralreichs, worinnen alle Foſſilien in einem, ihren weſentlichen Beſchaffenheiten gemäßen Zuſammenhange vorgeſtellet und beſchrieben werden. Götting.* 8.

Eiusd. *Neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen.* 10*tes Stück. Leipzig*, 8.

PETER KALM en oeconomiſk beſkrifning huru ſädana kiärr kunna giöras nyttiga hwarifrån watnet ei kan ledas med diken. Aboa, 4.

Eiusd. om takſkifwers upletande egenkiännande och nytta. Reſp. *Iacob. Benedict.* ibid. 4.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED Diſſ. inaug. ſiſtens varia partus impedimenta ex capitis vitio. Reſp. et Auctore *Henr. Landis.* Ien. 4.

Eiusd.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED Progr. de aegro inflammatione ventriculi demortuo, calculis poſt mortem renum et veſiculae felleae rarae magnitudinis et figurae per ſectionem detectis. ib. 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens caſum de haemorrhoidibus coecis, in ulcus veſicae urinariae mutatis. Reſp. *Chriſtian Herrmann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens caſum effectus ſalium ſanguini inhaerentium tam naturales, quam praeternaturales, una cum medela generali horum affectuum praeternaturalium. Reſp. *Ierem. Daniel Brebizius.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de aſthmate pituitoſo. Reſp. *Ioan. Gamman.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de neceſſaria poſt paracenteſin abdominis deligatione. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de haemoptyſi. Reſp. *Frid. Detleuus Baad.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de plethora in ſenſu medico ſemper ſpuria. Reſp. *Franc. Gottf. Fiſcher.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de plethora vera ſenſu medico ſumta. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febre quartana intermittente. Reſp. *Io. Godofr. Barendt.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de iſtis mercurii partibus, quae in primis miasma venereum in corpore haerens deſtruere valent. Reſp. *Chriſtlieb Leberecht Alberti.* ibid. 4.

IOAN. CHRISTIAN. KERSTENS Diſſ. prior philoſoph. de maturatione ut cauſſa perfectionis corporum organicorum. Reſp. *Chriſtian. Gottlieb Zieger.* Lipſiae, 4.

Eiusd. Diſſ altera, inaug. med. de maturatione ut cauſſa nouae valetudinis. ibid. 4.

HERM. NIC KIENMANN Diſſ. inaug. de verſionis in extrahendo partu praeſtantia et adminiculis. Götting. 4.

IOHANN

IOHANN GOTTFR. KNIPHOFS *Abhandlung vom Salat, und deſſen wahren Nutzen und Schaden, nebſt der Beſchreibung und Nutzen des* olei tromponum. *Erfurt,* 4.

IO. HIERON. KNIPHOFII Botanica in originali, ſeu herbarium viuum, in quo plantarum tam indigenarum, quam exoticarum, peculiari quadam et operoſa enchireſi atramento impreſſorio obductarum nominibusque ſuis ad methodum illuſtrium noſtri aeui Botanicorum, LINNAEI et LVDWIGII, inſignitarum elegantiſſima ectypa exhibentur, ſtudio IO. GODOFR. TRAMPE Centur. III. Hal. fol.

LVDWIG WILHELM VON KNÖR Vademecum medicum, *darinne eine kurz gefaßte Methode aller Krankheiten, und wie ſolche zu curiren, ſamt den darzu gehörigen Formeln, vor Augen gelegt wird. Naumburg und Leipzig,* 8.

IOH. CHRIST. GERH. KNOLLS 26 *vermiſchte Anmerkungen aus der Arzneygelahrheit. Halberſtadt,* 8.

IOAN. TOBIAS KOEHLER, Primus inter Germanos, artis ſalutaris peritia celebres, WINTARVS CAROLI M. Francorum Regis Medicus illuſtratus. Götting. 4.

IOAN KRATZ Diſſ. inaug. hiſtoriam fontis Holzenſis in Alſatia, germ. *Holzbad* dicti, ſiſtens. Argentor. 4.

EPHRAIM KRVGER Epiſtola de uſu peregrinationis medico. Lipſ. 4.

IO. GOTTLOB KRVEGER Diſſ. inaug. de uſu enematum in febribus acutis. Reſp. *Io. Auguſtin. Seidel.* Helmſtadii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de corticis peruuiani eiusque praeclaro in febribus lentis uſu. Reſp. *Io. Godofr. Ludou. Lindemann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de electricitatis Muſſchenbroekianae in ſanandis morbis efficacia. Reſp. *Io. Herrmann Sietenz.* ibid. 4.

IO. GOTTLOB KRVEGERS *Fortſetzung der Nachrichten von den vortreflichen Wirkungen des Helmſtädtiſchen Geſundbrunnens. Halle und Helmſtädt*, 4.

AVG. CHR. LANGBEIN, Specimen Embryulciae antiquae ex Q. SEPTIM. FLOR. TERTVLLIANI libro de anima cap. XXV. Dresdae, 4.

IOAN. HENR. LANGE Diſſ. de ſomno inquieto, ſanitatis praeſidio. Reſp. *Ioan. Henr. Chriſtian. Martini.* Kiloni, 4.

GEORG. AVG. LANGGVTH Diſſ. de morbis ſexus ſequioris ex nimio peruerſoque pulcritudinis ſtudio oriundis. Reſp. *Carol. Gottlieb Magnus.* Wittenberg, 4.

DANIEL LANGHANS *Entdeckung eines Mittels wider die Auszehrung des Leibes und die Geſchwüre der Lunge. Dritte vermehrte Auflage. Zürch*, 8.

Eiusd. *und* DANIEL RVDOLPH ITH *Beſchreibung der Helvetiſchen Pillen, durch deren Gebrauch man ſich in Zeit von 5 bis 24 Tagen von einer franzöſiſchen Seuche und ihren Folgen ohne Speyen und Salben befreyen kan, bewieſen durch 24 öffentliche Proben.* ibid. 8.

Obſervation ſur une Hydrophobie ſpontanée ſuivie de la rage, addreſſée à Meſſieurs les Auteurs du Iournal des Scavans, par Mr. LAVIROTTE. à Paris.

C. GEILLE DE ST. LEGER Qnaeſt. med. an ut ſenſibilitas, ita irritabilitas a neruis? Reſp. *L. Maria Girard de Villars.* Pariſ. 4.

Cours de Chymie de LEMERY par M. BARON. a Paris, 4. c. f.

FRIED. CHRIST. LESSERS Inſecto - Theologia, *oder vernunft- und ſchriftmäßiger Verſuch, wie ein Menſch durch aufmerkſame Betrachtung derer ſonſt wenig geachteten Inſecten zu lebendiger Erkenntniß und Bewunderung der Allmacht, Weißheit, Güte*

und

und Gerechtigkeit des groſʒen Gottes gelangen könne. Dritte vermehrte Auflage. Leipzig, 8.

IOAN. CHRISTIAN. LEVSCHNER, Ad eruditiſſimi viri IACOBI BVRCARDI medicum grauiſſimum humanitatis ſtudiorum vindicem Analectorum Specimen II. Hirſchbergae, 4.

Diſſertation ſur les Bains d'Eau ſimple, tant par immerſion, qu'en douches et en vapeurs: par IEAN PHILIPPE DE LIMBOVRG. à Liege, 12.

CAROL. LINNAEVS, Diſſ. inaug. migrationes auium. Reſp. *Car. Daniel Ekmark.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbis expeditionis claſſicae. Reſp. *Peter Bierchen.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Febris Vpſalienſis. Reſp. *Andr. Boſtröm.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Exanthemata viua. Reſp. *Io. C. Nyander.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Culina mutata. Reſp. *Magn. G. Oſtermann.* ibid. 4.

Obſervations upon Husbandry by EDOVARD LISTE. London, 4.

Traité pratique de la cure des Fievres, contenant la Théorie des principaux Symptomes qui accompagnent les fiévres, la Deſcription des fiévres, et leur Diſtribution en claſſes génerales, diviſées chacune en eſpeces particulieres etc. Traduit de l'Anglois de THEOPHILE LOBB. à Paris, 12. Voll. 2.

Elemens de Phyſique par I. LOCKE avec les penſées du même auteur ſur la lecture et les études, qui conviennent à un Gentil-homme; ouvrage nouvellement traduits de l'Anglois. à Amſterdam et Leipzig, 8.

Reliqua proxime.

Contenta in hac parte.

1. De Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto atque academia Commentar. Tom. IV. p. 387.
2. KAW BOERHAAVE Hiſtoria anatomica infantis, cuius pars corporis inferior monſtroſa. Pars I et II. p. 402.
3. TRALLES Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela. Sect. I. p. 411.
4. Pharmacopoeia Argentoratenſis p. 428.
5. KRÜGERI Diſſ. de neruo phrenico p. 430.
6. LVDWIGII Pr. ſiſtens obſeruationem de via bilis cyſticae p. 433.
7. LEDERMÜLLERS *Verſuch einer gründlichen Vertheidigung der Saamenthierchen* p. 435.
8. LVDWIGII Inſtitutiones medicinae clinicae p. 442.
9. BOEHMERI Obſeruationum anatomicarum rariorum Faſc. II. p. 458.
10. HALLERI Diſputationes ad hiſtoriam morborum et curationem facientes Tom. I. II. III. p. 463.
11. VANDERMONDE Recueil periodique d'obſervations de Medecine etc. Tom. V. et VI. p. 471.
12. VANDELLII De ſenſibilitate Halleriana Epiſt. I et II p. 506.
13. PVIATI de victu febricitantium Diſſertatio p. 509.
14. DE HALLER Deux Memoires ſur la formation des os p. 516.
15. Acta Heluetica phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica. Voll. III. p. 523.
16. RONCALLI in variolarum in oculationem diſſertatio epiſtolaris p. 536.
17. BOEHMERI Diſſ. de nectariis florum p. 538.
18. EIVSDEM Prog. de ornamentis, quae praeter nectaria in floribus deprehenduntur p. 544.
19. GEHLERI Diſſ. de characteribus foſſilium externis p. 546.
20. Noua phyſico-medica p. 551.
21. Continuatio Indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757. prodierunt p. 564.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VII. PARS IV.

LIPSIAE. MDCCLVIIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Kongl. Suenska Vetenſkaps Academiens Handlingar foer Aor. 1757. Vol. XVIII. med. Kongl. Academiens Tillſtoand. Tryckte i Stokholm hos Lars Salvius pao deſs egen Koſtnad, 1757. 8 mai. pl. 20. tab. aen. 6.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae Anni 1757. Vol. XVIII.

Trimeſtre primum.

1) P. WARGENTIN *modos aerem in nauibus reno-* p. 1.
uandi, recenſet. Enumeratis variis antiquis, potiſſi- p. 10.
mum Trieualdiano et Haleſiano immoratur. TRIEVALD machinam ſuam, (quae in Actis 1744 deſcripta legitur) Septembri 1741 conſtruxit, et librum de illa edidit. Statim etiam adhibita eſt in nauibus bellicis regiis, uſus autem illius paullo poſt intermiſſus, quod SHELDONIO referente, effectus eius nociui aegris ſentirentur. Patet igitur ſcopo ſuo maxime idoneam eſſe, cum nimium illud in effectu, moderatiori uſu euitari facile poſſit. HALESIVS de ventilatore ſuo nihil typis edidit ante annum 1743 et tunc ad experimenta Suecica prouocauit, ipſe enim machinam ſaltim nauibus in portu quieſcentibus ap-

 plicaue-

plicauerat. Hinc litem de inuentione ita dirimit Noſter, ut utrumque in idem fere inuentum incidiſſe exiſtimet. Commodior TRIEVALDII machina a SHELDONIO, nauium bellicarum in Suecia architecto praedicatur. Sed iam utrique palmam SVTTONII inuentum eripuit.

p. 14. 2) *De electricitatis, ad plantarum vegetationem promouendam, effectu experimenta a ſe inſtituta edit* EDVARD. FR. RVNEBERG, Iulii 4. anni 1754. Holmiae amygdalorum nucleos quinos ciſtae uni ligneae, quinos alii ciſtae ligneae ſimili et aequali, item ternos vaſi lapideo, lythargyrio non obducto,
p. 17. ternos alios alii vaſi ſimili et aequali indidit. Omnia haec curauit, ut temperiei aeris, luci ſolis etc. eodem modo exponerentur, uni vero ciſtae, unique vaſi ſaepius electricitatem, filorum ferreorum ope, immiſit. Experimentorum, quae uberius recenſet, prae-
p. 26. cipua conſectaria generalia haec ſunt: Plantae electrificatae prius ex terra emerſerunt, et plerumque celerius creuerunt, non electrificatis; aliis tamen adhuc experimentis inquirendum eſt, an hoc diſcrimen electricitati debeatur. Plura etiam amygdala in vaſis electrificatis prodierunt, quam in non electrificatis. Vna plantarum electrificatarum viginti quatuor horarum ſpatio lineis, hoc eſt, digiti decimalis ſuecici partibus decimis octo creuit, quod nulla non electrificatarum fecit. Neque harum ulla altitudinem duarum electrificatarum attigit. Electricitas excitata eſt uſque ad Nouembris decimum quartum ubi ob frigus intermiſſa eſt, quod iam ante illum debiliorem reddiderat. Creſcente vero frigore et electricitate adeo decreſcente, minui incrementum plantarum electrificatarum viſum eſt. Laetiores etiam ſex creuere electrificatae plantae non electrificatis, et una earum ſtolonem laete creſcentem ex radice ſua pro-
p. 28. truſit. Longitudines ſingularum plantarum diebus

octonis

octonis captas tabula exhibet; ex illis medium ſumendo, incrementum 491 vicibus electrificatarum reperitur linearum $82\frac{1}{2}$, non electrificatarum $53\frac{2}{3}$. Plantas per hyemem conſeruandi occaſio nulla fuit, p. 26.
igitur cubiculo frigido incluſit, ubi non electrificatae feſto natiuitatis Chriſti frigore perierunt, electriſatae vero incolumes viſae ſunt, donec Ian. 1755 folia illarum flaueſcere coeperunt, colore tamen viridi manente uſque ad Ian. 28; Februario deciderunt. PI- p. 27.
VATI ſententiam: perſpirationem electricitate augeri, cum experimentis ſuis conciliare Noſter non potuit, flores quippe electrificati in aequalibus diſtantiis olfactum eius non magis adfecerunt non electrificatis. In ſplendore etiam illo ex plantarum electrificatarum foliis exeunte non cum PIVATO ſalem, oleum, ſulphur plantae videt, electricitatis vi ex planta expulſa, ſed commune phaenomenon lucis ex angulis corporum electrificatorum emergentis. Caeterum plantis his data eſt electricitas, quam *exceſſiuam* KLINGENSTIERNA appellat, alii *internam*; quodſi igitur haec incrementa plantarum auxit, *defectiua* ſiue *externa* videtur idem imminutura. Sed de hac aliis experimentis diſpiciendum eſt.

3) *De Sarcohydrocele ſingularis magnitudinis feli-* p. 29.
citer ſublata commentatur HERM. SCHÜTZER. Sacerdoti annor. 44. ſanguineo cholerico, inde ab an- p. 31.
no 1745 teſticulus ſiniſter intumuit et durior redditur nullo tamen magno dolore nec negotiorum impedimento. Is tumor tandem ad longitudinem $3\frac{1}{2}$ quartarum ulnae partium et latitudinem dimidiae ulnae excreuit. Holmiam venit noſtrum conſulturus, qui ACRELIO, NATHORSTIO, ipſo etiam ROSEENIO ſuadentibus ſectionem ſuſcepit. Morbi vero, quos ante pertulerat aegrotus, corpus fluidis acribus plenum gerere illum oſtenderunt, et ſarcocele, hydrocele et enterocele comitabantur. Inciſione p. 33.

 ouali

ouali, manus adultae longitudine, per integumenta communia facta, illaque integumentorum portione reſecta, ſaccum, qui partes morboſas continebat, aperuit, effluente circiter menſura lymphae flaueſcentis. Deinde ſcrotum inde a regione ſupra annulum verſus inferiora dilatauit, ſcrotique et ciſtae, quae lympham continuerat, portionem abſtulit, ubi teſticulum ſcirrhoſum mirandae magnitudinis reperit. Illum a partibus omnibus, quibuscum cohaerebat, auulſit, ut ſaltim funiculo ſeminali teneretur. Huius vaſa tum arterioſa tum venoſa cum digiti craſſitiem aequarent, noluit integrum faſciculum una ligatura circumdare, igitur arteriam a vena ſeparauit, ſingulasque acu et filo, prima vice prope annulum, altera prope teſticulum circumduxit. Reliquas arterias ad ſcrotum tendentes ſimili modo ligauit, omnes enim magnitudinis praeternaturalis erant. Iam teſticulum reſecuit, cui pondus erat trium *marcarum* ſuecicarum; lino diſcerpto ſicco et faſciis ſiccis vulnus ſueto more obligauit, abdomen unguento dialthaeae cum camphora calido unxit et panno craſſiori, (*Fries*) oleo roſarum calido et aceto vini madefacto, texit, tegminis hoc genus ſaepius, quotidie per dies 14 renouans. Data ſunt aegro iuſcula tenuia, emulſiones refrigerantes, addito pauculo camphorae; et primis octo diebus ptiſana diluens, cum febris ſuppuratoria ingrueret, ſed benignior quam ſperari potuerat. Secundo poſt operationem die octo ſanguinis unciae ex vena ſecta emiſſae ſunt, quinto die vulnus unguento baſiliconis, balſamo arcaei, oleo cerae et flauo ouorum commixtis unctum, decima die egregie et inſigniter ſuppurauit. Ligaturae plurimae die 12 et 14 deciderunt duae uſque ad ſeptimanam quartam manſerunt. Vna illarum cum vaſis ſpermaticis annulum intrauerat, carne iam renaſcente et vulneris labia occludente. Igitur ſpecillum cauum indice ſiniſtro ſub ligatura lateraliter introduxit filumque

que caute reſecauit. Deſtructa reliqua cyſtae parte et vulnere noua carne occluſo lini fragmenta mollia et ſicca impoſuit, carnis incrementum nimium lapide infernali compeſcuit ſicque vulnus ſanatum eſt, penisque et ſcrotum ad naturalem formam redierunt. Tabula adiecta partes morboſas exhibet.

4) *In* BRELINI *emendationem tangentium claui chordiorum* ALGREN, SCHEFFER, PALMQVIST *inquirunt.* p. 36.

5) *Aequationem differentialem, ad quam reducitur Problema, quod* trium corporum *vocant, et a quo theoria lunaris accuratior pendet, integrare docet* FR. MALLET. p. 46.

6) *Mercurii ſub ſole tranſitum Wittebergae* 1756. *obſeruatum* GEORG. MATTH. BOSE deſcribit. Exitus momentum ſaltim vidit, in eo etiam Aſtronomis plerisque felicior. p. 51.

7) PETRVS OSBECK *plantae cuiusdam aquaticae culturam commendat.* Eſt illa *Poa aquatica* LINN. Fl. Su. 73. LINNAEVS in itinere per Gothiam occidentalem ad lacum Venern copioſe creſcere vidit, eſt vero maxima inter gramina ſaltim molliora et, quae pecorum pabulo conueniant. Culmis horrea tegunt ruſtici. Noſter radices ad fluuiorum ripas et in pratis udoſis plantauit, quae egregios prouentus dederunt. Satio non ſucceſſit, forte quod ſemina matura non fuerint, ſero enim matureſcunt. Vaccae et vituli auide hac planta veſcuntur, et ſic paludes in prata frugifera mutari poſſunt. Radices plantationi idoneae manſerunt, etſi per triginta milliaria noſter illas detulerit, abietis cortice tantum inuolutas. Obiter monet, in Sina vidiſſe ſe *Sagittariam ſagittifoliam* LINN. Fl. Su. 869 cultam ob radices eſculentam, p. 53.

 ſinenſem

ſinenſem vero ruſticum dedecori ſibi ducere, quae in agro ſuo naſcuntur, uſumque illorum, ignorare.

p. 56. 8) *Plantarum ſemina pluribus annis terrae ineſſe poſſe nullo vis vegetatiuae detrimento, experimentis probare conatur* M. NORBERG. Tabacum Turcicum, quem vocant, aliquando plantauit, plantam unicam ſemini ferendo reliquit, matura vero ſemina et collecta in aquam proiecit. Interim quotannis, effluxerunt autem ab illa plantatione anni 7 vel 8, plantulae tabaci eo in loco ubi prior ſteterat, propullularunt, quae ſtatim ubi apparuerunt, euulſae ſunt. Nullibi vero in vicinia haec ſpecies colitur, neque ab animalibus comeditur, ut ſic potuiſſet eo deferri. Igitur in radicibus aut ſeminibus terra tectis hanc vim per tot annos permanſiſſe colligit, tunc vero emerſiſſe plantulas, cum terra fodiendo agitata ſatis prope infra ſuperficiem terrae delata ſint, neque enim profundius, quam octaua aut quarta digiti parte demergi
p. 59. volunt. Obiter monet, illius transmutationis unius generis plantarum cerealium in aliud aut in gramina, exemplum, dum alio nomine per 20 annos vacauerit, nullum ſe vidiſſe. Hoc vero experientia didiciſſe, cum ſemina plantarum culinarium uſui proprio et ut vendere poſſit, coluerit, non conuenire, ut plantae adfines iuxta ſe ponantur, inde enim varietates naſci, quae ad nullam ſpeciem reduci poſſint, nullique fere uſus ſint.

p. 61. 9) *De aurora boreali ex naue quadam Suecica viſa refert* CAR. GVST. EKEBERG.

p. 64. 10) *De oſſe bregmatis ac maxilla inferiore carie abſumtis, poſt vero renatis* refert I. G. WAHLBOM. In Oelandia 1749 autumni tempore puero quinquenni caput et facies cum dolore et febre intumuit. Febre ardente tres ſeptimanas poſt decubuit et integris ſeptima-

ſeptimanis 5 furens. Ad ſaniora rediens de dolore integri corporis praecipue vero capitis conqueſtus eſt. Hic cum 10 ſeptimanas durauerat, cutis et, quod ſub cute ſitum eſt, tegmen caluariae, corii ambuſti ad modum, corrugari coepit rimasque agere fronte verſus crinium ortum, item ad aures, tandemque decidere, particula in vertice ſuperſtite, quam pater, medicus enim nullus aderat, forcipe auulſit, nullo aegri ſenſu. Sic nudata caluaria inde a ſutura coronali ad lambdoideam oſſaque temporum et ſuturam ſquamoſam nigreſcere et floccorum vel cineris groſſioris ad modum defluere, ſicque omnia uſque ad ſuturas praedictas deſtrui, oſſis vero bregmatis pars ſuperior ad ſuturam ab oſſe frontis ſeparari, ut pars magnitudine imperiales duos aequans decideret. Iam patebat dura mater, ſpectabaturque cranium ſingulis inſpirationibus eleuari. Dura mater coloris nigro coe- p. 67
rulei erat, mucore vireſcente tecta. Hic rerum ſtatus dimidio circiter anno fuit, parentes vero mane et veſpere cuiusuis diei excrementa recentia vaccina, cataplaſmatis ad modum, vulneri immediate impoſuerunt, nulla enim alia medicamenta tolerauit. Sic materia quaedam extracta eſt, praeter ea vero cataplasmatis haec vis fuit, ut ſtatim ac remouebatur, durae matris color albidus appareret, in nigro coeruleum abiturus, ſi paulatim noui impoſitio retardaretur. Sub finem, cum vulnus fere ſanatum eſſet, cataplasma hoc non amplius adhibuerunt, quoniam effectus eius in trahendo, ut dixerunt nimius eſſet. Interea cartilago velut pauxilla carne obducta figura anguloſa et undata ex oſſe frontis et ad aures naſci, ſenſimque augeri, totum denique caput noua velut caluaria ſesquianni decurſu includere. In medio verticis ſupra duram matrem carnis quidpiam excreſcebat ſanguinem fundens cum tangebatur aut cum cataplasma mutabatur: id alumine uſto conſumtum eſt. Capite rurſus tecto, crines renaſci, nisi quod exigua

 pars

pars circa verticem calua eſt. Debilitatem nouae tenuis caluariae diu ſenſit puer, nudatum caput difficulter tolerans. Senſus vero et animi vires nihil damni pertulerunt, ita, ut poſtea legere didicerit. Tarſi et metatarſi extenſores, ſiue a dolore, ſiue a longo decubitu, debiliores redditi ſunt, ut minus commode ambulet ob flexores fortius agentes. Noſter puerum vidit, ſed poſtea nullus medicus aut chirurgus ipſi adfuit, haec igitur, ut parentes BERONIO epiſcopo, qui aegri curam habuit, retulerunt, nar-
p. 68. rantur. Subiicit aliud exemplum pueri ſexennis, cuius poſtquam variolas malignas perpeſſus fuerat, maxilla inferior carie periit, carnoſis partibus ante defluentibus, poſt aliquot vero ſeptimanas nouum os renatum eſt.

p. 69. 11) *Fumi ſitne vis aliqua ad impediendos nociuos frigoris in plantas effectus? quaerit* PET. HOG-
p. 70. STRÖM. Expertus eſt plantas quasdam frigoris impatientes, quas in horto colebat, noctes autumnales frigidas, incolumes pertuliſſe, fumo in vicinia illarum materiis, quae parum caloris diſtribuerent, excitato. Nov. 8. 1756. cum frigus vehemens eſſet, ciſtam, 6 plantulas piſorum americanorum quartam ulnae partem altas, continentem, in conclaue frigidum et parietibus tenuibus ſaltim clauſum detulit, fumum vero fungis betulae excitari curauit, cui per dimidiam horae expoſita piſa, incolumia manſerunt, unius vero ramuſculus aeri frigido expoſitus paucis minutis periit. Hinc experimento alias coniecturas de hoc fumi uſu addit, qui utique inſignis eſſet, ſi doceri accuratius poſſit, tum ad plantas delicatiores commode ſeruandas, tum ad meſſes laetiores regionibus in quibus degit noſter, procreandas, ubi agricolae ſpes omnis duabus aut ad ſummum tribus noctibus aeſti-
p. 71. uis frigidis perit. Ceterum clima adeo beatum praedicat, ut ſatio cum meſſe intra 6 vel 8 ſeptimanas peragan-

peragantur, terram vero fertilitate nulli vel feliciſſimae cedere.

12) Ex Diario academiae quaedam eduntur: 1) WIIKSTROEMII mathematum in Gymnaſio regio, quod Calmariae eſt, lectoris obſeruatio de maris eo in loco altitudine. 2) Ignoti cuiusdam oeconomi aduerſus inſectum, quod ſatis autumno prouenientibus obeſt, conſilia. 3) De praemiis ab academia 1756 diſtributis. Ceſſerunt duo ordinaria; BRANDTIO ob diſſertationem de ſalibus alcalinis, actis eius anni inſertam et IENNINGSIO equitum praefecto, ob furnos quibus metalla ex mineris liquantur, emendatos; extraordinarium EKEBERGIO, ob plures obſeruationes initineribus in Indiam orientalem inſtitutas et cum academia communicatas. p. 74.

Trimeſtre ſecundum.

1) *Suttonii inuentum aerem in nauibus renouandi explicat* P. WARGENTIN. Eo redit, ut ad focum, ubi cibi coquuntur tubi aptentur, nauem permeantes; hi enim tum caloris ope ab aere euacuantur, aerem impurum ex omnibus nauis partibus extrahunt. Inuentum inſigni ſanitatis nautarum commodo in anglicis et ſuecicis nauibus adhibetur: ut periculum exiguum quidem et quod facile euitari poteſt carbonum ardentium, qui aperturas tuborum intrare forte poſſent, penitus tollatur, academia Suecica ſuaſit, ut tubi clauſi, ſupra focum tranſeuntes, adhibeantur, in quibus aer calore expanſus eundem effectum praeſtabit. p. 81.

2) *Quae in methodis cataractam tollendi* St. YVESII, FERREINII, DAVIELII *commoda ſint vel incommoda* enumerat O. ACREL. In Yueſiana methodo laudat ſecuritatem, qua acus ad lentem dirigitur, p. 94.

item quod acus et effectus eius ſpectari per pupillam poſſit, facile etiam lens etſi in partes abeat, deprimi, ipſaque lamina anterior capſulae cryſtallini lateraliter acus ope ſeparari; praeterea lens ſi ſatis compacta eſt, tuto infra humorem vitreum deprimitur, nullo metu, eam rurſus adſcenſuram. Sepimenta humoris vitrei minus etiam dilacerantur, quam in FERREINII methodo, lamina poſterior cryſtallini etiam lateraliter ſeparari poteſt, ipſaque operatio in oculis profundius intra orbitas ſitis, aut ſtrabismo laborantibus facilius inſtituitur, tutior etiam eſt, ſi pars lentis ſaltim opaca ſit aut compacta, quoniam locus ad quem dirigi debet acus, ſpectari poteſt. Lactea cataracta et aliae fluidae feliciter hac methodo tolluntur; lens autem depreſſa diſſoluitur, reſorbetur et
p. 97. plane ex oculo euaneſcit. Contra diſplicet Noſtro in YVESII methodo, quod albuginea, ob nexum ſuum cum neruis, facilius inflammationibus et doloribus ſubiecta ſit. Deinde lens facile diffringitur, pars eius per pupillam cameram anteriorem oculi intrat, aut margini pupillae adhaerens, illius contractionem luce aucta turbat, donec forte pars haec diſſoluatur,
p. 100. et quae ſimilia ſunt. Propria vero experientia ſuffultus refert, inter triginta coecos, quorum uterque oculus viſu carebat, vix octo fuiſſe cataracta vera cryſtallina ſimplice laborantes, quibus ſcilicet lens opaca et ſtatu naturali compactior fuerit; praeterea vix tribus inter triginta laminam anteriorem capſulae perſpicuam poſt indurationem lentis fuiſſe, reliquis lentem fuiſſe mollem gelatinoſam, aut cataractam aquoſam lacteam, laminam vero anteriorem capſulae cryſtalli opacam. Hos et in ipſa operatione patientiam deſideraſſe et curam, illa peracta, magis ſollicite inſtituendam, interdum etiam, ut coecus diſtincte videret, repetendam operationem fuiſſe. In his caſibus cryſtalli mollis aut reſolutae vix FERREINII methodo locum eſſe exiſtimat, Dauielianam vero optimam

optimam eſſe, niſi praxi illius impedimenta inſuperabilia obſtent. Caſus autem plures recenſet, in quibus YVESII methodum feliciter adhibuit. FERREINII methodus haec in primis commoda habet, p. 108. quod lens non adeo facile rurſus aſcendere poſſit, item quod proceſſus ciliares et iris non adeo facile diſrumpantur, neque vaſa vorticoſa uveae laedantur. Deficit vero in cataractis mollibus et fluidis, quod FERREINIVS ipſe, dum noſter eum 1743 audiuit, faſſus eſt. Firma etiam lens adſcendere rurſus ob ſuccuſſus violentos poteſt, nullo amplius remedio. Neque anterior tunica capſulae cryſtalli hac methodo tam facile ſeparatur. Monet ceteroquin molles et p. 110. fluidas cataractas, quae vulgo immedicabiles cenſentur maximamque cataractarum partem efficiunt, operatione, ſi opus eſt, repetita tolli, viſumque uni ad minimum oculo reſtitui. DAVIELII methodus hoc p. 111. praeſtat, quod cryſtallus opaca cum capſula eius omnino ex oculo tollantur, ſicque adſcendere rurſus non poſſit, minores etiam dolores coecus patiatur, ſi cornea ſenſu caret, etſi aliud docere videantur, quae aegri retulerunt.* Tuta etiam eſt haec methodus ab haemorrhagia et haemalopio, ipſe humor aqueus, ſi turbidus ſit, educi poteſt, poſt reſtituendus; tunica hyaloidea cum humore vitreo nec diſcerpitur, nec quidquam eius perit, niſi bulbus nimium prematur et humor vitreus ipſe iam vitio laboret. Vſui eſt haec methodus in cataracta etiam immatura vel rectius molli. Neque negotium faceſſunt cryſtalli particulae reſiduae, cum omnes ex oculo eximantur. Incommodis vero laborat ſequentibus: Saepius male cedit, quam methodi antiquiores. Poſtquam etiam compendia eius LA FAIIE monſtrauit, ſubiecta eſt incommodis Yueſianae, inflammationi etc. Si lens grandior ſit, pupillae vis infertur, quae figurae eius

* vid. Memoires de l'Acad. Royal de Chirurgie Edit. in 4. Tom. II. p. 572. Edit. in 8. Tom. VI. p. 322.

eius nocet ac mobilitati. Difficilius in oculis, profundius ſitis, aut a ſtrabismo trementibus adhibetur. In cataracta complicata, humore vitreo reſoluto, methodus haec maxime nocua eſt, duabus enim tertiis corneae apertis profluit aqueus humor, lens leni preſſione educitur, ſed vitreus humor ſequitur, irreparabili damno, ſiquidem cryſtalli vices ſuppleturus
p. 114. erat. In cataracta mixta, ubi tam lens, quam capſula opacae ſunt, lens vero mollis vel reſoluta eſt, plerumque capſula ſeparatim aperienda eſt, et lens exprimitur, humore vitreo, ut ante dictum eſt, plerumque ſequuturo; deinde educta lente reſiduae ſunt membranae, quae dum tentaculis extrahuntur, ſi alicubi proceſſibus ciliaribus aut circulo iridis adhaereant, turbare has partes fibrasque iridis motrices poſſunt, cuius rei periculum minus eſt in methodo Yueſiana, ubi adhaeſio membranarum, ſi
p. 117. qua eſt, ſpectari poteſt. Omnibus itaque comparatis methodum YVESII tanquam tutiorem et uniuerſaliorem prae reliquis commendare videtur, cum enim, experientia teſte, lens depreſſa paulatim reſoluatur et euaneſcat, nouis artificiis, quibus eximitur ex oculo aut ſub humore vitreo occultatur, opus non videtur.

p. 118. 3) *De viribus medicis Gei riualis* experimenta edit PETR. ION BERGIVS. Pertinent illa ad radicem *Gei floribus nutantibus, fructu oblongo, ariſtis plumoſis.* LINN. Sp. Pl. 501, 3, ante florendi tempus collectam KALMIVS retulit illam in America ſeptentrionali contra febres adhiberi. Noſter igitur operae pretium eſſe facturum credidit, ſi plantam in pratis Sueciae humidis vulgarem tentaret. Euentus caſuum 31 prolixius narrat, ex quibus haec generatim colligit.
p. 137. Non ubique geum riuale aduerſus febres prodeſt. Interdum nullus fere eius effectus fuit, etiam cum quinque eius unciae adſumtae fuiſſent, interdum non ſufficit, ſed auxilio corticis Peruuiani in ſupplementum

mentum opus fuit. Saepius vero etiam aegros a febre liberauit, in primis vere, ubi ſebres plerumque mitiores ſunt. Sumitur autem nullo omnino periculo, niſi, quod in uſu eius, ut in medicamentis omnibus, cautione opus eſt. Ita ſolum adſumtum febrem aliquando fugauit, ſed obſtructionum et abdominis intumeſcentis cauſſa extitit. Ipſum vero geum abdominis aut pedum tumores, cum corpori debite praeparato datur, non producere, exempla illorum probant, qui cum tumoribus his laborarent, uſu gei ab illis liberati ſunt. Neque vero geum ſolum ſemper adhibuit, ſed plerumque alia admiſcuit, in primis tartarum ſolubilem, ubi nunquam, neque a magna doſi mala nata ſunt. Ita feminae annor. 28, quae per octiduum tertiana laborauerat hoc praeſcripſit. ℞. Pulu. rad gei riual. Vnc. II β Tart. ſolub. Dr. IIII. Sal Anglic. Dr VI. M. f. Pulu. cuius drachmam ſingulis horis dierum, a febre liberarum, ſumſit. Remedium frigus febrile paulisper imminuit, in calore nihil mutauit; neque magis profuit aequalis quantitas poſt aſſumta, ut cortex febrifugus in auxilium vocandus fuerit. Optimus vero effectus fuit extracti radicis; ita Extr. Gei riual. Vnc. I β Tartari ſolub. Dr. III. Rhei el. Dr. I. febrem fugauit; profuit vero etiam extractum aduerſus diarrhoeas et uteri haemorrhagias atque haemorrhoides abdominis item dolores; ut noſtro iudice in officinis roborantis et adſtringentis titulo ſeruari Geum mereatur.

p. 122. p. 138. p. 123. p. 130.

4) *Obſeruationes de Loxia linea alarum duplici alba* Faun. Su. 176 profert AND. SCHOENBERG, ANDERSSON. Eo potiſſimum redeunt, auium plumas rubras in flauas mutari, non quod priores decidant, ſed quod nouum colorem adipiſcantur. Suſpicatur rubras aues pullos eſſe, qui nondum primum aetatis annum expleuerint. Aues in america ſeptentrionali reperiuntur; in Europa nullibi extra Sueciam p. 139.

et

et Norwegiam. Seminibus ſorbi aucupariae tanta auiditate veſcuntur, ut non moueantur hominum praeſentia et facillime capi tunc poſſint.

p. 143. 5) *Apoplexiam, cuius cauſſa collare anguſtius extitit* deſcribit P. ZETZELL. Accidit ſtudioſo, ut dum die calida conis luderet, ſenſus et motus expers in terram concideret, ſed collari, quod anguſtius iuſto erat, reſoluto, vena ſecta et cura idonea adhibita, reſtitutus eſt. Memorabile nobis videtur et ad hiſtoriam animae pertinens, quod cum primum ad ſe redire coepit, verba protulerit, ſupplementum ſermonis ſemi perfecti conſtituentia, quem, dum cadebat, inceperat. ZETZELLIVS phoenomena ex notis principiis explicat, additis monitis, de noxa veſtimentorum anguſtiorum.

p. 148. 6) *Methodum computandi inter uſurium et, quae ad ſortes ſtatis temporibus ſoluendas pertinent*, exhibet NIC. SCHENMARK.

p. 162. 7) MELLINI *obſeruata circa agriculturam in Bothnia occidentali in compendio eduntur.*

Trimeſtre tertium:

p. 165. 1) *De climatum differentia agit* P. WARGENTIN.

p. 177. 2) *Capturam Phocae in Bothnia Orientali deſcribit* IO. DAV. CNEIFF in primis itinera, quae ad capienda animalia, magno cum Venatorum periculo per glaciem ſuſcipiuntur.

p. 194. 3) *Animaduerſiones ſcripto praecedenti addit* I. G. Oſtendere conatur itinera illa, de quibus diximus, reipublicae utilia eſſe, etſi exiguum et fere nullum ſit emolumentum, quod ipſi venatores ob impenſas neceſſarias ex illis habent.

4) *Ex-*

4) *Experimenta de variolis inſitione applicatis* edit p. 197. DAV. SCHVLTZ M. D. Vulneri indidit tria fila, quorum quoduis pure ex aegro varioloſo deſumto foetum, imo ex alio loco allatum erat, variolae inde natae ſunt benignae, et experimentum bene ceſſit, captum vero eſt in puellis tribus. Vſus eſt, ut oſtendatur, nullo periculo plura fila adhiberi ad variolas certius prouocandas, neque puris diuerſi generis mixturam obeſſe.

5) *Terebram, iis quae infra ſuperficiem terrae ſita* p. 199. *ſunt, examinandis idoneam* deſcribit PATRICH ALSTROEMER. Magnitudine fere ſola differt a metallica, qualem Cl. TRIEWALD in Com. Acad. ad ann. 1740. trim. I deſcripſit. Haec vero minor agricolis imprimis commendatur, ut agri ſui conditiones certius noſcant.

6) *De colore coeruleo obtinendo ex culmis melam-* p. 203. *pyri* (Flor. Su. 511) experimenta edit AXEL FR. CRONSTEDT. Culmi plantae huius marceſcentes, adeoque primum putrefactionis gradum ſubeuntes et ipſi coeruleſcunt, et aquam, in qua coquuntur et exprimuntur, colore coeruleo tingunt, acetum vel ſpiritum vitrioli absque mutatione tolerante, item alcalicorum fixorum lixiuia, ſi frigida admiſceantur, cocta vero cum illis tinctura purpuraſcit. Ceterum, tinctura eo modo tractata, quam tinctores *cupam* (*die Kuepe*) vocant, ubi pigmento indico, ex herba Anil educto, utuntur, ſimilia phoenomena non edit; nec enim flaueſcit ſuperficies, nec ſpuma coerulea agitatur. Haec vero narrat Noſter ſaltim, ut alios excitet, qui in hoc pigmentum accuratius inquirant.

7) *Obſeruata meteorologica Vpſalienſia anni* 1755 p. 208. in compendio exhibet BEN. FERNER.

p. 216. 8) *Problematum mathematicorum ſolutiones particulares interdum praeſtare generalibus* exemplo illuſtrat SAM. KLINGENSTIERNA.

p. 218. 9) *Theorema de lunulis quibusdam ellipticis quadrabilibus demonſtrat* PET. LEHNBERG.

p. 222. 10) *Notabilem mutationem ſuperficiei terreſtris in Finnia* narrat SOREN ABILDGAARD. Ad latus viae regiae prope Aboam et Wiborgam montes vidit, qui vel ruinam paulatim adhuc perpaterentur, vel iam eſſent comminuti. Conſiſtunt ex ſpecie ſpathi rudis (*Feldtspadt*) quam Sueci *Sielffrät-ſten*, quaſi lapidem, qui ſe ipſum deſtruit, appellant. Is in cu-
p. 224. bos, ex lamellis conſtantes, diſſilit. Noſtro igitur vero ſimile eſt, multo plures olim montes ibi fuiſſe, ipſas vero planities adiacentes frugiferas ex ruinis montium natas, quae lacus expleuerint.

p. 226. 11) *Animaduerſiones ſcripto praecedenti addit* DAN. TILAS. Monet lapidis, de quo dictum fuit, fruſta minora paulatim ſaltim comminui, et his veluti ruinis montes, ex eo caeteroquin ſatis firmo conſtantes, in ſuperficie tegi, ut totalis illa montium deſtructio, quam ABILDGAARDT credidit, locum habere non videatur. Ceterum de firmitate lapidum, quibus plures montium tractus in Suecia et Norwegia conſtant, et quid lapidum natura ad figuram magnitudinemque iugorum conferat, egregia multa TILAS hic ex obſeruationibus ſuis edit.

p. 234. 12) *Os brachii viro, dum pilam iaciebat, fractum* narrat I. G. SIFVERT. Fractura ad extremitatem inferiorem oſſis contigit viro annorum viginti octo, ceterum ſano, ut nulla ſuſpicio cariei latentis fuerit, feliciter vero curata eſt.

13) *Cul-*

13) *Culturam arboris Coffee Surinamenſem* deſcribit IO. SILANDER. Orditur a deſcriptione botanica; ſeritur planta in regiones, ex quibus ſyluae igne extirpantur, agri, in partes diuiſi, foſſis circumdantur, plantae ſibi relictae in agro bono ad pedum quatuordecim vel ſedecim altitudinem excreſcunt, ramosque late diffundunt, decennes ſenſim pereunt et intra decimum ſextum et vigeſimum annum intereunt; Noſter praefert illis, quae ut trunco firmo et ventis reſiſtente excreſcerent, cultura effecit, eaedem copioſiores fructus in ramis denſioribus ferunt, et antiquiſſimae illarum in hac regione octodecim annorum ita adhuc comparatae ſunt, ut ſpes ſit triginta vel quadraginta annos victuras. Fructus prima vice matureſcunt Aprili et Maio, ſed quidam etiam Auguſto; ſecunda vice Octobri et Nouembri, tunc vero fructus parciores ſunt. Iuuenum arborum ſemina maiora ſunt, adultorum minora et melioris ſaporis. Baccae primum in ſole ſiccantur, deinde in aedificiis in hunc uſum conſtructis, ubi quotidie mouendae ſunt, ne nigreſcant et corrumpantur; deinde cylindro iuxta longitudinem ſulcato, ſupra diſcum itidem ſulcatum circum ducto, baccae ſulcis iniectae aperiuntur et pulpa a ſeminibus ſeparatur, membrana vero a ſeminibus contuſione in mortariis ligneis ſeparatur agitatione aeris auferenda, ita praeparata ſemina vaſis non nimis confeſtim includuntur. p. 237. p. 242.

Trimeſtre quartum:

1) *De Sueciae Climate* differit P. WARGENTIN. p. 245. Animus ei eſt refellere exterorum praeiudicia de nimio frigoris in Suecia rigore. Vtitur vero obſeruationibus thermometricis nouendecim annorum Vpſaliae inſtitutis, ex quibus modo, quem hic explicare nimis longum eſſet, medium calorem aut medium frigus cuiusque menſis eruit. Gradus ſunt thermo-

 metri

metri Sueuici, parum a Reaumuriano differentis, niſi quod diſtantia inter terminos congelationis et ebullitionis Sueci in centum partes, REAVMVRIVS in octoaginta diuidant. Ita oſtendit calorem aeſtatis Sueciae, nihil calori auſtralium regionum cedere, frigus Suecicum contra vix harum frigus ſuperare; etſi
p. 259. calor Sueciae breuior ſit, frigus diuturnius. Maximum frigus Holmiae obſeruatum fuit Febr. 21. 1751; gr. 31. ſtatim vero liqueſcere coepit glacies. Vpſaliae frigus maximum fuit 1754, Ian. 28. grad 27;
p. 260. paucarum ſaltim horarum calor maximus Holmiae 1752; Iul. 3. gr. 33.

p. 263. 2) *Parochia Näsby in Gothia orientali* deſcribitur ab eius Paſtore IO. HEDERSTRÖM. Inter alia cata-
p. 279. logum plantarum, ibi creſcentium, legimus. Inter medicinas, bobus dari ſolitas, et hanc animaduerti-
p. 288. mus: Vaccae, ſi taurum non appetit, extremum caudae leporinae datur, certo, ut experimenta repe-
p. 298. tita teſtari Noſter adſerit, poſtero die effectu. Collegii medici miſſa ad eccleſias omnes, de variis morbis tollendis, conſilia etiam huic parochiae inſigni uſu fuiſſe, gratus Noſter praedicat.

p. 304. 3) *Tractationis de hirudinibus primam partem* edit THORBERN BERGMAN, qua ſex illarum ſpecies enumerat et breuiter deſcribit. En illarum nomina
p. 308. ſpecifica, additis triuialibus: 1) *Medicinalis* depreſſa, nigra, lineis octo dorſalibus flauis, ſubtus flauo nigra. Haec maxima eſt, extenſa fere quinque digi-
p. 309. tos aequans. 2) *Sanguiſuga* depreſſiuſcula, nigra
p. 310. margine ſubtusque flauo notata. 3) Hirudo *piſcium*
p. 311. teres, fuſca, albo maculata Faun. Su. 1275. 4) *Octoculata* depreſſa, fuſca, punctis nigris, octo ſupra os. Puncta fere pro oculis Noſter habet, nondum vero in omnibus hirudinum ſpeciebus reperit. 5) *Binoculata* depreſſa, fuſca, punctis duobus nigris ſupra os.

6) *Sexocu-*

6) *Sexoculata*, depreſſa, albida ordinibus duobus p. 313.
dorſalibus tuberculorum pallidorum nigris lineis con-
nexorum. Obitum animalium horum hermaphrodi-
torum nunquam vidit, etſi plura, quorum numerus
etiam auctus eſt, ſaepius adſeruauerit. Species de-
pictae ſiſtuntur.

4) *Ad* D. LEWIS *diſſertationem de metallo, pla-* p. 314.
tina di Pinto, in Transact. Philoſoph. 1754 *reperiun-*
dam animaduerſiones edit H. T. SCHEFFER. Totus
eſt in examinandis grauitatibus ſpecificis mixturarum,
ex nouo hoc metallo et aliis factarum, quales LEWIS
experimentis reperit. Illas ipſe LEWIS cum calculo
comparauit, ſed formula uſus eſt falſa, rationem in-
gredientium per volumina exprimente, cum dubium
nullum ſit, rationem hanc per pondera eſſe defini-
tam. Veram igitur formulam Noſter adhibet, et in
LEWISII experimentis interdum maiorem, inter-
dum minorem mixturae grauitatem ſpecificam repe-
rit, quam calculus indicat, neutiquam tamen adeo
ab hoc calculo, ut ab Angli falſo abludentem. Dum
diſcriminis rationem reddere conatur, varia elegantia p. 321.
profert, e.g. plus quam centum experimentis didiciſ-
ſe ſe, quod metalla pondus ſuum ea ratione augeant,
qua phlogiſton ipſis aufertur, contra dum phlogiſton
ipſis unitur, pondus illorum decreſcere. Hinc pa-
radoxon explicat, quod platina metallum ferro con-
tuſum, mixturam dediſſe dicatur, voluminis eo,
quod ferrum ſolum occupabat, minoris. Ferrum
enim absque phlogiſti additione fundi non poſſe, quin
multum de proprio phlogiſto perdat, ita vero pon-
dus eius augeri, ut aequale pondus minori ſpatio
contineatur. Platinae grauitatem ſpecificam incertam
adhuc Noſter pronunciat, cum enim non niſi in par-
ticulis exiguis irregularibus habeatur et ſolum com- p. 318.
mode fundi non poſſit, ab aere in cauitatibus ſuper-
ficiei externae fruſtulorum horum undoſo, aquam

 arceri,

arceri, ut examen hydroſtaticum ſatis accurate ſuſci-
p. 324. pi nequeat. Grauius tamen auro pronunciat. Nos miramur, dubium nullum ipſi mouiſſe, quae contra ſuppoſitum omnium horum calculorum experimentis recentiorum edocti ſumus, ſcilicet volumen mixturae non ſemper aequari ſummae voluminum ingredientium.*

II.

Obſeruationum medicinalium faſciculus. Proſtat Oxonii, apud Fletſcher et Prince etc. 4to mai. pl. 3.

Obſeruationum harum, ad medicinam clinicam praecipue facientium, faſciculus a Viro, nobis quidem ignoto, ſed uti ex nonnullis obſeruationibus colligere licet, per viginti iam annos in obſeruandis morbis ſollicite verſante, niſi fallimur, ante hos tres annos editus fuit. Omnes vero res egregia quadam perſpicuitate cum breuitate coniuncta propoſitas deprehendimus; noſtrum itaque erit, pauca hinc inde ſpeciminis loco decerpere et cum lectoribus noſtris communicare.

p. 1. Obſeruatio prima ſiſtit thoracis et pericardii hydropem, cum marcore cordis et empyemate. In iuuene quindecim annorum pleuritide correpto, pulſus pro ratione febris et doloris imbecillior erat, et ſanguis, ex brachio miſſus, pleuritici ſanguinis ſpeciem non referebat, neque cruſta obductus inflammatoria, neque ſolutus, neque ſeroſus ut in hydropicis. In venae ſectione, antiphlogiſticis, aluum ſoluentibus et epiſpaſticis medendi methodus poſita erat, obiit tamen aeger die decimo morbi. Diſſecto cadauere, in ſiniſtra thoracis parte pulmo ſuperius adhaerebat, ſemi libra aquae extrauaſata, in dextra parte abſceſſus libram

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. p. 648.

bram puris continens, inter pulmones et inferiores coſtas poſitus erat, pulmonis ſubſtantia de reliquo ſana; pericardium vero, ultra modum diſtentum craſſumque aquae purulentae duas libras continebat, cor ipſum flaccidum erat, marcore confectum, ob praeternaturalem itaque cordis ſtatum ſymptomata, pleuriticis conſueta, non, apparebant.

Obſeruatio ſecunda ad quintam abſceſſus pulmonalis, per vomicam ruptam, felices quasdam recenſet curationes; ſexta autem iuuenem ſiſtit cui poſt pleuri- p. 6.
tidem empyema relictum fuit, quod fonticulo, per cauterium inter ſextam et quintam coſtam admoto, perforatis inde muſculis intercoſtalibus et pleura, et effluxu materiae purulentae foetidiſſimae conceſſo, depuratum fuit, quo facto aeger conualuit. In ſeptima obſeruatione perforatio thoracis ſcalpello facta, ad materiam purulentam educendam utilis fuit, nunquam intermittenda, ſi materiam purulentam in thorace fluctuare ex certiſſimis ſignis cognoſcas.

Obſeruatio octaua ptyaliſmum ſpontaneum per- p. 7.
tinaces ſaepe morbos ſoluere, exemplo vetulae oſtenditur, quae octuageſimo ſexto aetatis anno bis peripneumonia correpta euaſit quidem, in dyſpnoeam tamen moleſtam incidit, quae ſputo largiore ſuperveniente ceſſauit. Tumor poſtea in latere ſiniſtro capitis cum atroci dolore oriebatur, qui tamen velamento ſpiſſiore capiti obuoluto, et uſu gargariſmatum leniorum, perpetuo ferme ſaliuae profluuio, ad nonageſimum ſecundum aetatis annum durante, diſcutiebatur, foemina praeterea graui incommodo non vexata.

Obſeruatio nona de haemorrhagiis ſiſtendis in p. 8.
genere diſſerit; ſtypticis haec raro cedere aſſerit Noſter, et febriculae cum haemorrhagia accedentis rationem habendam eſſe monet, haec venae ſectione et cortice peruuiano vix ſupprimitur, laudat tamen Noſter uſum remediorum ex ſaturno praeparato-

rum, quicquid enim alii circa horum medicamentorum uſum obiiciant, languidiorem tamen circulum ſanguinis, ad haemorrhagiam ſiſtendam ſummè neceſſarium his induci, nemo negare poterit. Abſtinendum vero ab his remediis eſt, ſi ſpaſmus adeſt, ſi febricula urget, illa prius ſupprimenda erit, ne ſanguinis retenti copia in nobile aliquod viſcus coniiciatur.

p. 10. Obſeruatio decima ſcroti renouationem poſt necroſin a cauſa venerea inductam, exemplo illuſtrat: undecima calculum biliarium per aluum ſecedentem deſcribit: duodecima in muliere ſeptuagenaria hemiplegiam obortam, febre tertiana ſuperueniente ſolutam et hanc tandem cortice peruuiano aliisque neruinis v. c. radice ſerpentariae virginianae depulſam fuiſſe.

p. 12. Obſeruatio decima tertia ſiſtit puerperam delicatulam, quae ex refrigerio ſuppreſſionem lochiorum paſſa erat, febre vero intermittente tertiana ſuperueniente, dirisque ſymptomatibus aegram excruciante, poſt hauſtum ex ſale abſinthii et limonum ſucco, addito croco et caſtoreo, tandem cortice peruuiano et martialibus aliisque uterinis medicamentis, febris profligata fuit, redeunte ſimul lochiorum fluxu. Obſeruatio decima quarta ſectionem cadaueris virilis ſiſtit, in quo inteſtinum rectum in veſicam perforatum fuit, qua occaſione etiam in obſeruatione decima quinta et ſexta de abſceſſibus ad renes et veſicam, et obſeruatione decima ſeptima de abſceſſibus ad veſicam et ventriculum collectis diſſeritur.

III.

Stirpium praecipuarum littoris et agri Nicaeenſis enumeratio methodica cum Elencho aliquot animalium eiusdem maris a CAROLO ALLIONIO, Phil. et Med. Doct. Taurinenſi Inſt. Sc. Bonon. et Acad. Reg. Matrit. Sod. atque Societ. Monſp. Goetting. et Florent. etc. Pariſiis, apud Claud. Ioh. Baptiſt. Bauche. 1757. 8. mai. plag. 15½.

Qui nunc in medicina facienda totus ferme occupatus eſt, Cl. ALLIONIVS iunioris aetatis vires in culturam ſcientiae et hiſtoriae naturalis, medicis adeo neceſſariam, impendit, inde non tantum Taurinenſem agrum perluſtrauit, ſed alpium vicinarum praerupta Saxa et niuoſa iuga multoties aſcendit, et inſignem corporum naturalium copiam coegit. Huius rei teſtimonium eſt rariorum pedemontii ſtirpium ſpecimen primum, * et mox a nobis laudanda oryctographia pedemontana. In his vero littoris et agri Nicaeenſis ſtirpibus colligendis, Cl. Auctor uſus eſt opera IOHANNIS BAPTISTAE GIVDICE, medici nicaeenſis, qui, cum antehac ſaepius Noſtro in itineribus botanicis ſocium ſe praebuiſſet, poſtquam Nicaeam diſceſſerat, quotannis exſiccatarum et recentium plantarum faſciculos, nec non ſemina, in horto colenda, communicauit. Dolendum certe eſt, tam diligentem naturae indagatorem Iaueni peripneumonia correptum diem obiiſſe ſupremum. Praeſens igitur opuſculum eſt fructus laborum quatuor annorum, Cl. Auctor enim non tantum faſciculos plantarum olim communicatos, ſed omnem apparatum botanicum Cl. GIVDICE ſtudioſe perquiſiuit, cum praeſtantiſſimis botanicorum ſcriptis comparauit, et ea, qua fieri potuit, perfectione edidit. Addi-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. Part. IV. p. 701.

dit in fine plures plantas ſubmarinas, quas Cl. VERANI ex littore vicino collegit, ſubiunctis quibusdam animalibus marinis. In plantis vero diſponendis elegit methodum LVDWIGII noſtri, quam in definitionibus generum plantarum propoſuit, in quibusdam tamen ab ea receſſit, v. c. relatiuas, quae ob ſexum plantarum diſtinguendae erant, hac diſtinctione neglecta, ad plantas perfectas retulit. In ſpecierum nominibus ſynonymicis enarrandis, ſelectum obſeruauit, BAVHINORVM et TOVRNEFORTII nomina non neglexit, attamen recentiores quoque ſcriptores, plantarum ſpecies accuratius definientes, citauit, ipſe vero non tantum multis ſpeciebus ſuccinctos characteres addidit, ſed praeterea non nullas nouas accuratius deſcripſit. Cum vero ex iis, quae hactenus propoſuimus, idea opuſculi noſtri ſatis pateat, addamus adhuc nouas quasdam ſpecies, vel circa cognitas factas obſeruationes, ſelectis praecipuis characteribus ex deſcriptionibus a Cl. Auctore traditis.

p. 4. *Gallium folii ſenis rigidis, obſcure virentibus, floribus purpuraſcentibus e ſummo caule prodeuntibus.* Gallium hoc Nicaeenſe caules ſtriatos quadrangulos, firmos, palmares, folia in ſummitate longa ſpinula armata, et pedunculos in ſummo caule ex alis ramoſos, bifloros et trifloros obtinet.

p. 40. Valerianellam ſemine ſtellato ab aruenſi ſerotina, eodem modo, ut creticam veſicariam, diſtinguendam et tres ſpecies conſtituendas eſſe, noſter contra LINNAEVM affirmat.

p. 44. *Galeopſis caule piloſo calycibus labio corollae ſuperiore longioribus* LINNAEI Sp. p. 580. Studioſe deſcribitur, quo pateat deſcriptionem vere conuenire cum *Ocymaſtro Valentino* CLVSII Hiſt. 2. p. 42. calycem tamen, ut LINNAEVS in nomine habet, labio ſuperiore corollae longiorem non eſſe, ſed verum characterem eſſentialem huius ſpeciei in labii ſuperioris

rioris corollae in duo veluti cornua diuaricatione conſiſtere.

Molucca, quae Moluccella calycibus quinquefidis, corollis calyce longioribus LINNAEI Sp. p. 587 in rupibus ad vias creſcens, rarior planta eſt, a noſtro ſtudioſe deſcripta. Fruticulus per dichotomiam valde ramoſus eſt, rami toti floriferi in verticillis; folia breuiter petiolata, oualia, neruoſa, breuiter piloſa; calyces decemſtriati, tubulati, patuli, glabri, ſtriis quinque maioribus in ſpinas terminatis; galea multum fornicata, villoſa, barba trifida, lateralibus ſegmentis acutis, medio cordato. p. 51.

Scabioſa corollulis quinquifidis, ramoſa, humilis, foliis lanceolatis integerrimis. Caulis ramoſiſſimus, ſemipalmaris; rami unico flore terminati, calyx quinquefolius, floſculos ſaepe quatuor continens, ſemina ſericea membrana coronata. Haec copioſe in aruis creſcit. Additur alia ſcabioſa alopecuroides, quae monſtroſa eſt. p. 65.

Sonchus foliis omnibus integris, denticulato ſpinoſis ramis, unifloris ſemifloſculis, quinquedentatis. Caulis bicubitalis, procumbens, poſtea inflexus et erectus, laeuiſſimus, fiſtuloſus; folia caulina alterna amplexicaulia, calyx conicus, conniuens, ſquamae lanceolatae, imbricatae trium ordinum; flos magnus luteus ſummo mane tantum apertus; ſemen nigrum paruum, pappo tenui longiſſimo coronatum. p. 85.

Lactuca ramoſiſſima, pene lignoſa, foliis radicalibus pinnatifidis, caulinis lanceolatis. Radix dura fuſca, caulis vix palmaris, folia glabra, rami patentes, aſcendendo minores, flores parui, ſeſſiles, lutei extus purpuraſcentes. Inter ſaxa collium nicaeenſium creſcit. p. 87.

Andryalae quidem duas ſpecies affert, unam *foliis integris*, alteram *foliis dentato haſtatis*, facile tamen conſentit, has coniungendas eſſe, cum habitus plantae ex molliſſimo et luteolo tomento ſatis conuenire videatur, p. 88.

deatur, quam quidem rem, nos in planta bicubitali et altiori, ſub dupla enim altitudine in hortis noſtris creſcit, quoque obſeruauimus.

p. 130. *Trifolium ſpicis globoſis, calycibus ſetis rigidis obuallatis, caule erecto* LINNAEI Sp. pl. 768. a Noſtro quodammodo deſcribitur, quo ab eo diſtingui poſſit alia ſpecies quam nouam iudicat. *Trifolium pedunculis nudis, caule erecto, calycum ſedis rigidis inaequalibus, floribus calyce longioribus.* Folia oblongo ouata ſubtiliſſime denticulata, capitulo compreſſo rotundo, quod ad maturitatem accedens, ouatum fit, calycibus patentibus; ex ſetis una eſt longiſſima, proxima duae minores, reliquae minimae.

p. 132. Simili prorſus ratione *Trifolium capitulis ſeſſilibus ouatis, calycibus villoſis inaequalibus.* LINNAEI Sp. pl. p. 770. deſcribitur, quo noua ſpecies ab illa diuerſa melius cognoſcatur; ſcilicet *Trifolium capitulis ſeſſilibus, foliis longe petiolatis, ſetis rigidis, non reflexis, flore longioribus.* Planta procumbens, rami filiformes, folia ſemper ouata, cinerei coloris, utrinque neruoſa; flores albi, dentibus calycinis breuiores, qui ſetae lanceolatae lineares inermes ſunt. Non tantum vero his characteribus, ſed et habitu etiam tenuiore a praecedenti ſpecie differt.

p. 145. *Lathyrus pedunculis unifloris, cirrhis diphyllis foliis eliptico-acuminatis, caulibus utrinque membranaceis.* Caules ſtriati triangulares, folia glabra in auerſa facie neruoſo-ſtriata, cirrhi tres interdum quinque, duobus pinnatis, legumen ſecuriforme. Omittimus varias de Limonii, Helianthemi et Bupleuri ſpeciebus obſeruationes, et ſub finem nouam quandam Delphinii ſpeciem ſubiungimus.

p. 200. *Delphinium nectariis diphyllis, floribus ſolitariis, foliis multipartitis, foliolis lineari acuminatis.* Hanc plantam in terra puteolana reperit Cl. GIUDICE, cubitam alta eſt, a caule uſque ad ramorum ortum foliis denſe congeſtis, tripartita folia, laciniis nunc trifidis

nunc

nunc bifidis varie ſectis, a *Conſolida regali, latifolia, paruo flore* C. B. P. 74. foliolis linearibus et profunde ſectis, denſeque poſitis differre dicit Noſter, dubitamus tamen an vere noua ſit ſpecies, cum in Delphinii ſpeciebus etiam in horto cultis magnam ratione amplitudinis et anguſtiae foliorum ſemper inuenerimus varietatem.

IV.

Oryctographiae pedemontanae ſpecimen, exhibens corpora foſſilia terrae aduentitia: Auctore CAROLO ALLIONIO, Ph. et Med. Doct. e Societate Phyſico Botanica Florentina et Academia Regia Matritenſi. Pariſiis, ad ripam Auguſtinorum, apud Claudium Ioannem Baptiſtam Bauche. 1757. 8. pl. 6.

Pedemontium undique collibus montibusque cingitur: verſus ſeptentrionem, meridiem et occidentem ampliſſimam Alpium inuenies catenam, quae ab Helueticis producta, in Monregalenſes et Genuenſes Alpes terminatur. Inter meridiem et orientem, in Auguſtae Taurinorum viciniis, colles naſcuntur, qui in ſat magnam latitudinem ſeſe extendentes, in Monregalenſes, Sauonenſes, Genuenſes et Dertonenſes uſque montes continuant, et comprehendunt Taurinenſis prouinciae partem, Albae Pompeiae, Montis-regalis, Alexandriae et Dertonae prouincias, Montem-ferratum, et comitatum Aſtenſem. Ingrediuntur harum alpium compoſitionem ſchiſtus, quartzum, ſpathum, talcum, mica, amianthus, lapis calcareus, minerarumque, mercurium et ſtannum ſi exceperis, omne genus. Colles vero conſtituuntur ex arenis, ſabulis, terris, argillis, cretis, margis, gypſo, lithantrace, ſulphure, ſilicibus et ſaxis calcareis arenoſisque, quorum fere omnia in horizon-

horizontalibus aut oblique inclinatis ſtratis effodiuntur. Quamuis in cuiuscunque materiei ſtratis petrefacta occurrant, frequentiſſime tamen inueniri ſolent in terra ſabuloſa prouinciae Aſtenſis, in qua vallis d'Andone dicta ex meris conchyliis terraque ſabuloſa conflata videtur.

Ad ductum WALLERII foſſilia haec ordinanda putauit Cl. Auctor. Inter phytolithos variorum foliorum ectypi in topho, marga, ochra reperiuntur;
p. 4. lithoxyla occurrunt frequentiſſime, quorum prae ceteris allegari meretur truncus arboris in dura argilla ſepultus, qui partim in durum ſilicem ſcintillantem, partim in nitidum lithantracem mutatus ex parte adhuc raſilem ligni exhibet ſubſtantiam. Parum mutata ligni fruſta in gypſi ſtratis circa oppidum la Morra inueniuntur, ubi et nucis iuglandis ochra terrificatum ſpecimen effoſſum fuit. Petrificata teſtacea ac animalia prius, quam recenſeat, breuibus quaedam de ſtratis, quibus illa continentur, diſputat. Sic conchitas in lithantrace, gypſo, achate, marmore, ſelenite, argilla, arena, creta inuentos affirmat, eosque vel hisce materiis repletos, vel iis tantum retento naturali colore ineſſe, monet.

p. 11. In colle vici Scioltze collegit conchylia varii generis, quae coeruleo colore erant imbuta, cuius et coloris, in flauum aliquantulum vergentis, denticulum animalis cuiusdam inuenit, quem, ut et dicta conchylia, a ſucco Turcoſarum penetratum, autumauit. Nec tamen igne diffunditur color iſte in conchyliis, ſed potius euaneſcit. Adfert tunc coralliorum foſſilium genera, quae tamen, quod miratur, in tanta conchyliorum ubertate, raro inueniri aſſerit. Nec echinitae deſunt, quamuis et rari ſint, et ob materiae, ectypis formandis aptae, defectum, non ſatis elegantes. Balani foſſiles ab Auctoribus olim inter rariſſima habiti, nullibi terrarum copioſius occurrunt quam in Pedemontii collibus; plures ergo eorum

rum ſpecies, pro magnitudine diuerſas, collegit et deſcripſit. Pholades nunquam in petram mutatos reperiri et ARGENVILLE et GESNERVS affirmant. Eorum vero foſſilium plura ſpecimina Cl. Auctor reperit. Nec tamen inuenti gloriam ſibi ſumit, cum iam a MONTIO eorum mentio facta fuerit. Differunt hi pholades ab omnibus cognitis eo, quod non in ſaxis deliteſcant, ſed craſſorum conchyliorum inhabitent teſtas. Patellitarum, conchilitarum, pectinitarum et pectunculitarum, terebratularum, muſculitarum et pinnitarum ſpecies recenſet, quibus nulla memoratu digna inſunt. p. 26.

Excipit has deſcriptiones oſtreitarum catalogus, p. 39. in quorum numero ſub fine inuenitur, rariſſimum illud oſtreum polyleptoginglymon dictum, cuius inſignis copia effoditur in prouinciae Aſtenſis valle d'Andona, ubi ſtrata, hocce oſtreo referta, ad plura milliaria ſeſe extendunt. Tubulitarum omne ge- p. 47. nus occurrit, nec belemnitae prorſus deficiunt, quanquam tantum in unico loco, prope le Sambucceo, reperiantur, lapidi ſuillo inſperſi. Ammonites eodem in loco multi effodiuntur, et in arena Aſtenſi cornua ammonis vera non petrifacta inuenit, eodem modo ut PLANCVS in arena Ariminenſi. Nautilitem unicum, cuius ampliores concamerationes a terra ſabuloſa, minores a ſelenite replentur, in viciniis Auguſtae Taurinorum detexit. Nummularios lapides ſiue Helicitas Pedemontium prorſus non offert. p. 58. Cochlites, trochites, neritites, buccinites, ſtrombites, turbinites, muricites, alatites, purpurites, volutites, cylindrites, globoſites, porcellanites ubiuis occurrunt, plus minus frequentes. Tres opercu- p. 77. litarum ſpecies deſcribit, quas in Dertonenſibus collibus copioſe inueniri affirmat. Piſcium impreſſiones huc uſque nullas detegere potuit. Gloſſopetrae, cuſpidatae, ſubulatae, triangulares, ora laeui aut ſerrata, et conicae, in collibus di Monbello et Dertonenſi-

tonenſibus, nec tamen frequentes, effodiuntur. In oppido, Sinay dicto, repertum fuit integrum elephantis ſceleton, rariſſimis omnino petrefactis annume-
p. 82. randum. Poſſidet Cl. Auctor quoque ceruinum cornu, in argillae ſtrato, collis di Capagnole, inuentum. Sub finem addit Cl. Auctor indicem locorum praecipuorum, e quibus corpora marina foſſilia collecta fuerunt.

V.

FRIDERICI AVGVSTI CARTHEVSER, Doctoris medici, Acad. Elect. Scient. utilium, quae Erfordiae eſt, Socii ordinarii, Rudimenta Hydrologiae ſyſtematicae. Francofurti ad Viadrum, apud Paulum Sigismundum Gaebler, 1758. 8. pl. 6.

A variis noſtri aeui ſcriptoribus aſſumtae opinioni ſubſcribere Cl. Auctor nullus dubitauit, qui aquas in claſſes, ordines et genera, ob ipſarum differentiam, redigere, et ita regnum ſic dictum aqueum conſtituere tentarunt. WALLERII exemplo incitatus, quamuis magni aeſtimet eius hydrologiam, attamen cum in ea nonnullas aquas non aptis locis repoſitas putet, hoc ſchediasma publici iuris facere ſecum conſtituit, in quo ſolas aquas, non uti WALLERIVS fluida quaeuis artificialia, in aptam diſpoſuit methodum, celebriorum ex recentioribus, qui
p. 3. de aquis ſcripſerunt, libros in uſum adhibens. Aqua pura in toto naturae ambitu non occurrit, ſed ubique heterogeneis particulis, ſemper tamen mineralibus remixta deprehenditur, quod experientiis hydroſtaticis, ſapore aliisque qualitatibus cognoſcitur. Nec tamen pro vero corpore minerali, ſed tantum pro regni mineralis vehiculo habenda Cl. Auctori videtur.

Ad

Ad duos ordines rediguntur aquae, quorum prior
inſipidas ſiue *dulces*, alter *minerales* continet. Inſipi-
darum tria conſtituit genera, *atmoſphaericam*, *terre-*
ſtrem ſimplicem, et *lapidificam* ſiue *incruſtantem*. At-
moſphaerica, ex aere originem ducens, ut ſpecies p. 5.
comprehendit, *pluuialem*, *niualem*, *roralem*, *gran-*
dinalem cui et accenſet *pruinalem*. Continet pluuialis
ad mentem Cl. MARGGRAFII terram alcalinam te-
neriorem, acidum nitri, ſalis acidum et partes oleo-
ſas. Aqua terreſtris ſimplex, ex terra immediate p. 12.
proueniens, quatuor ſpecies ſiſtit, *fontanam*, *fluuia-*
lem, *lacuſtrem* et *putealem*; Fontana eſt vel *frigida*,
quae aut *perennat*, aut *periodica* deprehenditur; vel
calida, quae in caloris gradu maxime variat, e. g.
fontes calidi islandici, thermae piperinae ſiue fauo-
rienſes Heluetiorum. Terreſtres has aquas in mol-
les et duras diſtingui monet, quarum illae paucas,
hae autem plures terreas continent particulas. Aqua p. 23.
lapidifica ſiue incruſtans vel *tophacea*, vel *tophaceo-*
arenoſa, vel *ſpatoſa* ſiue *ſtalactitica* materie impraegna-
ta eſt, et inde in tres has ſpecies diſtinguitur. Prio-
ris ſpeciei eſt fons incruſtans Hagenhauſenſis, aqua
molaris Goettingenſis; alterius ſpeciei in comitatu
Schaumburgenſi ad relationem BERGERI inueniun-
tur; et tertiae ſpeciei dantur perplures, uti in antro
Baumanniano cet.

Secundum ordinem aquarum conſtituunt ſapidae, p. 30.
quae, ob admixtarum particularum differentiam, va-
rii ſaporis deprehenduntur. Aliae earum frigidae,
aliae tepidae aut feruidae e terra erumpunt. In octo
diuidit hunc ordinem genera, aquam *alcalinam*, *na-*
troſam, *muriaticam*, *ferratam*, *aeroſam*, *ſulphuream*,
bituminoſam et *ſaponaceam*.

Aqua alcalina, quae ſaporis eſt lixiuioſi, vel *ho-* p. 33.
mogenea eſt ut Bilinenſis frigida in Bohemia, et Em-
ſenſis calida in Wetterauia: vel *ſale communi et terra*
alcalina mixta, uti Selterana; vel *acido tenuiſſimo ſpi-*

rituoſo, ſale communi ac terra alcalina ſcatet ut Toenſteinenſis; vel ex *natro et terra alcalina conſtat*, ut uterque thermarum carolinarum fons.

p. 39. Natroſa aqua ſapore amaro ſe prodit et eſt vel *fontana homogenea*, ut Sedlizenſis, Seydſchützenſis, Ebshamenſis; vel *fontana ſale communi mixta*, ut Hornhuſana; vel *lacuſtris*, ut varii lacus, referente GMELINO, in Sibiria.

p. 42. Muriatica aqua ſiue ſalſa, ſaporem ſalſum acutum obtinet. Quatuor huius aquae notantur ſpecies: 1) *fontana, terra alcalina mixta*, cuius indolis ſunt omnes fontes, quos *Salinas* appellare mos inualuit, et qui plus minusue ſalis communis exhibent. Terra earum alcalina in ipſa inſpiſſatione vel ſub forma lapidea, vel ſub forma liquida, *Mutterſohle*, remanet, ex qua demum ſub ſpecie magneſiae albae praecipitatur; vel et aedium gradatoriarum virgultis adhaeret; 2) *fontana, natro et terra alcalina remixta*, cuius indolis eſt *Wilhelms - Glücksbrunnen* in ducatu Iſenacenſi, prope Creutzburgum ſcaturiens; 3) *lacuſtris*, e. g. lacus Seeburgenſis mansfeldicus, Iamuſcha, Zagan - Ijus multique alii in Sibiria; 4) *marina*, quae praeter ſal commune partibus nitroſis, bituminoſis et terreis mixta eſt.

p. 49. Aqua ferrata ſiue martialis ſaporem adſtringentem ſiue ſtipticum, vitriolo-martialem offert. Species notari eiusmodi aquae merentur quatuor: 1) *aqua ferrata, ferrum acido ſubtiliſſimo et copioſo ſolutum atque ſal alcali fixum continens*, cuius modi ſunt Spadana, Swalbacenſis, Berſtadienſis, Liebenſteinenſis, aliae; 2) *aqua ferrata, praeter vitriolum martis et ſal alcali fixum, ſal mirabile* GLAVBERI *fouens*, ut Pyrmontanae, Egranae, Cliuenſes; 3) a praecedenti differt ſolummodo in eo, quod *ſal commune ſimul in ea delitеſcat*; exemplo ſit Forgenſis in Gallia, in primis illius fons, qui regius, *ſource royale*, dicitur: cuius aqua praeter adducta principia quoque mate-

riam

riam ſeleniticam, ſubſtantiamque bituminoſam ſuppeditat; 4) *aqua ferrata praeter vitriolum, terram tophaceam* ſiue *lutoſam gerens:* huius cenſus eſt, Danckelsriedenſis in Sueuia, Freyenwaldenſis, Radebergenſis, Lauchſtadienſis, Paſſiaca Calſabigiana in Gallia. p. 59.

Aqua aeroſa, ſapore diſtinguitur acido - adſtringente, ſtyptico, acredine mixto: ferrum iniectum cupro praecipitato, *Cementkupfer*, obducit. Huius generis ſunt, Neoſoliana et Schmolnizenſis in Hungaria, Wicklouienſis in Hibernia, Altenbergenſis in Miſnia. p. 61.

Aqua ſulphurea odorem ſpirat ſulphureum, ſaporem quoque ſulphuris mineralis vel hepatis ſulphuris refert. Cum duplicis naturae ſit ſulphur, has aquas ingrediens, vaporoſum aliud, aliud ſubſtantiale fixum, duplex et aquarum ſulphurearum inde oritur differentia, quarum prima pro diuerſa admixta materia tres ſpecies conſtituit, altera vero quatuor: 1) *praeter ſulphur vaporoſum ſal commune et terram alcalinam* continent Badenſis et Altenburgenſis in Auſtria, Moenofrancofurtenſes, Schintznacenſis in Heluetia; 2) *cum ſulphure vaporoſo terram alit ſelenitam* aqua Landeocenſis in comitatu Glacenſi; 3) *una cum ſulphure ſal alcali fixum, natron et terram alcalinam* ſuppeditat thermarum carolinarum fons, *Neubrunnen* dictus; 4) *ſulphur fixum cum terra alcalina unitum* ſuppeditant thermae calidae Brigenſes ſiue Glyſſenſes Heluetiorum, ex frigidis vero Aluanienſis in Rhaetia; 5) *ſulphur fixum cum ſale alcali fixo et terra alcalina* aquae Vichenſes gallicae largiuntur; 6) Aquisgranenſes, Porcetanaeque inferiores *ſulphur ſubſtantiale cum ſale alcali fixo, ſale medio amaro, et terra alcalina* in mixtione tenent; 7) prope Rüſchlicken in Heluetia aqua, *das Nydelbad* dicta, praebet *ſulphur cum materia bituminoſa coniunctum.* Bituminoſa p. 76.

aqua odorem ſpargit fragrantem bituminoſum ſaporeque amaro praedita eſt. Tres recenſet Cl. Auctor huius aquae ſpecies, quarum *prima oleum minerale perfectum*, nunc ſubtilius, nunc ſpiſſius ducit, uti in Italia et Perſia permulti reperiuntur fontes. Altera ſpecies *vapores bituminoſos admota candela flammam concipientes* exhalat, ut fons flagrans Cracouienſis huicque ſimilis prope Küküly in Hungaria; tertia aquae bituminoſae ſpecies *ſolidam bituminis vehit materiam*, ut lacus Aſphaltites in Syria.

p. 83. Aqua ſaponacea, ſaporem habet ſaponatum, tactuque ſubpinguis deprehenditur ob admixtam argilloſo - ſaponaceam terram. Vnica tantum huius ſpecies nota eſt, Plumberiana ſcilicet in Lotharingia, cui ſunt analogae thermae Colubrinae ſiue Serpentinae in comitatu Catimelibocenſi.

p. 86. Appendicis loco addit Cl. Auctor, deſcriptionem thermarum Bathonenſium in Anglia: quae peculiarem aquarum ordinem efficere videntur, cum *aluminoſae indolis* deprehendantur. Pauca coronidis loco in ultima adiecta nota de *venenatis aquis* addit, quarum aliae exhalationibus tantum nocent, aſſumtae vero nullum corpori detrimentum adferunt, uti fons bulliens apud Pyrmontenſes, fons Iohannis in Hungaria, fons prope Gerolſteinium in Eifflia etc., aliae autem vel tota ſua ſubſtantia et ſi bibuntur, noxios effectus exſerunt, quibus accenſet aquas aeroſas, easque ſubterraneas, quae principiis arſenicalibus ſunt impraegnatae.

VI.

VI.

Der Gebrauch und Nutzen des Tabackrauchsclyſtiers, nebſt einer dazu bequemen Maſchine beſchrieben von D. IOHANN GOTTLIEB SCHAEFFER, Medic. et Pract. ord. *zu Regensburg, und der Kayſerlichen Akademie der Naturforſcher Mitgliede. Mit einer Kupfertafel. Regensburg, gedruckt und zu finden bey Heinrich George Neubauer. Und in Leipzig in Commiſſion zu haben bey Johann Chriſtoph Gollnern, Buchführern.* 4. pl. 10.

i. e.

Vſus et commodum clyſteris ex tabaci fumo parati, una cum machina, ad hunc uſum apta, auctore I. G. SCHAEFFERO.

Rei praeſtantia et vſu commotus fuit Cl. SCHAEFFERVS, inter eruditos medicos iam dudum clarus, ut de tabaci fumo, ſub clyſteris forma corpori applicando, eiusque variis in morbis profligandis auxilio, per multiplicem experientiam probato, hac in ſcriptione ſeorſim ageret, quam igitur hic eo lubentius inſerimus, quo certius perſuaſi nobis eſſe videmur, fore, ut machina deſcripta cautelaeque additae in aegrotorum cedant emolumentum.

Modum tabaci fumo ad clyſteres utendi Angli, p. 11.
qui eum ab Americanis acceperant, Germanos docuerunt, inter quos in primis medicus ſuperioris ſaeculi I. A. STISSER de hoc argumento ſcriptum cum orbe litterario communicauit, * in quo modum

 iſtum,

* I. A. STISSERI de machinis fumiductoriis curioſis ſiue fumum impellendi intra corpus inſtrumentis eorumque in praxi medica adhibendi ratione et uſu epiſtola ad Ill. viros magnae Societatis Regiae Anglicanae. Hamburgi, 1686. 4. c. f.

iſtum, ab Anglis uſurpatum, non ſolum emendauit, ſed nouam etiam, priore aptiorem, in hunc uſum effinxit machinam, quam, cum huius etiam uſus variis cum difficultatibus eſſet coniunctus, denuo emendauit atque correxit Cl. Auctor. Follem itaque conficiendum curauit, qui, non per vices, ſed continuo, aerem redderet, cuius deſcriptionem ſub finem libelli huius exhibet, tabulaque aenea illuſtrat. Venit haec machina Ratisbonae pretio unius floreni.

Mechanicum vero non ſolum, ſed medicum etiam huius rei deſcribit uſum. Ab initio itaque tabaci etymologiam et hiſtoriam botanicam praemittit, cui deinde hiſtoriam et modum clyſteris ex fumo ta-
p. 15. baci antiquiſſimum ſubiungit. Quo vero non tantum ex vi mechanica, ſed ex indole interna uſum illius, in corpus humanum redundantem oſtendere poſſet, primum partes, quas tabacus et tabaci fumus, qui eo nomine probe ſunt diſtinguendi, in ſinu ſuo fouet et quas varia opera detegere licet, diſquirit. Tribuit vero tabaci fumo Cl. Auctor aquam, non quidem per ſe ſingularis naturae, variis tamen partibus oleoſis et ſalinis impraegnatam, oleum, inter empyreumatica reducendum, et ſal generis volatilis
p. 19. alcalini. Ex quibus nunc virtutes fumi, ex tabaco combuſto orti, deducit, quas eſſe, ait, irritantes ſtimulantes, euacuantes et *ἀνω* et *κατω*, calefacientes, reſoluentes, antacidae, roborantes et anodynae. Primariam itaque vim exercet in inteſtina et ſtimulo ſuo varios ibidem producit effectus ſalutares, licet Cl. Auctor, nullum dubium eſſe, credat, quin et in vias agat, vt vocant, ſecundas, ibique ſtimulando excretionem augeat cum diapnöes, tum vrinae.
p. 22. Reſpici etiam iubet ad res accidentales, quod clyſter talis ſiccus et calidus ſit multoque cum aere applicetur, ex quo iterum varia deriuat commoda.

Diſqui-

Diſquirit nunc morbos, in quibus partim experientia doctus enema hoc ſalutare inuenit, partim ratione conuictus illud applicare ſuadet. Non vero nomina tantum morborum recenſet, ſed cauſſas etiam eorum, tam remotas, quam proximas, ſedulo diſquirit, nec eius, quod illius uſum diſſuadere poſſit, obliuiſcitur. Nos, ne libellus ad verbum deſcribatur, in nominibus acquieſcamus. Suadet itaque illius uſum in colica bilioſa et pituitoſa, ſaturnina, flatulenta, verminoſa, haemorrhoidali, nephritica, hyſterica et uterina, arthritica, ſcorbutica, hernioſa, de qua ſpecie copoſiſſime diſſerit, in paſſione iliaca, in nephritide, apoplexia, comate, in morbis hyſtericis et hypochondriacis, tympanitide, in partu difficili, in lochiis puerperarum retentis, in fluxu menſtruo impedito, in molis et ulceribus uteri etc. p. 24.

Quo ſententiae ſuae etiam fides eſſet, viros inter practicos ſummos, qui ei adſtipulantur et ex quibus honoris ergo nominamus SYDENHAMIVM, ETTMVLLERVM, I. H. SCHVLZIVM, HEISTERVM, nec non duodecim hiſtorias morborum, in quibus clyſter hic, ab Ipſo commendatus, ſummo fuit auxilio, recenſet. Non nullas ex his ſubiungamus. p. 46.

Stannator triginta annorum, ſanguine abundans atque iam aliquoties dolores expertus colicos, denuo poſt magnae ſtanni copiae fuſuram iisdem ita excruciabatur, ut morbus in gangraenam inclinare crederetur. Venae ſectione cum mixtura ex temperantibus nitroſis ac camphoratis incaſſum adhibita, tandem clyſter ex fumo tabaci applicabatur; quo facto non ſolum aeger ſeruabatur, ſed opinione citius reconualeſcebat. p. 51.

Viduae ſexagenariae hernioſae poſt eſum operis alicuius piſtorii, quod Germani ſpiras, *Brezeln*, vocant, hernia dolere atque tumeſcere incipiebat, disquiſita apparuit incarcerata, nullis, licet apte applicatis, remediis cedens. Applicatum hoc enema

 haud

haud leue mox attulit auxilium et tumorem hernioſum in priſtinum redegit ſpatium, qui vero poſt annum dimidium et poſt eundem fere, ab aegrota commiſſum errorem denuo intumeſcebat inflammaturque, ſed nunc ſine ulla auxilii ſpe; moriebatur enim ſexto die aegra.

Alia foemina hernioſa quadrageſimum agens annum poſt pilulas, ſine dubio draſticas, ab empirico ſumtas, quae vomitum diuturniorem excitabant herniamque, quae inguinalis erat, mirum quantum inflabat, in morbum ileum coniiciebatur, nullis auxiliis nec clyſteribus emollientibus atque ſalinis quidem leuandum usque dum clyſter hic in auxilium vocaretur, qui et dolores leniebat, repoſitionemque herniae adiuuabat.

p. 56. Vel in primis commendat uſum clyſteris huius hiſtoria aegroti, tympanitide vera laborantis, qui per hoc enema, reiteratis vicibus adhibitum, breui tempore priſtinam recuperauit ſanitatem.

p. 61. Vir triginta ſeptem annorum plethoricus, aliquoties antea aſcitico tumore affectus, dolores ad os ſacrum, flatus et obſtipationes alui diuturnas plerumque ſenſerat. Subito recrudeſcunt illi dolores, cum colicis continuisque vomitibus coniuncti. Venae ſectione praemiſſa, exhibebatur tinctura rhabarb. cum liquore anodyno mixta et tandem clyſter hic tentabatur maximo cum aegri emolumento, quo quippe applicato, haemorrhoides, qui cauſſa dolorum erant, ſe oſtendebant; quarum fluxus cum poſt aliquot dies remitteret, eodem enemate reiterato et puluere rhabarbarino denuo reuocabatur.

p. 65. Nullum remedium uniuerſale dici meretur. Idem valet de hoc clyſtere, quem, licet Cl. Auctor eius uſum ad modum late extendat, non omni tamen exceptione maiorem eſſe, Idem oſtendit. Leges itaque ſancit, ad quas illius uſus dirigi oportet. Diſſuadet illius uſum in hominibus delicatulis et quibus neruo-

neruorum ſyſtema vel ex morbo, vel a natiuitate nimis exiſtat ſenſile. In hominibus ſanguine abundantibus ante illius uſum venam ſecari iubet. In inflammatione inteſtinorum, quae diu inualuerit et quae omnem reſolutionis ſpem reſpuat; in ipſa excoriatione eorum; ubi materies arthritica vel podagrica intro pulſa; et ſi inteſtinum rectum foecibus ita repletum deprehendatur, ut fumo omnis denegatur introitus, plane ab ipſo abſtinere ſuadet.

VII.

The Hiſtory of the Royal Society of London for improving of natural Knowledge etc. By THOMAS BIRCH, D. D. Secretary to the Royal Society. London printed for A. Millar, 1757. Vol. III. 2 alph. 20 pl. Vol. IV. 3 alph. 2 pl.

h. e.

Hiſtoria regiae Societatis Londinenſis in excolenda ſcientia naturali occupatae etc. Edita a THOM. BIRCH, cet.

Ea, qua coepit quamque ſupra declarauimus * ratione Cl. BIRCH deſcribere pergit hiſtoriam ſocietatis regiae Londinenſis, hisque voluminibus ea, quae ab anno ſuperioris ſaeculi ſeptuageſimo ſecundo uſque ad exitum anni octogeſimi ſeptimi in ſingulis ſodalium conuentibus acta fuerunt, enarrat, ſimulque ſociorum, qui intra memoratum tempus vita exceſſerunt, merita laudat. Illi vero, quorum memoria commendatur, ſunt MATH. WREN, FRANC. WILLVGBY, IO. WILKINS, ROB. MORAY, IO. GODDARDVS, HENR. OLDENBVRGIVS, FRANC. GLISSONIVS, FRANC. VERNON, THOM. STAN-

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. II. p. 304.

STANLEIVS, IOSEPHVS GLANVILL, ION. MOORE, IO. COLLINS, IO. BEAL, GVIL. BROVNCKER, GVIL. CROVNE, IO. PELL et IO. PEARSONIVS. Reliquum argumentum in cogitata atque experimenta, quae ad matheſin, phyſicam, rem medicam, hiſtoriamque naturae et artis pertinent, et in conſilia ac decreta, oeconomiam ipſius ſocietatis ſpectantia, diuidi poteſt. Quem admodum vero haec merito praetermittuntur, ita etiam priorem argumenti partem editione ſcriptorum HOOKII et Transactionum philoſophicarum ita exhauſtam fateamur, neceſſe eſt, ut inſigne nouarum obſeruationum ſpicilegium minus locum habeat. Ex iis autem, quae reſtant, non nulla tantum, quae propius a ſcopo noſtro abſunt, commemorabimus.

V. III. Cl. HIERNIVS ea, quae ipſi de modo quo in
p. 5. Finnia aqua ſuffocati homines poſt biduum aut triduum ad vitam reuocari dicuntur, relata fuerant, tradit. Hi nimirum lentiſſimo gradu ex aqua protrahuntur, ne aer craſſior magno impetu in pulmones irruere ac cum aqua in iis collecta permiſtus venas huius viſceris dilacerare poſſit. Quo facto in calefacto cubiculo imponuntur dolio, cuius crebriore et ſenſim aucta volutatione aqua ex corpore elicitur, hocque calidis linteis perfricatur aliisque fomentis
p. 10. illi calor reſtituitur. HOOKIVS animaduertit in Cl. NEWTONI doctrinam de luce et coloribus, de qua hic in peculiari epiſtola ad OLDENBVRGIVM ege-
p. 22. rat, quaeque Transact. phil. * inſerta fuit. HOWARDVS ad quaeſtiones, quae ipſi de ſtatu naturali Mau-
p. 30. ritaniae propoſitae fuerant, reſpondet. CROVNE agit de formatione pulli ac exiſtentia rudimentorum
p. 52. eius in foecundato ouo ante incubationem. Cl. HOOKIVS experimenta ad refractionem et colores per-
p. 102. tinentia recenſet. CROVNE, NEEDHAM et KING iudicium ferunt de controuerſia, quae inter SWAM-

MERDAM-

* n. 80.

MERDAMMIVM et GRAAFIVM propter generationis organa exorta fuerat. Dicunt nimirum: GRAAFIVM arteriam ſpermaticam virilem recte deſcripſiſſe, de tubulorum in teſticulo, qui in epididymidem deſinunt, deductione, ipſi credendum, de medio per quod ſemen a ſanguine in teſticulo ſeparetur, difficile eſſe quicquam ſtatuere; veſicularum ſeminalium cum vaſis deferentibus ſchematiſmum, quatenus in homine ſe habet, ſatis fideliter expreſſiſſe GRAAFIVM; Penis impletionem a ſanguine infarcto pendere utrobique aſſeri; GRAAFIVM rigiditatem eius animalibus ſpiritibus tribuendam cenſere; at quaeſtionem de emiſſione ſeminis a neutro ſcriptorum ſolui; complura denique in ſchemate SWAMMERDAMMIANO, quod TVLPIO dicauit, culpaſſe GRAAFIVM forte non immerito; quae tamen ab auctore ipſo in ſubſequentibus figuris poſtea editis emendari. Ill. BOYLE originem fixitatis materiae p. 144.
quatenus volatilitati eius opponitur, euoluere ſtudet. * Cl. RAIVS de ſeminibus et differentiis ſpecifi- p. 162.
cis plantarum diſſerit et ideam operum botanicorum, in ſequenti tempore ab eo euulgatorum, hic propoſuit. HENSHAW non nulla profert, quae hiſtoriam p. 181.
naturalem Daniae in lucem ponunt. Cl. NEED- p. 233.
HAM deſcribit ſerum ſanguinis eique praecipuam corpus animale nutriendi vim tribuit. Cl. NEWTO- p. 247.
NVS explicat proprietates lucis et praecipua phaenomena variorum colorum tenuibus corporibus exhibitorum, ** ſimulque ſe aduerſus HOOKIVM, qui cum Micrographiae ſuae multum in hac re debere dixerat, defendit. THORLACVS Epiſcopus Islan- p. 306.
diae aliquam partem hiſtoriae naturalis huius inſulae tradit.

* vid. ROB. BOYLE's philoſ. Works abridg'd by PET. SHAW, Vol. I. p. 363.

** vid. eius Monition. primae optices editioni praepoſitam.

p. 395. tradit. Inquiritur in modum detegendi altitudinem
p. 415. maris. Cl. HVGENII teſtimonio gloria inuentorum, in ſemine animali animalculorum HAMMIO ſtudioſo
p. 423. Leidenſi vindicatur. Planta Terrara in Carolina naſcens pro antidoto uniuerſali venditatur. Lauda-
p. 470. tur ROGERII BACONIS cognitio rerum naturalium, ideoque operum eius, in quibus etiam artificii pul-uerem pyrium parandi veſtigia deprehenduntur, per-
p. 486. fecta collectio optatur. PAPIN machinam ſuam oſ-ſa emollientem producit et Noſter auctor eius vim
Vol. IV. multis aliis locis variaque occaſione laudat. Sermo
p. 15. de veneno, quod multis hominibus ſuperiori ſaeculo in Italia datum fuit, inſtituitur. Cl. FLAMSTEE-
p. 27. DIVS exponit de anguilla Surinamenſi, quae viuens hominibus, qui eam aut alia ab ipſa affecta corpora attingunt, ſtuporem ipſamque mortem conciliat,
p. 156. mortua vero ſine noxa comeditur. ROGER. BACO-NEM teleſcopia primum inueniſſe, LEONARDVM DIGGESIVM vero etiam Anglum ea denuo in lu-
p. 180. cem produxiſſe, Cl. HOOKIVS oſtendit. Cl. PLOT enarrat ea, quae Societas quaedam Oxonienſis de re-
p. 190. bus phyſicis diſputauit. LISTERVS ea dubia ſoluit, quae contra ipſius librum de aquis medicatis mota
p. 246. fuerunt. Cl. HVNTINGTON refert ea, quae Dublini in congregationibus ſodalium argumenta philoſophica in primis phyſica diſquirentium peracta fuerunt; cuius modi narrationes in reliqua parte huius
p. 387. voluminis ſaepe occurrunt. LISTERVS viri alicuius meminit, qui in exercitu regis Car. I. fuerit, ac
p. 391. denſiſſima nocte epiſtolas legere potuerit. *Idem* aperturam fundi veſicae ad educendos calculos commen-
p. 429. dat. Memorantur experimenta, quae Cl. SLARE cum ſaliua feminae, cui ſaliuatio propter ſcrofulas excitata fuerat, inſtituit. Sal volatile armoniacum et cornu cerui aeque minus ac fixum ſal abſinthii et ol. tart. per deliqu. ullum motum in ea producebant. Nec ulla ebullitio additione ſpirituum acidorum oriebatur.

Leniſſimo

Leniſſimo autem calore arenoſi balnei deſtillata primum inſipidam aquam, poſtea vero liquorem exhibebat, in quo oleum vitrioli exiguam fermentationem producebat. Id quod ultimo loco deſtillatum fuerat, flauum colorem habebat, ideoque ſal continere videbatur, ſed tamen nullum acrem urinoſum odorem emittebat. In fundo vitri inueniebatur cinereum ſal, quod vero nec veri volatilis, nec lixiuioſi, nec marini ſalis nomen merebatur et potius ſal alcalinum erat. Omnis autem operatio nullum veſtigium aciditatis in ſaliua oſtendebat. Fit mentio me- p. 431.
thodi, quae inſecta ſecundum ipſorum folliculos et aurelias ordinare iubet. SLARE narrat ea experi- p. 435.
menta, quibus eos confutare adnititur, qui omnem materiam medicam in alcali et acidum diſtinguunt. Exhibentur cogitationes aliquae HARVEII de cir- p. 534.
cuitu ſanguinis, et uſu partium corporis humani.

Quae cum ſufficere putemus, tantum hoc addimus, in utroque volumine multa reperiri, quae ad grauitatem in primis aeris, vim magnetis, variasque corporum affectiones pertinent et plerumque quidem experimentis nituntur, quorum multitudine Cl. HOOKIVS ceteros ſodales vincit, non raro tamen meras coniecturas et relationes aliorum exhibent.

VIII.

Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes, quas collegit, edidit et recenſuit ALBERTVS HALLERVS. Tomus quartus iterum ad morbos abdominis. Lauſannae ſumtibus M. M. Bouſquet et Socior. 1758. 4. alph. 4. pl. 10. tab. aen. 15. Tomus quintus ad febres, ibid. eod. alph. 4. pl. 6. Tomus ſextus ad morbos, qui corporis uniuerſitatem obſident, ibid. eod. alph. 4. pl. 14. tab. aen. 3.

Nuper * iam incepimus indicem diſſertationum ad curationem morborum ſpectantium, quas Ill. HALLERVS collegit, cum lectoribus Noſtris communicare. Nunc reliqua quoque volumina ſimili ratione indicenda eſſe perſpicimus.

Complectitur vero Tomus quartus, qui iterum ad morbos abdominis pertinet. 109) Progr. CAR. FRIED. KALTSCHMIED *de liene pueri nouem annorum rarae magnitudinis.* Ien. 1751. 110) Diſſ. continens *obſeruationes quasdam lienum disruptorum.* Praeſ. I. VALENTIN. SCHEID. Reſp. *I. Gothofr. Scheid.* Argentor. 1725. 111) Diſſ. *de ſcirrhis viſcerum, occaſione ſectionis viri tympanite defuncti.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Chriſt. Sigism. Ezler.* Witteb. 1723. 112) IO. PHILIPP. METZ Obſ. rara *diabetis.* Baſil. 1737. 113) CHRISTIAN. GOTTLIEB KRATZENSTEIN *theoria fluxus diabetici more geometrico explicata.* Halae, 1746. 114) IO. MART. OTT *hiſtoria renis ſiniſtri maxime tumidi et corrupti in cadauere humano reperti.* Baſil. 1719. 115) CHRISTIAN. ANDR. KOCH *affectus in libris et praxi rariſſimus ab* HERMANNO BOERHAAVE *in noſocomio Lugdu-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. VII. P. III. p. 463.

Lugduno-Batauo ſanatus. Leidae, 1738. 116) Theſis, *ergo tumidis haemorrhoidibus hirudines.* Praeſ. I. BAPT. LVDOV. CHOMEL. Reſp. *I. Franc. Clem. Morand.* Pariſ. 1750. 117) Diſſ. I. HIERON. LAPI *de curatione ſtranguriae contumacis frequentem maleque tractatam gonorrhoeam conſequentis.* Rom. 1754. 118) Diſſ. GOTTLOB HENR. TROSCHEL *de morbis ex alieno ſitu partium abdominis.* Francof. ad Viadr. 1754. 119) Diſſ. *de languore lymphatico.* Praeſ. IEREM. LOSS. Reſp. *Frid. Geitzinger.* Witteb. 1673. 120) IO. BOECLERI *ad exteros medicos, occaſione fraudulentae mulieris, quae per totam fere vitam ficto monſtroſo ventre omnium decepit oculos,* epiſtola. Argent. 1728. 121) Diſſ. *de hydatidibus.* Praeſ. HERM. PAVL IVCH. Reſp. *Ge. Chriſtoph. Beat. Brehm.* Erford. 1745. 122) I. CHRISTOPHOR. POHL Progr. *de hydrope ſaccato ex hydatidibus.* Lipſ. 1747. 123) Diſſ. continens *hiſtoriam hydropis ſaccati.* Praeſ. IAC. CHRISTOPH. SCHEFFLER. Reſp. *Chriſtian. Iacobi.* Altdorff. 1724. 124) Diſſ. *de infelici hydropis ſaccati curatione.* Praeſ. HADRIAN SLEVOGT. Reſp. *Io. Sebaſtian Steube,* Ien. 1721. 125) Diſſ. *ſiſtens caſum hydropicae lapſu, integro abdomine ſanatae.* Praeſ. MICH. ALBERTI. Reſp. *Chriſtoph. Erneſt. Cono.* Hal. 1727. 126) Diſſ. *de virgine aſcitica poſt paracentheſin purpura maligna extincta.* Praeſ. POLYCARP. GOTTL. SCHACHER. Reſp. *Io. Gottl. Moebio.* Lipſ. 1725. 127) LVDOV. SALZMANN *de abſceſſu interno mirae magnitudinis dignis cum hydrope et aliis notatu in muliere Argentorati nuper obſeruato.* Argent. 1671. 128) I. HVLDR. PEYER IMHOFF *ouarium hydropicum in virgine repertum.* Baſil. 1718. 129) Diſſ. *de grauiditate apparente, ex tumore ouarii dextri enormi orta, per tres annos cum dimidio durans tandemque in aſcitem terminata.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Paul. Gottlob Berger.* Witteb. 1722. 130) I. EHRENFRIED

SCHLEN-

SCHLENCKER *de ſingulari ouarii ſiniſtri morbo.* Leid. 1722. 131) NICOL. WILLI *ſtupendus abdominis tumor.* Baſil. 1731. 132) Progr. POLYC. GOTTL. SCHACHER *de ouarii tumore piloſo.* Lipſ. 1735. 133) I. FRANCISC. FONTAINE *obſeruatio rarior tumoris abdominis ex ſcirrho ouariorum praeſertim ſiniſtri inſigni.* Baſil. 1753. 134) Diſſ. *de hydrope uteri.* Praeſ. CHRISTOPHOR. CVNRAD, Reſp. *I. Frid. Starcke.* Regiomont. 1701. 135) Diſſ. *de menſium inſolitis viis.* Praeſ. GEO. ERNST STAHL. Reſp. *Geo. Frid. Ioeſchke.* Hal. 1702. 136) Progr. POLYC. GOTTL. SCHACHER *de haemorrhagiis grauidarum.* Lipſ. 1717. 137) IO. D'VRBAN *de haemorrhagia uterina.* Edimb. 1753. 138) CHRIST. GOTTHILF KIESLING Diſſ. ſiſtens *uterum poſt partum inflammatum.* Lipſ. 1754. 139) Diſſ. *de abortu et foetu mortuo.* Praeſ. GEO. ERNST STAHL, Reſp. *Io. Kanold.* Hal. 1704. 140) Diſſ. *de placentae uterinae morbis.* Praeſ. POLYC. GOTTL. SCHACHER. Reſp. *Chriſtian. Iac. Seyler.* Lipſ. 1709. 141) Diſſ. *de uteri ſcirrho.* Praeſ. IO. GEO. ROEDERER, Reſp. *I. G. Chriſt. Hirſchfeld.* Götting. 1755. 142) Diſſ. *de virgine hydropica, uteri mola ſimul laborante.* Praeſ. GEO. DAN. COSCHWITZ. Reſp. *Geo. Henr. Hatzfeld.* Hal. 1725. 143) Diſſ. *de mola praegnante.* Praeſ. ABR. VATER. Reſp. *Io. Gottlieb Vater.* Witteb. 1729. 144) Diſſ. GER. RVTGER HANKOPH *de mola occaſione molae oſſeae in vetula octogenaria inuentae.* Götting. 1746. 145) IO. GEO. SCHMID *de concrementis uteri.* Baſil. 1750. 146) CAROL. FRID. KALTSCHMIED Progr. *de mola ſuppuratione confecta, relinquente globum pilorum pugnae magnitudinis cum teſta ſebacea.* Ien. 1752. 147) EIVSD. Progr. *de mola ſcirrhoſa in utero inuerſo extirpata.* Ien. 1754. 148) Diſſ. *de foetu 46 annorum.* Praeſ. RVD. IAC. CAMERARIO, Reſp. *Geo. Frid. Orth.* Tubing. 1720. 149) I. ERNEST.

TVRCK

TVRCK *hiſtoria mulieris, varia oſſa per aluum eiicientis.* Vltraiect. 1727. 150) I. CAROL. VNGNAD *caſus anatomico-phyſiologicus rarior.* Stettin. 1750. ex exempl. MSc. ad Editorem.

Tomus quintus ad febres continet: 151) Diſſ. *de tertiana febris genium uniuerſum manifeſtante.* Praeſ. GEO. ERNST. STAHL, Reſp. *Gottfr. Meyer.* Hal. 1706. 152) Diſſ. *de Chinchina ab iniquis iudiciis vindicata.* Praeſ. I. GOTHOFR. BERGER, Reſp. *Henr. Dav. Stieler.* Witteb. 1711. 153) HONORII GVIL. KASTENHOLTZ *conſectaria theoretico-practica ex hiſtoriis quatuor febrium tertianarum intermittentium deprompta.* Altorf. 1745. 154) Progr. I. FRID. CARTHEVSER *de febribus intermittentibus epidemicis.* Francof. ad Viadr. 1749. 155) CAROLI GIANELLA *de admirabili ipecacuanhae virtute in curandis febribus tum autumnalibus, tum lentis, tum aliis ſiue continuis ſiue intermittentibus, ſedem in primis viis habentibus.* Patav. 1754. 156) Diſſ. *de mercurialium uſu in febre quartana curanda.* Praeſ. I. HENR. SCHVLZE, Reſp. *I. Gottfr. Graevius.* Hal. 1742. 157) Theſis in haec verba: *ergo febri ſubintranti Kinakina.* Praeſ. PAVL LE ROY, Reſp. *I. Bapt. Hatte*, Pariſ. 1753. 158) Diſſ. HENR. WILH. ARNOLD *de febre ſtomachali epidemica.* Marburg. 1727. 159) Diſſ. *de hepatitide Pegauiae in circulo Lipſienſi epidemice graſſante obſeruata et curata.* Praeſ. I. ANDR. FISCHER, Reſp. *Godofr. Kulbel.* Erford. 1718. 160) Diſſ. *de febribus bilioſis.* Praeſ. GEO. ERNST STAHL, Reſp. *Erneſt. Petr. Meuder.* Hal. 1701. 161) Diſſ. *de febre maligna per gangraenam pedis dextri in regione malleoli externi critice ſoluta.* Praeſ. ALB. V. HALLER, Reſp. *G. C. Pappelbaum.* Götting. 1743. 162) Diſſ. GVIDON. FANOIS *de morbo epidemico, hactenus inaudito, praeterita aeſtate anni 1669 Lugduni Batauorum viciniſque locis,*

 graſſante.

graſſante. Leid. 1671. 163) Diſſ. IO. DE KOKER *de morbo epidemico anni* 1719. 164) Diſſ. *de febribus Eyderoſtadienſibus epidemicis*, vulgo *Stoppelfiebern.* Praeſ. GEO. DETHARDING, Reſp. *Geo. Hannaeo.* Haffniae, 1735. 165) Diſſ. *de febre continua maligna et intermittente tertiana utraque ad Rhenum ann.* 1734. *et* 1735. *epidemica et caſtrenſi.* Praeſ. FRANC. IOS. MOLITOR, Reſp. *Henr. Io. Andr. Mayr de Zinenau.* Heidelb. 1736. 166) Diſſ. *de febribus malignis in regione Roemhildenſi a menſ. Decembri anni* 1740. *ad Auguſtum uſque anni* 1741. *graſſatis.* Praeſ. SIM. PAVL HILSCHER, Reſp. *Imman. Frid. Schauer.* Ien. 1741. 167) Diſſ. *de febre catarrhali epidemia cum tuſſi et coryza complicata, menſibus vernalibus anni praeteriti in pluribus Germaniae prouinciis graſſante.* Praeſ. HERM. PAVL IVCH, Reſp. *Io. Iac Zuberbuhler.* Erford. 1743. 168) Diſſ. *exhibens obſeruationes quasdam circa conſtitutionem epidemicam anni* 1750 *adnotatas.* Praeſ. PHIL. CONR. FABRICIVS, Reſp. *Io. Dan. Farenholtz.* Helmſt. 1750. 169) Diſſ. *de febre caſtrenſi, quam vulgo cephalalgiam epidemicam vocant.* Praeſ. HENR. MAIVS, Reſp. *Arpold Phil. Kopff.* Rinthel, 1691. 170) Diſſ. *de morbo Hungariae Hagymaz, eiusque cura praecipue per ſpecificum.* Praeſ. MICH. ALBERTI, Reſp. *I. Geo. Schuller.* Hal. 1726. 171) Diſſ. *de febri maligna caſtrenſi Gallorum, quae cum ingenti eorundem ſtrage per totum regnum Bohemiae, maxime vero Pragae, inter eosdem graſſabatur.* Praeſ. I. ANTON. IOS. SCRINCI, Reſp. *Guil. Bache.* Pragae, 1743. 172) IOS. WEITBRECHT *de febrili conſtitutione petechizante Petropoli anno* 1735. *graſſante.* Regiomont. 1736. 173) FRID. BRANDHORST *hiſtoria febris caſtrenſis petechialis epidemicae.* Leid. 1746. 174) Diſſ. *de hiſtoria medica nouum iſtum puerperarum morbum continente, qui ipſis der Frieſel dicitur.* Praeſ. GODOFR. WELSCH. Reſp. *Sigiſm. Rupert. Sulzberger.* Lipſ. 1655. 175) Diſſ.

Diſſ. *de febre acuta exanthematica aegram quinquies ſerie non interrupta inuadente.* Praeſ. POLYCARP. GOTTL. SCHACHER, Reſp. *I. Theophil. Steinfeld.* Lipſ. 1723. 176) IO. GODOFR. SALZMANN *hiſtoria purpurae miliaris albae cum primis Argentoratum noſtrum et viciniam ante biennium fere infeſtantis.* Argentor. 1736. 177) WILH. VLRIC. WALDSCHMIDT *de ſingularibus quibusdam peſtis Holſaticae.* Kiliae, 1721. 178) ANTON. COCCHI *de morbo variolari, quo affectata eſt praenobilis monialis, Maria Liuia Burgheſia*, ſub finem anni 1739. 179) Diſſ. ſiſtens *hiſtoriam morbi et ſectionem cadaueris variolis confluentibus defuncti cum epicriſi.* Praeſ. CASP. GVIL. BEVSSER, Reſp. *Io. Theod. Faber.* Heidel. 1731. 180) Diſſ. *de variolis curandis.* Praeſ. NICOL. ROSEN, Reſp. *Petr. Ion. Bergius.* Vpſal. 1754. 181) Diſſ. *de uſu venaeſectionis et clyſterum in curatione variolarum.* Praeſ. IO. GOTHOFR. BERGER, Reſp. *Io. Theod. Neucranz.* Witteb. 1711. 182) Diſſ. *de facie a variolarum inſultibus praeſeruanda.* Praeſ. GEO. CHRISTOPH. DETHARDING, Reſp. *Tob. Phil. Hilcken.* Roſtoch. 1754. 183) FRANCISC. CLIFTON *de diſtinctis et confluentibus variolis.* Leid. 1724. 184) MATTHIAE ERNESTI BORETII *obſeruationum exoticarum ſpecimen primum, ſiſtens famoſam Anglorum variolas per inoculationem excitandi methodum cum eiusdem phaenomenis et ſucceſſibus, prout nempe in carcere Londinenſi Neuugate, auctoritate publica in ſex perſonis capite damnatis feliciter fuit inſtituta.* Regiomont. 1722. 185) THOMAE FREWEN *de inſitione variolarum.* Traiecti 1755. 186) Theſis in haec verba: *Ergo Pariſinis variolarum inoculatio.* Praeſ. IO. NICOL. MILLIN DE LA COVRVEAVLT, Reſp. *Petr. Ioſ. Moriſot Deslandes.* Pariſ. 1757. 187) Diſſ. *de lue contagioſa bouillum genus nunc depopulante.* Praeſ. ANDR. OTTOMAR. GOELICKE, Reſp. *Io. Otto. Bruckner.* Francof. ad Viadr.

1730. 188) Diſſ. *de lue vaccarum Tubingenſi.* Praeſ. BVRC. DAV. MAVCHART, Reſp. *Chriſtoph. Henr. Klemm.* Tubing. 1745. 189) ABRAH. ENS *diſquiſitio anatamico-pathologica de morbo boum Oſteruicenſium pro peſte non habendo.* Halberſtad. 1746.

Tomus ſextus ad morbos, qui corporis uniuerſitatem obſident continet. 190) Diſſ. *de morbis ex ſtrictura glandularum praeter naturam natis.* Praeſ. IO. ZELLER, Reſp. *Chriſtoph. Abr. Ruoff.* Tubing. 1694. 191) EIVSDEM diſſertationis pars poſterior. 192) I. VALENTINI CHVDEN *de methodo praeſeruandi et curandi atrophiam infantum.* Götting. 1756. 193) MICH. ERN. ETTMÜLLER Progr. *de ſcabie.* Lipſ. 1731. 194) Diſſ. *de lepra.* Praeſ. CASIMIR CHRISTOPH. SCHMIEDEL, Reſp. *I. Chriſtian Voigt.* Erlang. 1750. 195) I. FRID. BACHSTROM *obſeruationes circa ſcorbutum eiusque indolem, cauſſas, ſigna et curam inſtitutam, eorum praeprimis in uſum, qui Groenlandiam et inſulas orientales petunt.* Leid. 1734. 196) Diſſ. epiſtolica I. GEO. HENR. KRAMER *de ſcorbuto*, ad CHRISTOPH. IAC. TREW. Norimb. 1737. 197) Diſſ. *de ſcorbuti et venereae luis diuerſis ſignis et medicinis.* Praeſ. GEO. ERN. STAHL, Reſp. *Geo. Daniel Thebeſius.* Hal. 1706. 198) Diſſ. *de ſymptomatibus purpurae chronicae ſcorbuticae.* Praeſ. EBERHARD. ROSEN, Reſp. *Io. Borg.* Lond. Gothor. 1756. 199) SAM. THEOD. QVELLMALZ Progr. *quo frigoris acrioris in corpore humano effectus expendit.* Lipſ. 1755. 200) Diſſ. *de corticis Chinae efficacia in gangraena et ſphacelo adhuc dubia.* Praeſ. GEO. CHRISTOPH DETHARDING, Reſp. *I. Dan. Schäffer.* Roſtoch 1746. 201) Diſſ. in qua continetur *ſpecifica methodus recentior, cancrum ſanandi, cuius hiſtoriam analyſinque chemicam et medicam practicam exponit.* Praeſ. PHIL. FRID. GMELIN, Reſp. *Achat. Gaertner.* Tubing. 1757. 202) Diſſ. I. PETR.

BVCH-

BVCHNER *de rachitide perfecta et imperfecta.* Argentor. 1754. 203) Diſſ. *de polypo infantis rachitici.* Praeſ. GEO. AVG. LANGGVTH, Reſp. *Sam. Gottl. Eichler.* Witteb. 1744. 204) CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG Progr. *quo obſeruata in ſectione cadaueris feminae, cuius oſſa emollita erant, proponit.* Lipſ. 1757. 205) POLYC. GOTTL. SCHACHER *obſeruationes tres circa materiam oſſificationis praeter naturam factae.* Lipſ. 1726. 206) ABR. VATER Progr. *de oſſificatione.* Witteb. 1726. 207) RVTTGER GOTTL. HOERNIGK *de induratione partium praeter naturam.* Lipſ. 1750. 208) Diſſ. ſiſtens *oſteo-ſteatomatis caſum rariorem.* Praeſ. CAROL. FRID. HVNDERTMARK, Reſp. *Frid. Iac. Tittmann.* Lipſ. 1757. 209) Diſſ. *de partium coaleſcentia morboſa.* Praeſ. I. ERNST. HEBENSTREIT, Reſp. *Gottl. Car. Springsfeld.* Lipſ. 1738. 210) CAR. FRID. KALTSCHMIED Progr. *de raro coalitu hepatis et lienis in cadauere inuento.* Ien. 1752. 211) HENR. BACHERACHT Diſſ. *de morbis ligamentorum.* Leid. 1750. 212) I. ALB. HENR. REIMAR. *de tumore ligamentorum circa articulos, fungo articulorum dicto.* Leid. 1757. 213) Diſſ. ſiſtens *podagrae nouam pathologiam.* Praeſ. GEO. ERN. STAHL, Reſp. *Io. Conr. Tieffenbach.* Hal. 1704. 214) I. GODOFR. DE HAHN *hiſtoria podagrae Phil. Ludouici Card n. de Sinzendorff.* Norimb. 1750. 215) Diſſ. *de ſcarifatione certo et ſecuro remedio antipodagrico.* Praeſ. I. FRID. BAVER, Reſp. *Carol. Io. Mich. Otto.* Lipſ. 1732. 216) I. ADRIAN. THEOD. SPROEGEL *experimenta circa varia venena in viuis animalibus inſtituta.* Götting. 1753. 217) Diſſ. *de antidoto nouo aduerſus viperarum morſum praeſentiſſimo in Anglia haud ita pridem detecto.* Praeſ. ABR. VATER, Reſp. *Frid. Gensler.* Witteb. 1736. 218) Theſis in haec verba: *Ergo ſpecificum viperae morſus antidotum alkali volatile?* Praeſ. IOS. EXVPER. BERTIN, Reſp. *I. Fr. Clem.*

Morand. Pariſ. 1749. 219) Diſſ. *qua corporis humani momentanearum alterationum ſpecimina quaedam expenduntur inque cauſſas earum inquiritur.* Praeſ. I. HENR. SCHVLZE, Reſp. *I. Geo. Krumnau.* Hal. 1741. 220) DAN. LANGHANS *de conſenſu partium.* Götting. 1749. 221) SAM. SEELMATTER *morbi circa Tobinium familiares cum caſibus non nullis et obſeruationibus rarioribus.* Baſil. 1751. 222) Diſſ. *de medicina Laponum.* Praeſ. GVSTAV. HARMENS, Reſp. *Io. Fiellſtröm.* Lond. Gothor. 1734. 223) Diſſ. *de medicina Lapponum Lulenſium.* Praeſ EBERH. ROSEN, Reſp *Laurent. Montin.* Lond. Gothor. 1751. 224) Diſſ. continens *ſpicilegium obſeruationum de Indorum morbis et medicina.* Praeſ. I. HERM. FÜRSTENAV, Reſp. *I. Phil. Paxmann.* Rintell. 1735. 225) *Obſeruationum quadriga.* Praeſ. BALT. IO. DE BVCHWALD, Reſp. *Frid. de Buchwald.* Hafniae, 1740. 226) STEPHAN. WESZPREMI *obſeruationes medicae.* Traiect. 1756. 227) GEO. FRID. RICHERZ *obſeruatae viſcerum abdominalium labis breuis epicriſis.* Leid. 1757.

IX.

Elementa Phyſiologiae Corporis Humani. Auctore ALBERTO V. HALLER, Praeſide Societatis Reg. Sc. Götting. Sodali Acadd. Reg. Scient. Pariſ. Reg. Chir. Gall. Imper. Berolin. Suecic. Bononienſ. Societt. Scient. Britann. Vpſal. Heluet. in Senatu ſupremo Bernenſi Ducentumuiro. Tomus Primus. Fibra. Vaſa. Circuitus ſanguinis. Cor. Lauſannae. Sumptibus Marci-Michael. Bouſquet et Sociorum. 1757. 4 mai. alph. 2. pl. 21. fig. aen. I.

Qui in anatomicis aeque ac phyſiologicis a quouis harum rerum perito magni omnino aeſtimatur,

matur, quiue tot tantisque laborum inſignium teſtimoniis clarus eſt Ill. HALLERVS, nunc phyſiologiam, cuius primas tantum lineas ante aliquot annos edidit, perfectiorem multo inque ſuo genere abſolutiſſimam fere edidit. Facile autem quiuis Lectorum noſtrorum conuinci poterit, conuincitur autem, quanta ab hoc labore non ſolum noſtrae aetati, ſed et poſteritati adeo expectanda forent emolumenta. Iſte enim liber, cuius ſane moles ad minorum claſſem minime referenda, hic inquam, quem recenſendum nobis ſumſimus, non omnia rerum phyſiologicarum momenta his paginis includit, ſed octauam tantum earum partem ſiſtit. Octo enim eiusmodi volumina ſi numeraueris, totum ſane opus completum tunc eſſe, dices. Tot enim tomos laboris dignitas, inuentorum copia atque Ill. Auctoris perſpicacitas requirit omnino. Quicquid autem a multis retro annis, dicerem ſeculis, ſummi in arte viri praeſtiterint, fida anatomes detexerit, morboſorum ſectio confirmauerit, chemia eruerit aliaeque artes inuenerint, ea ſane omnia hiſce voluminibus Ill. Auctor complectitur. Quanta ergo artis emolumenta! Sed quod multo magis: Qui in anatomicis verſatiſſimus inque diiudicandis rerum phaenomenis perſpicaciſſimus eſt, isne eiusmodi laboribus ferendis par omnino exiſtit? Aſt ordinem tractationis commemoremus, neceſſe eſt. Breuibus proinde monemus, hunc eſſe eundem, quo olim Noſter in componendis primis phyſiologiae lineis uſus eſt. Itaque primo hoc Tomo, cuius rerum ſummam hic vides, fibrae et ſanguinis hiſtoria continetur, haecque quatuor abſoluitur libris. Primus eorum corporis humani elementa, fibram nimirum, telam celluloſam, membranam et adipem tradit; alter vaſa deſcribit, hinc arteriae, venae et vaſa lymphatica explicantur. Tertius circuitum ſanguinis ex corde in arterias, ex his in venas, et ex his in cor inſimulque lymphae iter exponit.

Quartus denique in corde totus occupatus primo velamenta extus circumpoſita, dein auriculas, porro ipſam cordis fabricam, tum motum, denique cauſſas motus recenſet. Haec ſunt, quae ibi pertractantur: ſed ſingula ſeorſim conſideremus.

p. 2. Fibra, quae a phyſiologo ut linea a geometra conſideratur, quaeque communis toti corpori materies eſt, multiplex elementorum genus comprehendit, quorum quaedam ſolida, quaedam fluida ſunt. Haec, non niſi igne aut putredine ab illis ſeiungenda, ſi diſcedant, terram relinquunt friabilem, indolis calcariae, cui portio quaedam ferri, firmitatem
p. 4. fibrae conciliantis, miſta eſt. Terrea haec elementa inter ſe nectuntur glutine, quod altera fibrae pars habetur. Iſtud ſi abeſt, nulla ultra datur cohaeſio et, in aliis plus, minus in aliis reperiundum, vario modo manifeſtum reddi poteſt. Inſunt ei aqua, oleum, ſal et aer, quae coniuncta vinculum elementorum conſtituunt, quod terrae iunctum fibram ſimplicem inuiſibilem efficit. Haec autem ſi lineae ſimilis cum aliqua latitudine elongatur, fibra tunc vulgo audit. Haecce elaſtica et exſanguis eſt, nunquam autem irritabilis aut ſenſibilis deprehenditur. Si cum fibrae longitudine latitudo augetur, lamina oritur, quae, ſi in minores diuidi nequeat, ſimplex vocatur.

p. 8. Ex fibris vel et laminis ſolis aut utrisque rete formatur, quod telam celluloſam vocant. Haec ubique deprehenditur, ſiue totum corporis habitum, remota cute, perpenderis, ſiue viſcera aut vaſa, ſiue demum muſculos integros aut quamlibet eorum fibrillam introſpexeris. Ipſam autem telam ſi examinaueris, innumeras in ea cauernulas, quarum una cum altera communicat, deprehendes, hinc etiam ex qualibet ſede in quamlibet regionem patulam viam reperies. Id aer, arte aut caſu inflatus, pus vel

aqua,

aqua, intra corpus collecta, vel demum mirae illae corporum peregrinorum, in corpus introductorum et ex parte in aliam tranſeuntium, migrationes confirmant. Licet vero omnes cellulae in ſe mutuo pateant, in diuerſis tamen regionibus ſingulae cum aliis ſingulatim communicant, quae ideo tanquam propagines conſiderandae ſunt. Ita v. g. *alia propago per foramen ouale pubis ad femur cum vaſis obturantibus continuatur, alia per inciſuram iſchiadico-ſacram ad nates* etc. *migrat*. Quod denique ad utilitatem huius textus ſpectat, iſte in eo in primis conſiſtit, ut partes eo firmentur earundemque figura definiatur. Is enim ſi abeſt, partes reſiſtere neſciunt, nec debita etiam illis manet figura.

At vero, huic telae arcti limites circumſcripti p. 18.
non ſunt, ſed plurimarum certe partium ea mater eſt. Omnes enim partes, quae non ſolum membranae et vaſorum nomine veniunt, ſed quae ex his compoſita ſunt, viſcerum parenchymata, ligamenta, tendines, cartilagines imo ipſa oſſa ex ea conſtant. Sola ſane fibra muſcularis pariterque cerebri medullaris huiusque in neruis continuatio, aliam indolem habens a celluloſa tela non prouenit. Priora autem eo prouenire aeris inflatio inque aqua maceratio probat, remque claram omnino reddit. Ex membranis enim partes memoratas conſtare, illas autem ex celluloſa tela formari, eadem haec experimenta confirmant. Quae autem de membranis BOERHAAVIO ſententia eſt, ea ſane, rite examinata, valere ultro nequit. Iſte enim vaſa ex membranis, hasque ex vaſis compoſuit. Cum autem, iniectione peracta, magna vaſorum ſuperficies alba maneat, multaeque membranae, ut arachnoidea medullae ſpinalis, epidermis, atque nouae, morbo aut alio caſu generatae absque ullis vaſis reperiantur, ſane etiam patet, cur haecce ſententia ſtare ulterius nequeat.

p. 25. In ſpatiolis, quae inter telae fibras reperiuntur, humor aliquis reſidet, qui tenuis, halituoſus oleoque miſtus eſt. Minime tamen iſte adeps dicendus, ſed qui ſub hoc nomine venit, is in iis telae cauernulis, quae a laminis formantur, colligitur. Tela enim, quae ex fibra conſtat, adipe deſtituitur, et quae inter has ſunt ſpatia, ea vaporoſus humor replet. Qui ergo adeps vocandus eſt, primo conſpectu ſub globulorum alborum forma in omento, poſthac in reliquo corpore adparet. Ita tamen in foetu nondum maturo reperitur, quam primum autem homo natus eſt, primis tunc annis adeps multus et glebuloſus, iſtaque aetate plus quam adultiori, in qua quippe imminuitur, adparet. Circa quadrageſimum autem annum copioſe iterum colligitur, tandem circa annos ſeniles rurſus imminuitur, aliamque et pri-
p. 27. mam foetus formam induit. Adeps praeterea multis deeſt partibus, atque iis in primis, ubi minima compreſſio nocet, ut in cerebro, aut ubi ſenſus acuties requiritur, ut in glande penis. Aliae autem partes, ut muſculi grandiores eo contra abundant. Idem porro in hominibus animalibusque carniuoris viuis fluidus eſt, durior contra in iis, quae gramine veſcuntur: Interdum tamen et inter homines et animalia, herbis paſta, reperiuntur, quibus adeps induratus eſt. Differt de reliquo adipis conſiſtentia, prout animalia diuerſa eſſe ſolent. In aliis enim plus, minus in aliis deprehenditur.

p. 30. Aquam, oleum et liquorem quendam acidum, auſterum, empyreumaticum partes adipis eſſe, chemia docet, ita tamen ut olei copia maxima, aquae minima ſit. Videtur igitur adeps chyli et vegetabilium naturam retinere, quod eo magis patet, ſi attendatur, animalia graminiuora obeſiora ſemper obſeruari, quam carniuora, idque quidem eam ab rationem, quia illa acidam naturam integram conſeruant. Quod ex deſtillatione remanet, carbo eſt, qui combuſtus

buſtus terram, nunquam autem ſalem fixum exhibet. Loca, ubi adeps colligitur, cellulae ſunt, a fibris et p. 33.
laminis formatae, in quas iſte non per glandulas nec etiam per ductus proprios deponitur, neque enim hos, neque illas dari, experimenta probant, ſed, cum arteriae ubique cellulas has perreptent, inque illarum lateribus pori reperiantur, adeps ergo per hos tranſit et in cellulis colligitur. Talem autem exſudationem dari varia anatomes experimenta, ſanguinis per poros tranſeuntis morboſa collectio aliaque obſeruata docent. Cumque adeps chyli naturam habeat, iſte autem in ſanguine fluens ſaepe repertus ſit, facillimus etiam adipis ex ſanguine in cellulas intelligitur tranſitus.

Aſt, quicquid corpori quietem conciliat, ut la- p. 39.
boris et curae abſentia, imo quicquid vires circulationis pulſusque crebriores imminuit, ut venae ſectio crebra et caſtratio, id omne adipis collectioni et augmento anſam praebet. Docent id animalia, motu priuata, docent alia. Cum autem venis pari ratione ac arteriis pori ſint, per varia experimenta demonſtrandi, via inde etiam datur, per quam adeps ex cellulis intrat. Quod ſi vero hic intrare debeat, neceſſe eſt, ut fluidior iſte fiat, ipſaeque viae pateſcant. Praeſtat id omnis motus in ſanis, febris in morboſis, utrumque vero obſeruata confirmant. Verum et ipſorum alimentorum indoles idem hoc efficit. Licet enim per alimenta adeps augeatur, horum tamen quaedam etiam ſunt, quae collectum imminuunt. Spectant huc omnia etiam acria, ut Guaiaci decoctum, tabaci manducatio, alia. Num acetum quoque? vix videtur. Aſt inedia adipem pariter conſumit, ſique iſte exhauſtus tunc eſt, gelatina poſthac aut lympha ob viſcerum, ciborum naturam vix immutantium, languorem ſuccedit. Adipis utilitas pariterque neceſſitas magna habetur.

Partes

p. 44. Partes enim, eo praeſente, mobiles ſunt, ipſe dein concretioni obſtat, quaeque porro frictioni valde obnoxiae ſunt partes, eum copioſe circumfuſum habent, tandem autem iſte frigus arcet, parteſque ab eo defendit. An autem reſorptus adeps alit? certe vix affirmari poteſt, notetur potius, ſubito iſthoc reſorpto blandam ſanguinis indolem minime conſeruari, febreſque calidiſſimas inde oriri. Idem hoc etiam de medulla, oſſium adipe, valet. Iſta enim non nutriuntur oſſa, ſed fibrae eorum et laminae eo inunguntur, fragilitas minuitur, conciliatur flexilitas. Vti vero adeps, modice collectus, multas praeſtat utilitates, ita nimis auctus varia contrahit vitia. Sic ſenſus acuties in multis partibus tollitur, muſculi, quorum quippe fibrae a ſe inuicem diſſolvuntur, ad motum inepti fiunt, ſanguinis copia imminuitur, vaſa viſceraque comprimuntur, a quo autem vitio varius morborum ortus aut etiam mors, prout pars fuit, dependet.

p. 53. Secundus liber vaſa conſiderat; hinc arteriae primo ſe offerunt. Hae, ut omnia vaſa, ex celluloſo contextu formantur, et ſi ſecantur, circulares adparent. Conicae dicuntur, quatenus aorta ceu unicus ramus ad minima uſque conſideratur: Accuratius autem ponderata arteria ſeries cylindrorum eſt. Dantur non nullae, quae ad diuiſionem, ubi ramus e trunco exit, in progreſſu latiores fiunt et diuergunt,
p. 59. capillares vero arteriae ſemper cylindricae ſunt. Color earum albus eſt in maioribus, ruber in minimis, atque membranarum, quae arterias conſtituunt, aliae acceſſoriae ſunt, aliae propriae. Illae nunquam verae dici poſſunt, ſed inuolucra tantum ſunt, quae a cauitatum quarundam membranis proueniunt ſeque circa arterias duntaxat voluunt. In artuum enim aliarumque partium arteriis iſtae ſemper abſunt. Aſt aliud inuolucrum idque quidem conſtans et celluloſum

ſum quamcunque arteriam ambit. Textus hic cellu-
loſus arterias non ſolum firmat, ſed et flexuoſas inter-
dum factas in tali ſtatu retinet, ita, ut eo poſthac
remoto quaelibet arteria ſe ipſa longior fiat. In hoc
contextu interdum nerui et vaſcula cernuntur, inde
membrana vaſculoſa et glanduloſa peculiares mem-
branae non ſunt, ſed celluloſae tantum cognomina.
Quae laxam hanc celluloſam ſequitur membrana,
arctior eſt et muſculoſis fibris valde adhaerens mace-
ratione in lamellas et fila ſecedit, dumque cellulo-
ſum contextum denſiorem conſtituit, celluloſa hinc
proprie vocatur. Hanc excipit muſculoſa vera, cu-
ius fibrae circulares quidem ſunt, integrum tamen
circulum minime abſoluunt, et in omnibus arteriis
reperiuntur; longitudinales vero nullae ſunt. Inter
hanc membranam et ultimam, quae tenuis eſt et lae-
uiſſima, quaeque neruea dicitur, celluloſus iterum
textus reperitur, qui breuis eſt et interior nuncupa-
tur, atque muſculoſam cum neruea connectit. Ca p. 66.
uitas arteriarum interna laeuis eſt nec valuuloſa, et
ubi rami exeunt, duo arcus cernuntur, quorum in-
ferior a congeſtis fibris circularibus, nexum tunicae
tendineae et carneae firmiorem reddentibus forma-
tur.

Arteriae arteriolas habent, non a ſola coronaria, p. 67.
ſed aliunde etiam prouenientes, quas pariter comi-
tantur venulae, quae in aorta a venae ſine pari ſur-
culis, in aliis ab aliis procedunt. Neruuli praeterea p. 69.
arterias perreptant, in umbilicalibus vero et placen-
talibus plane nulli ſunt, omnesque arterias inſenſiles
eſſe, experimenta docent. Arteriae vim contracti-
lem habent, haecque non a corde dependet, ſed in
ipſa arteriarum fabrica quaerenda eſt. Licet autem
venena quaedam, in experimentis adhibita, ut ſpiri-
tus vini, ſuccus tithymali etc. vim iſtam minime cla-
ram reddant, tamen non deſunt alia, per quae ea-
dem vis probatur. Robur arteriarum et denſitas, a p. 72.

craſſitie

craſſitie celluloſae fabricae dependens, admodum
variat, et in aliis maior aliisque minor, et in aorta
debiliſſima, imo debilior ſemper in truncis quam ra-
mis obſeruatur. At ſolidi, membranarum ſcilicet
arterioſarum ratio ad fluidum h. e. columnam ſan-
guineam, non eadem ubique eſt, inque ramis, den-
ſiores licet ſint, minor tamen quam in truncis habe-
tur, hinc fiuidi portio ad ſolidum ſemper maior eſt.

p. 75. Arteriae, paucis membranis exceptis, ubique in
corpore praeſto ſunt, et ita locantur, ut tutae ſatis
a vulnere eſſe poſſint. Hinc ubi venae ſunt, non
aeque arteriae reperiuntur, ubi vero tutum ſatis iter
eſt, ibi et venae et arteriae ſimul decurrunt. Aſt,
ſi arteriam ab ortu ad finem uſque proſequimur, hanc
absque diuiſione integrum tubum non conſtituere,
ſed varie diuidi, animaduertimus. Rami ergo, trun-
co diuiſo, oriuntur, haec tamen diuiſio non in infi-
nitum progreditur, ſed diuiſiones numerum vigeſi-
mum vix excedunt. Vt autem rami truncis denſio-
res cernuntur, ita etiam eorum lumina coniunctim
ſumta, lumine trunci maiora ſunt. Anguli, quos
rami cum truncis conſtituunt, plerumque acuti ſunt,
in aliis plus, minus in aliis, nunquam tamen certus
atque conſtans obſeruatur ordo, nec unquam etiam
p. 84. recti apparent anguli. Flexiones arteriarum variae
ſunt, et oriuntur quaedam, quando arteriae plenae
ſunt, aliae, prout partes, quas perreptant, mutan-
tur, hinc etiam rectae fere fiunt, antea flexuoſae, in
utero, ſi grauiditate is extenditur. A natura tamen
rectae reperiuntur nullae, imo adeo ſaepe replicatae
cernuntur, ut inſignes, velut in carotide, oriantur
p. 86. anfractus. Coniunctiones arteriarum frequentiſſi-
mae ſunt, ita ut vel trunci confluant, unumque hinc
conſtituant, aut ramus inter duos truncos interce-
dat, hosque coniungat. Quando autem duo trun-
ci e diuerſo ſibi occurrunt et coniunguntur, ita ta-
men, ut ſanguinis flumina ſibi inuicem occurrant,

alia

alia tunc trunci ſit directio, oriturque arcus. Creberrime autem arteriarum rami minores inter ſe communicant, ita ut in toto corpore libera ſit ubique ſanguinis via.

Fines arteriarum varii ſunt: Primo nempe iſtae p. 91.
absque ſpatio ſpongioſo aut parenchymate intercurrente in venas terminantur, idque probant microſcopia aeque ac liquores in arterias iniecti, quippe qui ex his in venas tranſeunt, hasque replent. Cur autem iidem liquores in venas iniecti non aeque in arterias penetrent, alia ratio eſt. Partim enim valuulae, in venis reperiundae, partim infinitae venarum
anaſtomoſes id impediunt. Alio deinde fine arteriae p. 98.
deſinunt in ductus excretorios, canales venae ſimiles, ſed minoris diametri, ſanguineque tenuiorem humorem vehentes, neque hunc ad ſanguinem reducentes. Licet autem microſcopia hos ductus non detegant, iniecti tamen liquores, aliaque a natura oblata experimenta, ut urina, absque vaſis ruptis ſanguinea, lac rubicundum aliaque viam iſtam confir-
mant. Deſinunt porro in vaſculum exhalans, ita, ut p. 102.
interdum ipſe ſanguis in ſpatia celluloſa, velut in pene, effundatur, aut humor tenuis, vaporis forma, in caua corporis maiora, aut per cutem aut denique in glandulam exſudet. Omne id iniectione liquo-
rum aut ſanguinis effuſione morboſa probatur. De- p. 108.
ſinunt tandem in vaſa minora, atque quidem in vas lymphaticum dictum, demum in arteriam non rubram. Prius liquoris in arterias iniecti tranſitus in vas iſtud, ipſaque lympſa, rubicunda interdum reperta confirmant; poſteriorem vero, arteriam nimirum non rubram, iniectiones pariter partiumque praeternaturalis rubor probant, ut vaſculum, conſpicuum nunc factum, in omnibus cum arteria conueniat, excepto eo, quod liquorem non rubrum vehat. Vas ergo lymphaticum arteriamque non rubram

bram veras arteriae rubrae continuationes eſſe, experimenta dictitant, ſuadent alia phaenomena.

p. 113. Qui error loci BOERHAAVIO dicitur, quaeque hinc inflammationis cauſſa ab eodem aſſumitur, de his ſane dubitatur. Si namque globulus ſanguinis arteriam non rubram intret, errorem inde loci fieri, BOERHAAVIVS aſſeruit. Verum, ſanguinis globulum ſolitarium pellucidum eſſe, ſanguinemque etiam vaſa non rubra intrare, absque eo, ut obſtructio naſcatur, experimenta et obſeruationes oſtendunt. Obſtructio autem, quam ab errore loci oriri, hincque inflammationis cauſſam efficere magnus ille Vir putauit, vera inflammationis cauſſa non eſt. Ab impacto enim ſanguine vaſa ſi obſtruuntur, ſanguis ad hanc ſedem non acceleratur, ſed vel vias liberas percurrit, vel in trunco quieſcit. Aſt ſanguinem in celluloſa ſpatia effuſum veram inflammationis cauſſam dare, nunquam in obſtructione conſiſtentem, ſtatuendum eſt. Pari quoque ratione et altera de vaſis tertii minorumque generum BOERHAAVII ſententia refutatur. Series enim continuo decreſcentes non dari, variae rationes et experimenta ſuadent. Hinc pariter etiam inflammationem, non ſanguineam dictam, minime dari, ſequitur.

p. 120. Venae, altera vaſorum ſpecies, nunc conſiderandae ſunt. Harum duo tantum trunci vulgo numerantur, ſunt vero ſex. Deprehenduntur enim pulmonales quatuor, venaeque cauae duae, a quibus ultimis, pulmonem ſi excipias, reliquae partes omnes nanciſcuntur ramos. Venae, ut arteriae, conicae ſunt ultimaeque pariter, ut arteriolae, cylindricae, ibidemque ramorum lumina, trunci lumine,

p. 124. ampliora. Differunt ab arteriis colore coeruleo ipſaque fabrica et fibris, quippe quae circulares non ſunt. Membrana intima, lubrica et laeuis, absque fibris et poris eſt; media fibras longitudinales, nullas vero contractiles habet, excepto venae cauae principio,

quod

quod muſculoſum eſt, ſeque contrahit. Tubercula praeterea tendinea fibraeque, ex calloſa tela celluloſa factae, ibi cernuntur. Mediam hanc celluloſa, ut in arteriis, tela, ambit, ſed tenuis, cui acceſſoriae, a cauitatum membranis, ut pleura etc. prouenientes incumbunt. Arterias et venulas in hac decurrere, certo liquet, nerui vero demonſtrari nequeunt. Acido minerali tactae venae irritabiles apparent, neque ita ferro aut inflammatione laceſſitae. Earum praeterea tunicae tenuiores quidem, aſt denſiores ſunt arteriarum tunicis, ita, ut facilius longe absque ruptione dilatari poſſint, ad viſcera tamen euntes arteriae venis robuſtiores ſunt, perque aetatem venarum robur etiam decreſcit, arteriarum contra augetur. Licet autem denſiores venae ſint, hae tamen, cum facilius diſtendantur et intumeſcant, inde etiam ſaepius quam arteriae rumpantur. Lumina venarum, p. 131.
cum arteriarum luminibus comparata, his maiora ſunt, exceptis venis pulmonalibus; reliquarum vero omnium diameter, accuratius conſiderata ad arteriarum diametrum, ſemper fere uti 9 ad 11. ſe habet. Et numero quoque venae arterias ubique ſuperant, paucis exceptis, ut in funiculo umbilicali, ubi una vena et duo arteriae reperiuntur, in hoc tamen aliisque exemplis ſimilibus venarum diameter numerum compenſat. Decurſus venarum inter- p. 134.
dum eſt cum arteriis, interdum autem absque his, cuti tamen illlae ſemper propiores reperiuntur. Ana- p. 135.
ſtomoſes venarum plures ſunt, quam arteriarum, minus tamen flexuoſae apparent venae quam arteriae.

Valuulae, quippe quibus venae ab arteriis diffe- p. 136.
runt, in plerisque venis reperiuntur, ſanguinisque motum regunt. Sunt hae ipſae nihil niſi membranulae in caueam venae ab huius membrana intima productae, tenues quidem, aliquo tamen robore inſtructae. Quae cum vena cohaeret valuulae pars, robuſtior et durior eſt et Agger dicitur, quodque

inter valuulam et venam reperitur cauum, ſinus audit. Solitariae interdum ſunt valuulae, ſaepe geminae, raro ternatae, rariores quadrigeminae, his etiamnum rariores quinatae. Priores, ſolitariae nimirum et binatae, ſemper deprehenduntur, poſteriores autem hinc inde ab anatomicis annotantur. non ubique vero reperiuntur valuulae: In inferiori enim vena caua, in tota portarum vena, in venis uteri, viſcerum aliisque minoribus, quarum diameter linea minor eſt, deprehenduntur nullae. Attamen in inferioris venae cauae ramis inque hypogaſtricis, femoralibus cruralibusque numeroſiores adſunt. In vena ſine pari interdum reperiuntur, interdum autem abſunt, aſt in vena caua ſuperiori eiusque ramis, venis iugularibus, ſubclauiis et brachialibus plus minus numeroſae adſunt. Hiſce igitur obſeruationibus clarum nunc fit, externas et perpendiculares venas valuulis inſtrui, interiores vero profundas viſcerumque venas iisdem deſtitui.

p. 150. Ortum ducunt venae varium: Primo namque ex arteriis continuantur, deinceps ex celluloſa tela exeunt. Hunc ortum probant humores, ut ſanguis in cellulas penis effuſus, aliique reſorpti. Venae porro ex magnis caueis oriuntur, idque v. c. pus aut aqua in abdomine collecta vel et mel in pectoris cauum iniectum, poſtea reſorptum probant. Eadem ratio in minoribus etiam caueis, ut ventriculo, inteſtinis etc. valet. Ex venis tandem tenuioribus, ut vitrei cryſtallinae humoris venis pellucidis, venas rubras oriri, ratio omnino dictitat. De venis denique quibusdam notandum, dari quasdam, quae in arterias mutentur. Has autem ſi quaeras, in pulmone venas vere in arterias mutatas eſſe, reperies.

p. 156. Tertium vaſorum genus vaſa lymphatica conſtituunt. De his nullus ultra hodie dubitat, eademque, antiquiſſimis iam temporibus, HIPPOCRATI, ARISTOTELI aliisque, cognita fuiſſe, paſſim legitur.

tur. Licet vero de eorum praeſentia in corpore animali nullum nunc dubium ſuperſit, ea tamen in omnibus partibus reperiri, nondum euictum eſt. Membrana horum vaſorum tenuis eſt et oculo armato duplex apparet. Habent eadem valuulas numeroſas, facile diſtendendas, ob quam etiam rationem nodoſa fiunt, ſicque depinguntur. Irritabilia ſunt p. 165.
iſta vaſa, atque hac natura vaſa rubra longe antecellunt, atque ortus eorum in arteriis, venis, ductibus excretoriis, celluloſa tela magnisque caueis quaerendus eſt. Radiculas enim ibi depangi, tenuemque humorem ab iis ſuſcipi, experimenta docent. An vero ex venis minoribus non rubris vel et a neruis oriantur, demonſtrari non poteſt. Num ex glandulis conglobatis? certo ſtatuendum haud eſt.

Iter horum vaſorum verſus pectus dirigitur. Ita p. 170.
namque vaſa lymphatica, quae in artubus inferioribus, inguine, pelui, abdomine, renibus et hepate reperiuntur, ad lumbos in inſignem faſciculum confluunt, eique alia iterum ſe miſcent, tandemque unum praecipuum ductum conſtituunt, qui interdum ſimplex interdum duplex eſt, ductusque thoracicus nominatur, et chylo et lymphae receptaculum praebet. In hunc ductum vaſa lymphatica pectoris, artuum ſuperiorum, atque ea etiam, quae a capite proueniunt, ſe inſerunt. An autem iſta vaſa in cerebro et medulla ſpinali reperiantur, experimenta nondum declararunt. Licet vero ſint, qui dicant, praeter ductum thoracicum vaſa lymphatica in venas terminari, id tamen minus probabile multoque minus certum videtur. Ea enim inſertio vix unquam per experimenta certa probatur, maxime autem obſtat ratio. Nunquam ſcilicet minimae, etiam rubrae, venulae in maximos ſtatim truncos immittuntur, ſed in venas, ſenſim maiores, colliguntur. Hinc et ob analogiam concludendum eſt, vaſa lymphatica minima in maiora ſenſim, poſtmodum in

ductum thoracicum confluere, prius quam lympha ſanguini reddatur.

p. 180. Glandulae, quarum hiſtoria a vaſorum lymphaticorum doctrina ſeiungi prorſus nequit, corpora ſunt oblonga, oliuae figura, interdum ſimplicia, interdum in aceruos collecta, in foetu pallide rubella, inque adulto ſature rubra. Membrana una, firma, duriuſcula, vaſis ſanguineis referta glandulae obteguntur, qua remota, celluloſa tela mollis, flexilis, vaſis ſanguineis inter textis, apparet, et glandulae fabricam in primis conſtituit. Num autem acini vel glandulae nec non folliculi in hac tela ſint, veritati non conſentaneum eſt: Succus tamen in glandulis, inque quidem cellularum areolis reſidet, albus, ſeroſus, lacte tenuior. Vaſa tum arterioſa tum venoſa plura per ipſam glandulae fabricam diſſeminantur, perpauci vero nerui eas adeunt; quos tamen vere ineſſe, obtuſus glandularum ſenſus, quoties aegrotant, probat. Vaſa lymphatica ad glandulas accedunt, exque his iterum exeunt, maiora ſaepe facta. A vaſculis autem aduehentibus per telam celluloſam effunditur ſuccus, qui lympha dilutus ab aliis vaſculis reſorbetur et abducitur.

p. 187. Vtilitas glandularum, per maiorem corporis partem copioſe reperiundarum, in iuniori animali maior eſt, quam in adulto, atque in eo conſiſtit, ut ſucco illo lacteo lympha diluatur. Num vero glandulae lymphae motum adiuuent, merito dubitatur. Nulla enim fibra muſcularis, nec etiam irritabilis natura, ad excitandum motum neceſſaria, demonſtrari poteſt.

p. 195. Ad ſanguinis circuitum quod pertinet, eum ex corde in arterias, ex his in venas, exque his iterum ad cor tranſire, tertius nunc liber exponit. Sanguis in arteriis perpetuo reperitur, nullus autem niſi praeter naturam in iis deprehenditur aer, imo nec a mor-

te

te arterias inanes eſſe, ſed ſanguinem, pauciorem tamen, in iis deprehendi, cadauerum ſectiones confirmant. Sanguinem vero, animali viuente, a corde in arteriarum truncos, ex his in ramos, demum ex his in vaſa minima fluere, varia experimenta oſtenſtunt. Inter haec vincula, arteriae alicui circumligata, rem claram omnino reddunt. Ligata enim arteria inter cor et filum intumeſcit, ſanguine valde impletur, caerulea fit, tuncque perforata, ſanguinem cum inſigni vehementia eiicit. Quae autem infra vinculum eſt arteriae pars, pallet, detumeſcit, collabitur: Caute tamen experimentum hoc inſtituendum eſt. Ob anaſtomoſes enim accidere poteſt, ut, arteria licet ligata, ſanguis tamen infra vinculum effluat, nullusque pariter ſuper ligaturam oriatur tumor, quia per proximos, quos cautus dein videt, ramos liberos nec ligatos ſanguis tranſit. Licet autem motus ſanguinis retrogradus interdum obſeruetur, id tamen non niſi in morbido aut moribundo, nunquam autem in vigente animali euenire, certo ſtatuendum eſt.

Venoſi ſanguinis iter arterioſo contrarium eſt. p. 203. Fluit enim iſte ab extremis verſus cor, cum tamen in arteriis a corde verſus extrema idem progrederetur. Probant iſtud iter valuulae venarum, quarum quippe pars conuexa extrema, ſinuoſa autem cor reſpicit. Vtilitas earum praecipua eſt, ut omnis ſanguis, actione muſculorum preſſus, verſus cor urgeatur; quam rem iniectiones anatomicae contra has valuulas impulſae inque nodos eas diſtendentes confirmant. Licet autem contrarium per experimenta interdum oſtendatur, veritati tamen iſtius aſſerti nihil quidquam detrahitur, ſi attendamus, venas interdum non ſatis accurate a valuulis claudi. Alius denique valuularum uſus in ſanguinis ſuſtinendo pondere conſiſtit, ita, ut ſi duplicem ſanguinis intra venam tibi fingas columnam, ſuperior contra inferio-

rem minus nitatur, neque ergo circuitus retardetur. Quanquam autem natura huic impedimento proſpexit, interdum tamen ob cauſſas quasdam, minus naturales, ſanguis ad valuulas colligitur, qui latera venarum diſtendit, et ſic dictas varices efficit.

p. 209. Sanguinem ab extremis ad cor tendere, vincula, artubus circumligata demonſtrant. Tumor enim intra vinculum et artus oritur, qui contra intra ligaturam et cor abeſt. Idem hoc compreſſio docet. Ita namque fortiter adſtricta collaria venas iugulares tumidas, oculosque rubros reddunt; ſique porro attendamus, narium haemorrhagiam et haemoptyſin artubus ligatis compeſci, aliud eapropter argumentum exoritur. Rem hanc venae nudatae et ligatae clariorem reddunt, eaedemque inter vinculum et artus tumentes ſanguinis iter verſus cor manifeſtant omnino. Quae experimenta oſtendunt, confirmant morbi. Sic v. g. polypus in auricula cordis dextra venas iugulares tumidas efficit. Verum fieri interdum ſolet, ut vena, licet ligetur, minus tamen inter vinculum et cor depleatur; aſt ramuli tunc venoſi, non ligati, ſanguinem continuo afferentes ſcrupuloſius examinanti patebunt. Sique porro acidum quoddam coagulans in venam immiſeris, coagulum, inde ortum, verſus cor procedere, videbis. Microſcopio tandem ſi utamur, ſanguinem verſus cor fluere, clare perſpicimus. Quae autem de ſanguinis retroceſſione in venis obſeruata hic opponunt, ea ſane magni momenti non ſunt, ſiquidem iſta in languido et moribundo, nunquam autem in ſano vegetoque animali fieri ſolet.

p. 217. Cum itaque clare nunc pateat, ſanguinem in arteriis a corde, in venis autem verſus idem fluere, hasque cum illis communicare, ſequitur proinde, ſanguinem a corde in arterias, ex his in venas atque ex his demum in cor tranſire. Probat id arteria vincta et vena poſthac inanita. Niſi ergo ſanguis ad cor

rediret

rediret, hocce demum omni ſanguine deſtitueretur. Cum enim cor omni momento ſanguinem dimittat, neceſſe omnino eſt, ut iſte iterum ad cor tendat. Et niſi etiam ſanguis ex arteriis in venas tranſiret, nunquam ſane vulnera vaſorum maiorum, multo minus minorum, ut in haemorrhagiis dentium, narium etc. interdum accidit, ſanguinem in tanta copia aut omnem pene emitterent, nec animalia quoque viribus inde exhaurirentur. At vero, ſanguinem ex ve- p. 225.
nis in cor et, circuitu demum per pulmones peracto, in arterias demum venire, clarius omnino varia in venas probant infuſa. Ita venena, ſanguini venoſo mixta, poſt pauca minuta animal occiderunt; vinum, in venas canis immiſſum, animal hoc inebriauit, coagulantia, in venas introducta, ſanguinem coagularunt, quo dein in cor veniente animal periit. Narcotica paulo poſt infuſionem vim ſuam oſtenderunt in capite, emetica per vomitum, laxantia per alui deiectiones, diuretica per mictum crebriorem aliaque per totum corpus deleterio, alia autem, vi medicamentoſa praedita, ſalutari effectu ſe manifeſtarunt. Licet autem, ob periculum, ultima haec per hanc viam in corpus immittere, minime ſuadendum ſit, hiſce tamen olim tentatis, illisque cunctis hic tantum probatur, omnia iſta in venas miſſa ex his ad cor veniſſe, ex hoc autem per pulmones in arterias tranſiiſſe, ita, ut diuerſi dein oborirentur effectus.

Aliud porro argumentum, maius omnino, ex p. 231
ſanguine transfuſo ſumitur. Animalis nimirum vena ſecta omnis ſanguis eductus fuit, ita, ut omnia vaſa prorſus inanirentur; aperuerunt dein alius arteriam, cui tubulum, cum prioris animalis vena communicantem immiſerunt, ſicque omnis ſanguis ex alterius arteria in prioris venam tranſiit. Quo facto prius animal vires recuperauit vegetumque vixit. Huius experimenti, ſanguinis nimirum ex animali in animal transfuſi inuentores fuerunt Angli, quos dein

imitati ſunt Galli. Hi autem primi ad reſtaurandas vires morbosque profligandos in homine transfuſionem tentarunt, in paucis felici, in plurimis contra triſti cum euentu, ita, ut publico etiam edicto in Gallia et Italia proſcriberetur transfuſio.

p. 236. Vltimi tandem itineris ſanguinis ex arteria in venam teſtes ſunt oculi. Hi enim armati ſanguinem ex arteria, cum vena communicante, in hanc fluere, manifeſte animaduertunt. Primus, qui hoc vidit, fuit MALPIGHIVS, poſt hunc LEEVWENHOECKIVS, tum Anglorum non nulli, tandem alii; quorum omnium teſtimonia vera pronunciat Ill. Auctor: Ipſi enim, quod illi affirmarunt, vidiſſe contigit.

p. 240. Gloria inuentionis itineris ſanguinei, unice debetur HARVEIO; neque HIPPOCRATES neque alii ſanguinis circuitum habuerunt cognitum, licet etiam ſint, qui et his et illi gloriam inuentionis tribuant. Cuncta enim argumenta, quae proferunt, rite examinantes veritati minus conſentanea imo fraudulenta aeſtimabunt. Quanquam autem res experimentis clara omnino fuit, eo tamen tempore non defuerunt, qui HARVEIANO inuento aduerſarentur. Aſt omnia, quae oppoſuerunt, debili nituntur fundamento, facileque a quouis euerti poſſunt. Alii contra, vel HARVEII tempore vel paullo poſt viuentes, perſpicaciores fuere inuentum ſtatim agnoſcentes, noſtroque tempore nullus ultro eſt, qui de circuitu ſanguinis, ab HARVEIO inuento, dubitare audeat.

p. 250. Lympham ex minimis vaſis pellucidis ad ductum thoracicum vehi, oſtendunt vincula. Tumet enim vaſculum inter haec et extrema, contra vero collabitur et euaneſcit inter cor et ductum. Idem hoc confirmat valuularum ſtructura. Eadem enim lymphaticis eſt, quae venis, earumque ſinus ductum thoracicum, conuexa vero pars extrema reſpicit. Inde etiam fit, ut liquor iniectus aut aer impulſus ab inferioribus

ſerioribus facilius quam a ſuperioribus verſus inferiora penetret. Accidit tamen aliquando, ut liquore, a ſuperioribus iniecto, valuulae cedant; hinc etiam BILSIO error natus fuit, opinanti, lympham a ductu thoracico verſus minima vehi. Licet autem quaedam valuulae cedant, paulo tamen poſt liquor ſeu aer haeret, vaſa extendit, et viri iſtius errorem facile manifeſtat. Idem hoc iter liquori in venis minoribus rubrum ſanguinem non vehentibus eſſe, analogia ſuadet. Si enim arteriae v. g. non rubrae lenti cryſtallinae humorem continuo afferunt, ſequitur omnino venas dari, humorem reſorbentes et reuehentes. Iſte enim, aliter non diſſipandus, lentem inſigniter diſtenderet, molemque eius augeret.

Quartus liber, in corde occupatus, primo eius p. 256. velamenta extus circumpoſita deſcribit. Cum itaque cor in thorace poſitum ſit, is autem membrana intus inueſtiatur propria, pleura dicta, haec inde ſtatim conſideranda venit. Simplex ea, nunquam duplex eſt membrana, ex tela celluloſa conficitur et ad dorſum robuſtior eſt, quam ad ſternum. Formantur ex hac duo ſacci, quorum dexter breuior aſt latior, ſiniſter vero longior eſt. In medio pectoris iſti ſacci ad ſe inuicem accedunt, et mediaſtinum formant, idque, inter ſternum et pericardium conſpiciendum, anterius dicitur, quod autem pone pericardium ad dorſi vertebras eſt, nuncupatur poſterius. In anteriori inter duas, quibus formatur, laminas cauea eſt, quae thymum, adipem multum, glandulas conglobatas, arteriarumue mammariarum truncos continet. Inter poſterioris autem laminas oeſophagus et glandulae conglobatae, inque eius ſuperiori parte trachea, arteria et vena pulmonis, azygos et aorta reperiuntur. Aliter tamen ſe res habet in brutis. Vaſa praeterea tum arterioſa tum venoſa

 poſſidet,

poſſidet, quae a variis in pectore reperiundis vaſis
proueniunt.
p. 266. Pericardium, quod mediaſtino obtegitur, cum-
que eius laminis ope telae celluloſae connectitur pe-
culiaris eſt ſaccus, a mediaſtino non formatus, et
diaphragmati in homine tantum, ob ſitum erectum,
incumbens huic et vaſis magnis, minime autem cor-
di, adhaeret. In hoc, pericardio, ſex ſeptem vel
octo reperiuntur foramina, per quae vaſa exeunt aut
intrant; et coeci praeterea in eo deprehenduntur
apices, qui cornua dicuntur. Pericardium membra-
na eſt omnium robuſtiſſima, fibris deſtituta et ex ſo-
la tela celluloſa facta, quae ex unica duntaxat lamina
conſtat, exterius celluloſitate aliqua cincta. Falſum
itaque eſt, eam ex duabus, tribus aut pluribus com-
poni, eandem autem muſculoſae naturae non eſſe,
experimenta oſtendunt. Pericardium enim ſcalpello
aut oleo vitrioli irritatum nunquam contrahitur. Ar-
p. 278. teriae et venae, quibus hoc donatur a variis ibi adia-
centibus trunculis proueniunt, neruuli vero iſtud
tantum penetrant et ad cor abeunt; hinc obtuſus
p. 280. aut nullus ei ſenſus eſt. Aqua autem pericardii li-
cet a quibusdam negetur, accuratioris tamen anato-
mes experimenta eius praeſentiam in homine non ſo-
lum ſed et in omnibus animalibus oſtendunt. Haec
aqua tenuis, gelatinoſa coagulabilis ideoque eadem
fere eſt, quae lympha, ſique ſpiſſeſcit varia mala
producit, quare fit, ut diſſectis hominibus cor inter-
dum fibroſum, piloſum, hirſutum et fungoſum ap-
pareat: Imo ob eandem hanc cauſſam, lympham
nimirum inſpiſſatam, celluloſa quaſi tela, ſed vitio-
ſa, naſcitur, quae cor cum pericardio nectit, ita, ut
difficulter dein hoc ab illo ſeparetur et tam arcte un-
diquaque interdum ei adhaereat, ut non nulli inde
decepti cor absque pericardio repertum eſſe, dix-
erint.

Magna

Magna autem pericardii utilitas eſt, quae in eo p. 290.
conſiſtit, ut cor firmetur, neque dextrorſum neque ſiniſtrorſum vacillet, ideoque motus ſemper ſeruetur aequabilis. Verum aqua pericardii interdum etiam morboſe colligitur et augetur, isque ſtatus tunc hydrops pericardii audit, a quo autem varia mala dependent. Ita enim pulſus inaequalis, cordis palpitationes, reſpiratio difficilis, decubitus moleſtus et alia obſeruantur complura. Itaque aqua iſta nec nimis parca nec etiam copioſa coalitionem pericardii cum corde impedit, et frictionem eius moti temperat. Fontes, ex quibus aqua haec manat, neque in ductu thoracico neque in thymo nec etiam in glandulis conglobatis multo minus autem in glandulis, pericardio falſo adſcriptis, ſed unice in ultimis arteriolarum emiſſariis quaerendi ſunt; ex quibus vaporis ſpecie lympham iſtam effluere, varia experimenta oſtendunt, quae etiam venarum, a quibus illa lympha reſorbetur, praeſentiam inſimul probant.

In hoc pericardio locatur muſculus cauus, ſan- p. 297.
guinem in maximas animalis arterias expellens, qui cor dicitur. Hoc omnia animalia quadrupeda, aues, piſces et inſecta gaudent, in non nullis tamen, ut in polypis, ſpongiis, alcyoniis aliisque marinis zoophytis non obſeruatur, et in uniuerſum abeſſe dicitur, *quoties totum animal unum continuumque inteſtinum eſt, tum in omnibus beſtiolis, quae nulla a toto reliquo corpore diuerſa vaſa, propriis percurſa humoribus, nacta ſunt.* Cordis figura in homine conica eſt, et, ut conus, baſin hic cutem variis additamentis auctam, nec non mucronem quoque habet, qui bicollis eſt, ex duorum quaſi conorum apicibus, crena diuiſis, formatus. Locatur cor in ſiniſtro thoracis p. 301.
latere, eiusque baſis vertebras, apex coſtas oblique reſpicit, inferior vero eius facies pericardio incumbit, et unice cum reliquo corpore per vaſa connectitur. Alium habet ſitum cor in quadrupedibus,

quippe

quippe in quibus, ſupinis, baſis ſuperior capitique propior, apex vero inferior ſeu abdomini vicinior reperitur. Inde igitur factum eſt, ut erronea illa dextri et ſiniſtri ventriculi vox oriretur, quae quidem res in brutis nunquam autem in homine vera eſt: Mutat tamen cor et in homine ſitum, prout iſte corporis ſitum varie mutat. Aliter ſi cor locatum reperitur, pro naturali tunc minime habendus, ſed ſemper vitioſus eſt dicendus ſtatus.

p. 304. Auriculae ſunt duae cordis appendices, ſanguinem venoſum recipientes, quae in omnibus animalibus, calido ſanguine duplicique cordis ventriculo praeditis, duplices ſunt; quibus vero ſanguis in vaſis frigidus unusque tantum ventriculus eſt ut piſcibus pluribus imo et quadrupedibus ouiparis, ea unica
p. 307. duntaxat auricula gaudent. Auricularum anterior dicitur dextra, et venis cauis annectitur, quarum inferior valde breuis, aſt ſuperiori longior eſt, fabrica tamen in utrisque prope cor reperitur muſculoſa. Interior auriculae fabrica ex lacertis muſculoſis conſtat, quorum finis duplex eſt: Alter enim in auriculae coniunctione cum corde, alter autem in laeui auriculae parte, quae ſinus dicitur, nec in ſepto auricularum apparet. Duae de reliquo membranae auriculam hanc conſtituunt tenerrimae, inde haec facile diſtendenda et rumpenda, et ob muſculoſas fi-
p. 312. bras exquiſite irritabilis eſt. Huic demum leuis aliqua apponitur particula, quae ſinus dexter dicitur, duabus membranis fibrisque muſculoſis conſtans. In ſepto, quo auricula dextra a ſiniſtra diuiditur, locus quidam pellucidus deprehenditur, qui foſſa dicitur oualis, carneo arcu circumdata, annulo ouali dicto. Ad oſtium venae cauae inferioris membrana ponitur, quae valuula EVSTACHII audit, et in omnibus hominibus reperitur, nullo rete nullisque foraminibus, niſi contra naturam, praedita, impediens ne ſanguis, cauea auriculae receptus, inferiorem cauam venam intret.

intret. Pone auriculam dextram aliud cauum cerni p. 320.
tur, quadratum fere, quod ſinus ſiniſtri nomine venit, una cum appoſita parua particula, auricula nuncupata. Hic ſinus quatuor venas, a pulmone prouenientes, recipit, et ex duplici membrana tenera, inter quam carneae fibrae decurrunt, conſtat, interne vero laeuis eſt, et dextra cauea anguſtior dicitur.

Cor, proprie dictum, ſeu ventriculi cor conſti p. 324.
tuentes exterius membrana cinguntur, quae ab extima vaſorum, cordi annexorum, prouenit. Sub hac celluloſa tela reperitur, in quam hinc inde adeps et interdum materies morboſa arenoſa aut alia deponitur. Ventriculus dexter ſeu anterior a baſi ad mu p. 326.
cronem uſque conicus fere eſt, ventriculoue poſteriori latior quidem aſt breuior et debilior apparet, cauus de reliquo, muſculoſus et irritabilis. In utroque ventriculo tenera membrana faciem internam inueſtit, multique inſimul lacerti muſculoſi ibi deprehenduntur. Eo in loco, ubi auricula dextra cum ven- p. 329.
triculo connectitur, circulus calloſus eſt, qui nullum muſculi veſtigium, nullumque tendinis exhibet. Ex hoc oſtio auriculae membrana interna producitur, quae ex duplici lamina conſtat, et annulum quaſi, in non nullis locis latiorem in aliis anguſtiorem, inque ventriculo fluctuantem ſiſtit, ab aliis pro valuulis tricuſpidalibus habitum. Annuli huius fines, propriis vinculis, quibus cum corde connecti poſſent, deſtituuntur, cohaerent autem cum tendineis iſtis filamentis, quae muſculi parui cylindrici, papillarum figurae non abſimiles, inque cordis carnem inſerti, emittunt. Iſte annulus muſculoſus non eſt, et temporis tractu durior euadit, quid? quod cartilaginoſus interdum aut plane oſſeus. Productos huius annuli fines plerumque in tres diuidunt; ſed, quinque interdum et duos etiam reperiri anatome docet. Al- P. 335.
terum oſtium, quod in hoc ventriculo eſt, ad arteriam pulmonalem ducit: Id, ubi cernitur, in corde

circulo

circulo terminatur, qui ab eo formatur, tendineus autem non eſt. Huic oſtio tres praeponuntur valuulae, ob figuram ſigmoideae vel et ſemilunares dictae. Hae, verſus cordis cauitatem conuexae, verſus arteriam vero concauae ſunt, et ex duplici membrana conſtant, medioque in margine, qui ipſa valuula durior et liber eſt nec adhaeret, nodulus reperitur. Valuulae praeterea fibras albas ſplendidas nec tamen irritabiles habent, minime cauſſam ſiſtentes, ut arteria claudatur, ſed quo magis ſinus iſti ex-
p. 339. panduntur, eo magis arteria clauditur. Dextro hoc ventriculo omnia animalia gaudent, nec tamen aeque ſiniſtro; ſiquidem in multis vel pulmone vel calido ſanguine carentibus unus tantum, in aliis autem pulmone inſtructis calidoque ſanguine praeditis, duo ſemper reperiuntur ventriculi. De tribus autem, quos obſeruatos non nulli putant, merito dubitatur. Inter utrumque ventriculum vero reperitur ſeptum, quod ex utriusque carne miſta conſtat, porosque habet, qui coeci ſunt.

p. 343. Ventriculus ſiniſter, qui et poſterior vocatur, anteriori longior et anguſtior eſt. In hoc duo deprehenduntur oſtia, in quorum altero, venoſo dicto, annulus, ex duplici membrana conſtans, fortis et craſſus eſt, in duas productiones abiens, valuulas mitrales dictas. In has, atque quidem intra earum membranas, frequenter oſſea aut alia materies effunditur, ob quam indurantur. De reliquo plera-
p. 345. que in hoc cum illo conueniunt. Alterum oſtium, arterioſum dictum, cum arteriae pulmonalis oſtio, fere conuenit, et linea alba circumcingitur, ex qua aorta prodit. Huic oſtio praeponuntur valuulae, quae, fabricae valuularum arteriae pulmonalis ſimiles, ſemilunares dicuntur, numeroque tres ſunt. Media in ſede orae valuularum liberae noduli conſpiciuntur, non a tritu aut morboſo ſtatu orti ſed naturales. Valuulae hae ſaepe oſſeae, ſcirrhoſae, cartilagino-

tilaginoſae imo coalitae et interdum exeſae repertae ſunt, atque qua facie aortam reſpiciunt, ſinus oſtendunt, qui quidem in adulto, minime autem in recens nato apparent. Os cordis, quod interdum reperitur, ad morboſum ſtatum pertinet, et in maioribus adultioribusque animalibus circa aortae ortum cernitur.

Quod ad intimam cordis fabricam, partes nimirum ſimilares ſpectat, cor ſane totum muſculoſum, fibrasque eius ramoſas et reticulatas, nunquam autem rectas reperiri, anatome docet. Veras autem fibrarum ſeries definire, res ſane difficillima eſt, videntur tamen uniuerſae obliquae eſſe, ita, ut *transuerſis pleraeque quam rectis* propiores ſint. p. 349.

Nerui cordis varias agnoſcunt origines. Primus enim, qui ſupremus aut, quia in ſuperficie conſumitur, ſuperficialis dicitur, inſigni faſciculo a ganglio ceruicali ſupremo, alter faſciculus, qui magnum cordis plexum conſtituit, a ganglio ceruicali medio, ultimusque demum neruos cordis infimos conſtituens, a ganglio ceruicali infimo, prouenit. p. 357.

Arteriae cordis propriae, coronariae dictae, nullis valuulis tectae ſupra valuulas, aortae praepoſitas oriuntur, ita, ut eodem tempore, quo ſanguis, ventriculo ſiniſtro contracto, in aortam pellitur, arterias coronarias ſimul intret. Inde ergo falſum eſt, haſce arterias ex valuularum ſinubus oriri, hocque errore detecto, falſum etiam eſt, cor in contractione expalleſcere. Nunquam enim cor in animalibus, quibus iſtud craſſum eſt, pallorem concipit, quibus vero idem tenue eſt, ut animalibus frigidis, eorum quidem cor pallet, dum contrahitur, ſed pallor iſte non niſi a tenui cordis carne dependet, quae ob inanitam caueam pallet et ob repletam poſthac rubet. Arteriae de reliquo duae ſemper in homine reperiuntur, neque plures neque pauciores, et valuulis deſtitutae interiorem membranam ſolidam et albam p. 366.

minime

minime autem rubellam et plicatam habent. Ex utraque tandem hac arteria innumeri procedunt ramuli, qui ubique inter ſe anaſtomoſi iunguntur, omnesque cordis lacertos muſculoſos perreptant.

p. 375. Venae cordis tres in primis, ut pote maiores, aſſumuntur, et ſub magnarum, mediocrium et minimarum nomine deſcribuntur. Magnarum princeps coronaria audit, eiusque oſtium in dextrae auriculae faciem poſteriorem hiat. Huic valuula ſemilunaris praepoſita eſt; de reliquo venis iſtis, ex hac prouenientibus, nullae ſunt. Reliquae maiores venae dicuntur vena cordis media, vena ſinus dextri, innominatae et anterior, haeque fere omnes oſtiis ſuis in auriculam dextram terminantur. Hiſce venis reperiuntur minores, quae mediocres vocantur, et propriis oſtiis vel in ſinum vel in aurem dextri lateris deſinunt. His tandem etiamnum minores, minimae dicuntur, quarum oſtiola per utrumque ſinum et utrumque ventriculum diſperguntur.

p. 384. Glandulae in corde non ſunt, in ſolis forte piſcibus glanduloſum quid aſſumendum. Aſt vaſa lymphatica in corde adeſſe, varia experimenta docent.

p. 385. Non quieſcit cor, dum animal viuit, ſed mouetur, isque motus omnis in contractione ponitur, quae ſyſtole dicitur. Hac abſoluta cor dilatatur, inque eum ſtatum tranſit, quem diaſtolen vocant. Hic autem ſtatus cordis naturalis, ille vero violentus eſt. Cum itaque, ceſſante cordis contractione, neceſſario ſequatur dilatatio, haecce proinde nunquam actio dici poteſt, neque etiam ad muſculoſam vim pertinet. Experimenta id clarius exponunt: Cordis enim quieti et relaxati fibras irritatas criſpari et moueri ſtimuloque ablato iterum quieſcere, docent. Dum vero cor contrahitur, breuius iſtud fit, ita ut apex ad baſin accedat, nunquam autem elongetur, licet ſint, qui contrarium affirment. Mutata vero cordis per ſyſtolen figura, mutatur etiam ſitus, ita ut apex, dex-

dextrorſum et antrorſum motus, quintam ſextamue coſtam tangat et pulſum ibi manifeſtet; inde pulſus cordis a contractione, non autem a dilatatione, dependet. Pari etiam ratione auriculae, dum ſeſe mouent, contrahuntur et in contractione una cum partibus ſuis breuiores fiunt.

Ventriculos una cum auriculis contractos ſangui- p. 395.
nem expellere, experimenta docent. Error igitur eſt, ſi dicant, ſanguinem e corde dilatato effluere. Quae diaſtole ſeu cordis dilatatio dicitur, ea nunc explicatu difficilis non eſt. Habet enim omnia, contractioni contraria. Sic rugae cordis euaneſcunt, ipſumque cor laeue, longius, planum et molle fit.

Sed cuiuslibet partis pulſum nunc conſideremus. p. 399.
Initium a venae cauae pulſu eſto! Haec tum ſupra tum infra cor ex fibris muſculoſis conſtat, quibus irritatis vena caua contrahitur; hinc vere irritabilis eſt. Ob hanc igitur naturam irritabilem, venam iſtam contrahi, hincque ſanguinem valide in auriculam propelli, iam ratio ſuadet, ſed multo magis experimenta confirmant. Pulſum hunc excipit auriculae dextrae pulſus; ſanguinem nimirum, a vena caua in iſthanc auriculam pulſum, haec recipit, ſeque, dum irritabilis eſt, ſtatim contrahit, ideoque pulſat. Aſt duplex ibi ſanguinis iter eſt: Iſte enim, cum valuula EVSTACHII venae cauae oſtium minus arcte tegat, vel refluit, vel, reſiſtentiam ſi patitur, dextrum ventriculum intrat. Quodſi vero ſanguis inter- p. 401.
dum in auricula dextra, vel in dextro ventriculo, aut pulmone aut alio etiam loco remoram patitur, iſte in dextra cumulatur auricula, quae impatiens ſanguinem premit, preſſumque ſummo bono in venam cauam cogit. Sed naturali lege, nec quidquam obſtante, ſanguinem ex auricula recipit ventriculus dexter, dumque oſtium, quo ſanguis exit, aperitur, annulus iſte valuuloſus, huic praepoſitus, ita verſus oſtium, quod ad pulmonalem arteriam ducit, pro-

pellitur, ut haec illo obtegatur, ideoque impediatur,
quo minus ſanguis ab auricula in arteriam tranſeat.
p. 404. Sanguine ergo auricula diſtenta contrahitur, hacque
contracta dilatatur ventriculus, unde fit, ut faciliori
negotio ſanguis ventriculum intrare poſſit. Hic in
arteriam pulmonalem propellit ſanguinem, qui vero
interdum in auriculam regreditur; id tamen non niſi
in animali moribundo aut quibus ſanguis frigidus eſt,
obſeruatur. Valuula enim oſtium tam arcte in ſano
vegetoque claudit, ut ventriculus, ſanguine dilatatus,
potius crepet, quam auricula iſtum ſuſcipiat.
p. 408. Ex arteriae iſtius ramulis ſanguis in calidis animalibus
fluit in venulas, quae in truncos collectae ad cor
ſiniſtrum abeunt. Arterioſos autem ramulos in venas
continuari varia experimenta anatomica, microſcopia,
imo etiam morbi, in primis polypi in venis
pulmonalibus aut corde ſiniſtro reperti, euincunt,
haſque venas, ſinui ſiniſtro ſanguinem tradentes,
pulſare oculi pariter confirmant. Ex hiſce venis ſanguis
a ſinu ſiniſtro recipitur, qui eo diſtentus et irritatus
contrahitur. Eo igitur contracto ſanguis unice
in ventriculum ſiniſtrum tranſit, nec unquam in ſtatu
naturali in venas pulmonales regreditur. Licet
enim thorace aperto regreſſus ſanguinis obſeruatus
fuerit, is tamen a pulmone collapſo, venae ſuae nullum
ſanguinem mittente, deducendus eſt. Dum autem
ſanguis ventriculum intrat, et oſtium aperitur,
huius inde valuula aortae oſtio praeponitur et cauet,
ne debili ſinus contractione debili vi in aortam pro-
p. 411. pellatur ſanguis. Hic ſanguinis circuitus minor dictus
et a veteribus ad ſeculum uſque decimum ſextum
ignoratus, a SERVETO primum detectus poſtmodum
autem ſubſequente ſeculo ab aliis confirmatus
eſt. Aſt, ventriculo ſiniſtro contracto, valuula venoſa,
oſtio arteriae praetenſa, retrahitur, hinc via
in aortam patet, ſanguiſque tunc valuulas ſemilunares
ad parietes apprimit, in arteriam exit, ventri-

culum-

culumque inanem relinquit. Sanguine nunc in aortam propulſo, valuulae illae praetenduntur et obſtant, ne ſanguis in ventriculum retrogrediatur. Harum fabrica ſi perpendatur, rem clariorem reddit, ſanguinemque nunquam in ſano ſtatu regredi poſſe, oſtendit.

Sed tempora nunc conſideranda ſunt, quibus p. 415. cordis partes in motu ſibi ſuccedunt. Eſto iterum a vena caua initium! Dum haec contrahitur, ſimul etiam venae pulmonales in ſyſtole cernuntur, tunc utraque auricula inſimulque ſinus, neque igitur diuerſo tempore, ſanguine replentur. Quibus repletis, eorum ſequitur contractio, tunc autem uterque diſtenditur ventriculus, dum vero hi replentur, diſtentae etiam ſimul apparent venae, inde ventriculorum et venarum motus ſynchroni ſunt. At, vera haec eſſe, ipſi oculi confirmant; hinc ea, quae LANCISIO quaeque NICHOLLS fuit opinio, falſa omnino videtur, eique adeo ipſa cordis et auricularum fabrica obſtat.

Quies etiam cordis ſeu motus finis commemo- p. 423. randus eſt. Moribundum itaque animal aſpiciamus! In hoc ventriculorum motus primo ceſſat, ita tamen, ut dexter diutius paulo ſiniſtro pulſare pergat. Quieſcunt dein auriculae atque quidem ſiniſtra prius quam dextra. Omnium autem ultimae ſunt vena caua venaeque pulmonales, inter quas caua poſtremo quieſcit.

Vires cordis magnae ſunt, atque primo quidem p. 426. vis eius in capillares arterias penetrat, ita, ut ſanguinis arterioſi celeritate langueſcente aliqua ſemper in globulis ſuccuſſio a corde contracto animaduertatur, et quiuis ad cor recedens globulus in ordinem reducatur. Verum et in venulas ſanguinem vi cordis agitari, experimenta docent, hancque eandem et in vaſcula minora, rubrum humorem non vehentia, continuari, minime quidem experimenta ſed ratio

ſumma, et multiplex, ad varia phaenomena adhibita, attentio ſuadent.

p. 430. Inter partes animales cor ſecundum obſeruationes, in pullo inſtitutas primum mouetur, atque ab hoc motu viſcerum etiam figura, ſoliditas aliaque dependent. Idem in foetu ad reliqui corporis portionem comparatum maius eſt; hinc in iuniori, pro ratione corporis, plus ſanguinis intra datum tempus per cor fluit quam in adulto, inde etiam pulſus numeroſiores. In genere autem notandum eſt, cor ſemper in iis animalibus, quibus minor eſt ſtatura, maius eſſe, et minus contra in iis pro ratione corporis, quae grandiora ſunt. Auibus ergo, animalibus ferocibus, audacibus omniumque animalium maſculis ſemper corda maiora cur ſint, facile nunc intelligitur. Aſt obiiciunt hic, ſanguinem in vaſis moueri, eorum etiam, quae corde deſtituuntur, porro ſanguinis motum continuari, corde licet euulſo, denique motum cordis ad producendum ſanguinis, per totum corpus circumeuntis, motum minime ſufficere, hinc arteriarum requiri contractionem, per minimorum vaſculorum oſcillationem, inuiſibilem, aut aerem, calore expanſum, demonſtrandam.

p. 438. Ad haec vero facilis datur reſponſio. Quod enim ad cordis abſentiam ſpectat, iſtud ſane quondam adfuiſſe, ſenſim tamen ſenſimque ita conſumtum, ut vires inſimul vitae debilitarentur, debilesque has vires, adhuc deprehendendas, ſuperſtitem aliquam partem cordis ſuſtinere, ſtatuendum eſt. Res clarior erit, ſi ad alias partes attendamus: Sic cerebro, grauiſſimis malis afflicto, viuitur. Aſt, oſcillatio, quae, corde quieſcente, in ſanguine ſupereſt, a ſola quadam attractione dependet. Atque arteriarum vis contractilis, quae obiicitur, ita comparata eſt, ut vix attendi mereatur. Cum enim paucae fibrae muſculoſae in arteriis reperiantur, eaedemque non adeo

adeo ſenſiles ſint, parua etiam vis arteriarum ad cor omnino erit. Vis dein vaſorum attractilis minime p. 442. pro ſanguine mouendo aſſumi poteſt. Nam praeter id, quod vaſa capillaria non ſugant, attendendum etiam eſt, ſanguinem in minimis arteriolis ſolidiorem eſſe quam in venulis capillaribus; inde ſecundum obiectionem ſequitur, ſanguinem magis ex venis retrahi quam a maioribus arteriis ad minores adduci. Oſcillans porro vaſorum vis nulla eſt. Si enim haec p. 443. adeſſet, ſequeretur, ut minora vaſa irritabilia ſint. Sed haec vel nulla vel admodum debilis eſt; ſique etiam adeſſet, tunc maius omnino obſtaculum, circuitui oppoſitum, enaſceretur. Tandem etiam nec p. 445. ab aeris atmoſphaerici nec aeris etiam intra corpus ſuſcepti calore ſanguinem in motu adiuuari, accurata ad frigoris caloriſue effectus attentio deprehendit. Itaque ſolius cordis vis primaria ſanguinis motus p. 446 cauſſa habetur, haecque tanta eſt, ut magnum ſanguinis pondus a corde non ſolum moueatur ſed et celerrime proiiciatur, ita, ut v. g. tempuſculum, quo cor pulſat et quo arteria poplitis, nunquam diſtingui poſſit. Licet autem multi atque magni quidem p. 448. viri vires cordis ad numeros vocare ſtuduerint, certos tamen librarum pedumque vix inueniri poſſe, putandum eſt.

At vero, quaenam motus cordis cauſſa? Ea ſa p. 459. ne proxima in fibris carneis earumque conſtrictione poſita eſt, ſed harum motus ſingularem cauſſam agnoſcit. Licet enim vis fibrarum contractilis aliquo modo a neruis dependeat, tamen experimenta, vim iſtam a neruis acceſſoriam tantum eſſe, probant. Neruis enim, a pari vago aut intercoſtali prouenientibus ligatis pariterque medulla ſpinali ligata motus non tollitur, et ſi haec et illi diſſecantur, mors quidem accedit, ſed motus per aliquot tempus continuat. Ergo alia motus cauſſa adſit, neceſſe eſt. Haec in natura, cordi propria, quam irritabilem p. 465 dicas,

dicas, quaerenda eſt, eamque varia experimenta manifeſtam reddunt. Ita cor quietum, pectore animalis mortui aperto, ab accedente aere in motum excitatur. Eo potentior eſt calor. Aqua enim calida adſperſa cor ad crebriores contractiones diſponit. Idem hoc praeſtant variae irritationes ſcalpello, acu, ſalibus acidis mineralibus aut aliis perficiendae. Quanquam autem irritabilitas iſta, qua cor omnes partes corporis ſuperat, magna ſatis eſt, hanc tamen naturam in interna ſuperficie cordis multo maiorem atque inter ipſas cordis partes in auricula dextra maximam eandem eſſe, aer, per venam cauam aut ductum thoracicum impulſus, omnino euincit. Iuniorum de reliquo animalium corda, et eorum etiam, quae uno ventriculo praedita ſunt, magis irritabilia calidiorumque, caeteris paribus debiliora eſſe, eadem experimenta oſtendunt.

p. 470. Sed unde iſta vis? An a neruis? Minime. Cordis enim euulſi, imo in partes diſſecti, non ſolum in frigidis ſed et calidis animalibus continuatur motus. Quaenam igitur perennis huius et conſtantis in corde motus cauſſa? Ea ſane nec a calore innato, qui omnino nullus eſt, nec etiam a neruis peculiaribus, vitalibus dictis, dependet. Cum enim animalia reperiantur, quae aut nullam aut obſcuram cerebri a cerebello diuerſitatem habent, aut quae cerebellum omnino nullum poſſident, ſententia a WILLISIO, VIEVSSENIO aliisque, pro neruis vitalibus allata, ſtare prorſus nequit. Cumque praeterea cerebellum cauea propria, quartum ventriculum appellant, et ſinubus impoſitis praeditum ſit, arteriasque cum cerebro communes habeat, nulla vera cerebelli a cerebro aſſumenda eſt diuerſitas. Sed, quamuis multi affirment, vulnera cerebelli lethalia eſſe, non deſunt tamen exempla, a VESLINGIO, PLATNERO aliisque allegata, quibus probetur, cerebelli vulnera non ſolum minus ſubito occidere

occidere ſed et adeo cerebello vulneratos ſanitati reſtitutos eſſe. At non dantur etiam nerui cerebelli, p. 474. functionibus vitalibus peculiariter dicati. Proueniunt enim non nulli a cerebello, qui ad organa, ſenſibus et motibus voluntariis deſtinata, abeunt, et proueniunt contra a cerebro, qui ad vitalia tendunt. Sed nulla etiam animae peculiaris in cor eſt poteſtas, p. 480. ut STAHLIVS aſſumſit. Cor enim exemtum, a que omni animae commercio remotum, a ſtimulo mechanico ad motum diſponi, experimenta docent; motusque arbitrarios cum ſpontaneis, hosque cum illis nunquam ita confundi, ut, qui ſpontanei ſemper fuerunt, arbitrarii fierent, experientia confirmat. Sed neque etiam anima in corde reſidet: Dantur p. 485. enim exempla, quibus probetur, homines, corde euulſo, voces aliquas protuliſſe, ipſisque oculis cor contemplatas eſſe. Ergo anima ſolo in capite reſidet. Sed nec ab ea etiam ſede cordis motus dependet: Animalia enim non nulla, capite auulſo, ſeſe ultro mouent, ideoque probant, aliam motus in corde ſupereſſe cauſſam. Quae vero ROBERTO WHYTT fuit ſententia, quod nimirum anima et in corpore et in cerebro ſit, hincque cor aliaue de corpore reſecta organa pergat animare, ea ſane nunquam veritati conſentanea eſt. Artus enim truncatus manet quidem irritabilis, ſed nunquam ſentit, hinc nullum etiam in partem ſeparatam animae imperium, ſiquidem ea unice ſenſus cauſſa eſt. Ergo magna cordis, p. 488. qua omnes muſculos ſuperat, irritabilitas ſola motus cauſſa eſt, minime tamen a neruis dependens. Eos enim circa cor numeroſiores quam ad muſculos non eſſe, forte tamen magis nudos, anatome docet. Si itaque cordis irritatio perpetua eſt, requiritur omnino ſtimulus, quo cor irritatum ad contractionem diſponatur. Hunc ſtimulum a ſolo ſanguine venoſo, in cordis auriculam dextram tranſeunte, prouenire cordisque motum hinc excitari, clara utique euin-

 cunt

cunt experimenta. Sique demum perpendamus, ſanguine detracto cordis vires frangi, eo autem aucto contra augeri, res ſane confirmatur ulterius. An vero neruea vis aliquid ad motum confert? *Minime, certe, improbabile eſt, etiam cordi per neruos vim motricem accedere, quae motum, a natura irritabili pendentem fortiorem et celeriorem efficiat.*

p. 494. Verum, inter cordis partes auricula dextra omnium ultima reliquas ſuperuiuit, ſiniſtri vero cordis caueae omnium primae quieſcunt, idque quidem eam ob cauſſam, quia pulmone quieſcente nullus ultro ſanguis ad has venit, atque contra eodem tempore continuo in dextram auriculam quidquam ſanguinis tranſit. Ex his facile nunc intelligitur cauſſa, cur homines, aqua ſubmerſi, aut animi deliquio appreſſi, ſtimulo quocunque applicato ad vitam reuocari poſſint. Eo enim applicato nerui irritantur, qui dein muſculos irritant et ad motus vehementiores diſponunt. His autem motis ſanguis venoſus mouetur, qui deinde ad venam cauam tandemque ad auriculam dextram tendit, hinc eam irritat, et ad
p. 497. contractionem diſponit; ſicque vita reuocatur. Pariter nunc quoque intelligitur, cur ante ventriculos auriculae pulſent. Cum enim iſtae prius quam ventriculi ſanguinem accipiant atque cum ſanguine ſtimulus cumque hoc motus ſimul adueniat, haec autem cuncta auriculis prius quam ventriculis accidant, non poteſt etiam fieri, quin ante ventriculos auricu-
p. 498. lae pulſent. Quae tandem alterni ordinis cauſſa ſit, qua nimirum cordis partes conſtringuntur et laxantur, variae apud auctores exſtant hypotheſes, ita tamen comparatae, ut experimentis contrariae pro falſis inde haberi debeant. Vera itaque huius phaenomeni cauſſa ſimplex omnino eſt nec adeo latet.
p. 504. Stimulus nimirum, cordi applicatus hanc cauſſam ſiſtit. Dum enim auricula ſe contrahit, a ſanguine tunc, hinc ergo a ſtimulo, ſe liberat. Liberata autem

tem laxatur, et quaſi quieſcit. Aſt ſanguis tunc in vena caua iam praeſto eſt, qui laxam auriculam intrat, ſtimulat, et ad contractionem iterum diſponit. Atque eadem etiam ratio in ventriculis locum inuenit. Eo enim tempore, quo ventriculus ſe a ſanguine, ceu ſtimulo, liberat, is contrahitur; liberatus autem ab eo laxatur, tuncque ſanguis ex auricula iterum accedit, ſtimulat et eundem ad contractionem pariter diſponit. Ergo ſtimulus a ſanguine, alterne adueniente, unice pro cauſſa aſſumendus eſt.

X.

Hiſtoire naturelle du Senégal. Coquillages. Avec une relation abregée d' un voyage fait en ce pais, pendant les années 1749, 50, 51, 52, 53. Par M. ADANSON, Correſpondant de l' Academie Royale des Sciences. Ouvrage orné de figures. à Paris, chés Claude Iean - Baptiſte Bauche. 1757. 4. 1 alph. pl. 11. fig. aen. 19.

i. e.

Hiſtoria naturalis Senegaliae. Conchylia. Accedit breue diarium itineris in hanc regionem ſuſcepti annis 1749, 50, 51, 52 et 53. Auctore ADANSONIO.

Rerum naturalium amore captus, cui iam deditus erat rerum ſacrarum ſtudium relinquens, Botanicam, praeeunte IVSSIEV utroque, colere incepit Cl. ADANSON, tantasque in hac doctrina inuenit delicias, ut et aliis hiſtoriae naturalis partibus operam nauare annifus fuerit. Inſtructus hoc doctrinae apparatu, eodemque ad obſeruanda quaeuis in naturae campis phaenomena praeparatus, de itinere quodam ad culturam ſcientiae phyſicae ac naturalis inſti-

tuendo cogitauit, et cum Galliae prouincias a dictis modo eruditis ſatis ſuperque, quoad rerum naturalium copiam diſquiſitas cognouerit, diſſitam quandam regionem inuiſere ſecum conſtituit; hac igitur de cauſſa aequinoctialem Africae partem, quam nemo antea peragrauit, ſuae diſquiſitioni aptam iudicauit, et, ut ex allegandis patebit, uberrimam ex quouis naturae regno corpora colligendi nactus fuit occaſionem. Praemittit vero, quam in hoc volumine ſibi deſcribendam ſumſit, conchyliologiae, concinnam totius itineris hiſtoriam, in qua breuibus geographica, oeconomica hiſtoricaque recenſet, e quorum numero pauca, quae propius nos tangunt, hic allegabimus; Anno huius ſeculi quadrageſimo nono, initio menſis Martii iter ſuum inchoauit et ſexto Aprilis Picum Teneriffae conſpiciebat. Eius altitudo milliare unum exaequat, iugum ſemper niuoſum, quamuis interdum flammas, nullo tamen tumultu, euomat. Medium fere inſulae occupat multisque ſaxis altis montibusque ſtipatus eſt; inſulae fertilitas magna omnibusque et Europaeis et Africanis fructiferis arboribus foeta. Vineae, quae vina, ſub nomine canarienſis et maluatici celebria, largiuntur, colles ornant. Montium auerſa facies, quae ſeptentrionem reſpicit, ſaxis rudibus ac aridis componitur. Adſcendendo, via non humo ſed cineribus, pumicibus lapidibusue ignem expertis, obtecta inuenitur, quibus
p. 13. eadem ac Lauae italicae facies eſt. Varias adducit plantas in hacce inſula reperiundas; quamuis enim terra niue adhuc obtegeretur, circa littus tamen duas ficoidum ſpecies, quarum prima *Aizoon, foliis cuneiformi ouatis, floribus ſeſſilibus*, altera *Meſembryanthemum foliis alternis, teretiuſculis obtuſis ciliatis* LINNAEO audit. *Iaſminoidem*, *Gladiolum utrinque floridum*, *Kleiniam foliis lanceolatis planis, caule laeui ventricoſo* in montium radice, in media eorum parte *Tithymalum dendroidem, linariae foliis*, in apice, *Euphorbiam*

phorbiam aculeatam nudam ſubquinquangularem reperit. Vnicam tantum uniualuium cochlearum ſpeciem, quam infra ſub nomine *Pouchet* deſcribit, inuenit. Aprilis vigeſimo quinto ad Senegaliae littora accedebat, ubi auem peregrinantem conſpiciebat, quae garruli ſpecies Auctori videbatur. Tunc clima incolarum mores, variaque Senegaliae hiſtoriam ſpectantia adfert; quibus tamen recenſendis hic ſuperſedere poſſumus, cum ſperamus, fore ut in ſequentibus Voluminibus, quae promiſit, omnem hiſtoriae naturalis ambitum fuſius ſit declaraturus, eaque, quae in hoc Volumine ſparſim de plantis, animalibus ac foſſilibus commemorauit, curatius explicaturus.

Expoſitis igitur, quae Senegalia offerebat memorabilibus nunc conchyliorum hiſtoriam ipſam aggreditur; cum enim noſtra aetas omnino plus quam praecedentia ſecula, ad hiſtoriae naturalis cultum adtulerit, et Noſter ſuam ſymbolam conferre voluit. Hinc eam partem, quae animalia teſtacea concernit ſibi colendam ſumſit quam nondum ita perfectam animaduertit, ut facilis exſtet conchylia cognoſcendi ac ordinandi via. Ob eam enim qua in ſuperficie ſuperbiunt colorum elegantiam, factum eſt, ut ad iſtam pigmenti pulchritudinem attendentes ii, qui de ſyſtemate quodam conchyliorum cogitarunt, in conſiderandis iſtis exuuiis ſubſtiterint, et animal iſtas inhabitans flocci pependerint. Alii quanquam deſcripſerint animal hocce dictum, neutiquam tamen illo ad condendam methodum uſi fuere. Ex iis itaque p. 6.
quas collegit in ſuo itinere Cl. Auctor obſeruationibus huc ſpectantibus, quaedam in hunc uſum impendere non dubitat. Quamuis autem Senegalia non quaeuis conchyliorum genera in muſaeis forte occurrentia ſuppeditet, tamen et alia omnino inuenit, quae nusquam deſcripta nunc conchyliorum gregem adaugent. Optaſſet, ut facta ipſi fuiſſet occaſio et maritimarum Galliae regionum et Oceani conchylia ſimul

mul perquirendi, et plenariam eorum dandi hiſtoriam, ſed nec otium nec aliae circumſtantiae id permiſere. Ex ea tamen, qua huc uſque Auctores uſi fuerunt, ordinandi conchylia methodo, ex ſolo tegmine ſiue valua petita, magnam ſatis ortam confuſionem aſſerit, quod et exemplis commonſtrat v. c. terreſtria marinis, operculata ſimplicibus, quin et partem unam biualuium, uniualuibus commixta interdum fuiſſe teſtatur. Maxima eſt difficultas inueniendi operculata integra, niſi viuentia ex mari depromere ipſa poſſis; nec eſt in teſtarum familiis determinandis ori ſiue aperturae fidendum, cum quaedam ſint, quae aliam iuuenes aliam adultae habeant oris formam, cuius cenſus purpurae et murices deprehenduntur. Hinc tantae confuſiones, quibus ſuperandis non pares eſſe poterimus, niſi ad animal intus latens attenderimus, quod unicum nos ducere in coordinandis conchyliis debet. Quam ob cauſſam factum eſt, ut Cl. Auctor in hoc ſuo opuſculo longe diuerſam, a conſueta veterum, methodum elegerit ad cuius ductum conchylia diſponat ac deſcribat.
p. 13. Diſtinguit conchylia in *cochleas* et *conchas*. Cochleas vel in *uniualues*, vel *operculatas*, conchas vel in *biualues* vel *multiualues* dispeſcit, quatuor hisce familiis inferiores plures ſubiuncturus. Ad inferiora genera determinanda characteres petit ab oculorum poſitu in cochleis, a figura branchiarum in conchis: alias corporis partes ad ſpecies varietatesque diſtinguendas adhibet. Nomina quod attinet, ſpeciebus noua prorſus nec unquam audita impoſuit. Quamuis enim ipſe magnum ſcientiae impedimentum ex eiusmodi nominum mutatione oriri aſſerat, eaque quae corporibus a doctis eruditisque viris ſemel impoſita fuerunt ſemper eſſe reſeruanda putet, attamen cum nominum pleraque, quae hucdum conchyliis data ſunt non ſolum impropria, ſed et aliis rebus communia vel ab imaginatione pendentia deprehendantur, opus ipſi videtur,

videtur, quamlibet ſpeciem nouo inſigniri nomine, quod ipſi ſoli proprium, nec cuiusdam alius corporis ideam excitat. Nec tamen, noſtra quidem ſententia, apta ſunt, quae Cl. Auctor elegit nomina, cum ob terminationes gallicas latinum ſermonem reſpuant, quae ſola eruditorum vernacula eſſe debet. Nec tantum quoque in hiſtoriae conchyliorum incremento oriri putamus impedimentum, ſi ſpecifica nomina, ab Auctoribus iam aſſumta, retinuerimus, cum voces ſemper ſint arbitrariae, et definitio nomen ornet, neutiquam vero nomen definitionem. Varia tunc ſubiungit de ipſo ordine, quo tractaturus eſt ſuam conchyliologiam, quae fuſius hic adferre nolumus, cum ex ipſis iis, quae ſumus adlaturi, plenius perſpici poſſint. Figuras additas, a REBOVL deſignatas ac ſculptas, non poſſumus non laudibus efferre digniſſimis ob ſuam elegantiam, qua omnino, eas a Cl. ARGENVILLE, nitidas ceteroquin ac pulchras, exhibitas, ſuperare videntur. Centum octoginta quinque ſunt, quas deſcribit ſpecies, quas omnes in Senegalia eiusque vicinis prouinciis collegit ac examinauit. Paucis p. 29.
his praefatis nunc ad ipſam ſe conuertit tractationem, et primum definitiones partium conchyliorum exponit, quas poſtea ad ipſam condendam methodum eſt adhibiturus.

Conchylium (*coquillage*) eſt animal, cuius corpus molle, nullo articulo praeditum, vel totum, vel ad partem cruſta lapidea tectum, quae teſta dicitur, cui arcte uno pluribusue muſculis adhaeret. Duplici modo conſiderandum eſt conchylium; vel enim animal, vel teſtam attendimus, et vel figuras vel numerum partium diſquirimus. Teſta, quae animali pro oſſe eſſe videtur, et ſubſtantiae cretae ſimilis calcareae, cum acidis efferueſcentis et diſſoluendae in iisdem deprehenditur, ad diſtinctionem in uniualues, operculatas, biualues, et multiualues anſam ſuppeditat. Quarum quidem ſimilitudines in decem partibus

tibus reperiuntur, in *Spira*, *Vertice*, *Apertura*, *Operculo*, *Valuis*, *Muſculorum Adhaeſione*, *Iunctura*, *Ligamento*, *Perioſtio*, *Superficie iridis colorem referente* (*nacre.*)

p. 31. *Spira* eſt conuolutio, quam efficit teſta ſeſe contorquendo. Spirae hae figurae ſunt plus minusue conicae omnibusque cochleis communes, exceptis *Sormet* et *Lepade*. Sed variat earum poſitus ad varia, ſupra quae conuertitur, plana, quae cum vel horizontalia, vel cylindrica, vel conica, vel oualia ſint, teſtam *diſcoideam*, *cylindricam*, *turbinatam*, vel *ouatam* formant. Numerum ſpirarum, computando a fundo ad apicem, varium dicit Cl. Auctor ex aetate et ſexu. Iunioribus enim paucae, adultioribus plures eſſe ſolent. Et ſexus ex ſpirarum numero in quibusdam, ut in Buccinis et purpuris determinatur, cum femellis pauciores magisque inflatae deprehendantur. Vt plurimum a dextra ad ſiniſtram animalis conuoluuntur ſpirae, dantur tamen interdum, quas vero inter rariſſimas numeramus ſpecies, contrario tractu contortae.

p. 35. *Vertex* (*le Sommet*) non in omnibus cochleis adeſt, nec in iis, in quibus conſpicitur, eiusdem figurae deprehenditur: in quibusdam enim umbilicum, ſeſe verſus interiora contorquendo, format, in aliis cauitatem efficit, in cuius centro extremum verticis ſub globuli rotundioris forma apparet, in aliis planus et compreſſus ſine eiusmodi globulo, in aliis eminentiam plus minus longam ac eleuatam oſtendit. Extremum unum verticis apex, alterum, in quo orificium teſtae incipit, baſis appellatur. Longitudo eius a fine primae conuolutionis cochleae ad apicem uſque determinatur, latitudo a linea, baſin transuerſim ſcindente, deſumenda. Concharum vertex eodem modo ac in cochleis earum baſin efformat, itidemque figura ſua variat; in quibus vero deeſt, iunctura pro vertice aſſumenda.

Apertura ſiue *orificium*, quam ob euitandam cum ore animalis confuſionem ita nominat, ſemper a latitudine extremitatis ultimae ſpirae formatur. Parallelam eam dicit, ſi eius directio cum axi teſtae una eademque eſt, ut in porcellana; ſi vero ab axis directione diſcedit, obliquam nominat. Figurae eſt vel rotundae, in cerita, vel ſemirotundae in nerita, vel oualis in lepade, vel allongatae in porcellana. Duo ipſi ſunt labia, dextrum aliud, aliud ſiniſtrum, a cuius latere ſemper umbilicus deprehenditur. Pluribus cochleis eſt in ſuperiori extremitate orificii foſſa ſiue canalis excauatus, mox breuis, mox longior, mox exciſus, mox integer, mox apertus, mox tectus, quem ſuperiorem canalem nominat Cl. Auctor; aliis eiusmodi ſulcus in extremo quoque inferiori eſt, ſemper breuis et anguſtior ſuperiori, ut plurimum non exciſus, inferiorem Auctor dicit. Concharum apertura, non niſi a rima longa a valuarum diſceſſu pendente, formatur. Dantur tamen quaedam, quae ſine eo, quod valuae ſeſe aperiant, aperturam monſtrant, ut ſolenes, pholades, quae in utroque extremo apertae inueniuntur.

Operculum eſt parua maſſa cartilaginea aut lapidea, figurae variae, ſemper tamen planae: adhaeret animalis pedi, in quibusdam circa extremitatem poſteriorem poſitum, in aliis circa medium longitudinis pedis, in aliis radici pedis implantatur. Figura eſt vel orbicularis, vel ſemirotunda, vel elliptica; ſuperficies externa lineis concentricis notata. In quibusdam exacte aperturam claudit, in aliis eam ex parte tantum obtegit. Differt cochlearum operculitarum operculum ab eo limacum terreſtrium hac de cauſſa, quod inde ab ortu natiuum ipſis adhaereat, cum hae ſibi operculum ex glutinoſo humore ac muco ſuo certis quibusdam temporibus ipſae conficiant, quod tamen nunquam corpori animalis continuum, nec lineis iſtis concentricis pictum deprehenditur. p. 41.

Opercula

Opercula lapidea, uti teſtae ipſae, calcareae indolis ſunt, et cum acidis efferueſcunt, ac ab iis ſoluuntur, quod non idem euenit in cartilagineis, quae tamen igni iniecta, ob eam, quam vehunt, pinguedinem, odorem ſpargunt interdum ſuauem, interdum vero foetidiſſimum.

p. 43. *Valuae*, quae vox biualuium tantum teſtas deſignat, ab operculitarum cochlearum partibus et forma et aequali magnitudine differunt: ſemper ſunt valuae eiusdem naturae, quod in operculis non deprehenditur.

In ſuperficie interna valuarum conſpiciuntur plures maculae, foraminula et eminentiae, quibus adhaerent animalis muſculi infra deſcribendi.

Junctura (*la charniere*) in cochleis non niſi in nerita conſpicitur, in conchis vero ſemper circa verticem poſita eſt. Denticuli, qui formant eam, mox pauciores ut in Tellina, mox plures ut in Arca, adſunt. Valuarum firmiori nexui inſeruiunt.

Quaeuis conchae prope verticem et iuncturam *ligamentum* habent, quod eas nectit. Quarum iunctura denticulis caret, in iis illud intus eſt poſitum, ut in Oſtreis; in aliis, quibus ſunt eiusmodi denticuli, ne illi operiantur, extus adhaeret.

Cum teſtae conchyliorum oſſa conſtituere videantur, et membrana, qua teſtae obducuntur, commode *perioſtium* nominari poterit. Haec membrana nunquam internam veſtit teſtarum ſuperficiem, ſed ſemper tantum exteriorem in cochleis aeque ac conchis. In quibusdam admodum tenuis in aliis valde craſſa, in aliis, ut Porcellana, prorſus deficit.

Colorem iridi ſimilem (*la nacre*) non quidem, u partem teſtae conſiderat, ſed tantum monet, eſſe eam qualitatem conchyliorum, qua alia ſuperbiant, alia prorſus deſtituta reperiantur.

Ad

Ad animalis nunc teſtas inhabitantis partes acce- p. 45
dit. Statim tamen monet, ſe non anatomicum eſſe geſſurum, cum conchyliorum anatomen iam a variis celebrioribus HARDERO, HEYDIO, LISTERO, SWAMMERDAMIO ſatis tractatam quiuis ſciat; ſed tantum membra animalis, quae ſenſibus obuia, nullo admoto ſcalpello, detegi a quouis poſſunt, deſcribere paucis annititur. Viginti partes, methodo ſtruendae aptas diſtinguit: caput, cornua, oculos, os, maxillas, dentes, proboſcidem, collum, corpus, pedem, pallium, branchias, aures, anum, cor, muſculos, ſexum, oua, filamenta, fila, quas in ſequentibus paulo fuſius definire allaborat.

Caput eſt quaedam eminentia rotunda carnea, quae in anteriori et ſuperiori corporis cochlearum parte conſpicitur. In conchis, niſi eminentiam paruam infra os prominulam, capitis nomine inſignire volueris, nullum hucuſque diſtinguere obſeruatoribus licuit.

Cornua tantum in cochleis, quarum tamen quaedam iis deſtituuntur, apparent; nunquam duobus pauciores nec quatuor plures adſunt. Aut ad latus capitis, ad eius originem, aut ad ipſius extremum poſita ſunt. Structura eorum variat, cum in aliis cauum tubum, ope muſculi cuiusdam, quem pro neruo SWAMMERDAMIVS habuit optico, contractilem formant, in aliis ex fibris longitudinalibus, annulis muſculoſis interſectis conſtant. De eorum uſu Auctores diſputant, qui tamen Noſtro plane nullus videtur.

Oculi non niſi cochleis ſunt, quibusdam in vertice, aliis in medio, aliis in ſua origine, numerum binarium nunquam excedentes, poſiti ſunt. SWAMMERDAMIVS detexit bulbum, ſuperiori facie conuexum, inferiori planum, tresque humores aquoſum, cryſtallinum et vitreum, membranamque unicam uueam, quam appellat, ſuperficiem bulbi inter-

nam veſtientem. Cum a membrana cochlearum communi obtegantur, obtuſus eorum viſus ab ipſius membranae craſſitie pendere videtur.

p. 48. *Os* in conchis maius deprehenditur ore cochlearum. In cochleis duo diſtinguimus labia, quae ſulcum efficiunt oris nomine appellandum: in conchis vero quatuor eiusmodi labia foliolis carneis ſimilia conſpiciuntur.

Maxillae in conchis nullae, in cochleis vero et ſuperior et inferior diſtinguuntur.

Dentes in cochleis ſolummodo obſeruantur, in ſuperiori maxilla maiores ac in inferiori. Circa hanc inferiorem maxillam et lingua animalis ut caruncula albicans conica in apice nigra apparet.

Cochleis carniuoris loco maxillarum *proboſcis* eſt, qua conchyliorum teſtas perforant et inde nutrimentum hauriunt.

Cochleae omnes *colli* ſpecie inſtructae ſunt, qua vero conchae deſtituuntur.

p. 51. *Corpus* conchyliorum aſſumit figuram teſtae, quam inhabitat, ut, ſi ea ſit ſpiralis, et corpus turbinatum deprehendatur; ſi vero nullo modo, ut in Lepade, contorta fuerit teſta, et corpus non ſpirale conſpiciatur.

Pedem nominat magnum illum muſculum, qui extenſus ſub collo ad partem pectoris in cochleis reperitur. Figura variat, cum a vario animalis motu dependeat. In quibusdam conchis, ut in oſtreis, deeſt, in aliis autem ratione uſus et figurae ab iſto cochlearum diuerſus conſpicitur.

Pallium, quod *collare* ab aliis dici minus recte ob figurae irregularitatem putat, nominat membranam muſculoſam, quae parietes teſtae internos inueſtit. Inſunt ipſi unum duoue foramina, quae ob uſum, quo aerem aquamue inſpirant, *tracheas* Auctores ap-
p. 54. pellant. In dorſo cochlearum concharumque variis locis animaduertimus quatuor membranoſas productiones,

ctiones, quae aeri ab aqua ſeparando aortaeque immittendo deſtinatae, *branchiae* nominantur.

Anus et in conchis et cochleis in poſteriori branchiarum inuenitur, et excrementa mox ſub vermiculorum forma, mox ſub granulorum figura excernit.

Cor quamuis interior pars animalis ſit, cum tamen in ſuperficie corporis cochlearum poſitum ſit ita, ut motu ſuo facile diſtingui poſſit, ab Auctore fuit quodam modo deſcriptum.

Muſculis omnia praedita ſunt conchylia, uniualuia unum, biualuia duos, tres, quatuor pluresue poſſident, quorum ope claudunt et aperiunt ſuas valuas.

Mira deteguntur in *ſexu* conchyliorum, cum alia diuerſi omnino ſexus, alia hermaphroditae verae exiſtant, quarum tres ſpecies diſtinguit Auctor: 1) quae ſine coitu ſeſe propagant nec maris nec foeminae partes oſtendunt, ut conchae: 2) quae utriusque ſexus partibus genitalibus praeditae reciproce ſe inuicem foecundant: 3) quae, quamuis utrumque ſexum in iis deprehenderis, ad ſui propagationem tamen indigent alio indiuiduo, quod ab ipſis non reciproce foecundatur.

Oua ponunt conchyliorum varia, alia tamen vi- p. 58.
uipara deprehenduntur. Aliorum oua cruſta obtecta, ut auicularum oua; alia gelatina quadam inuoluuntur ac conglutinantur, ut ſperma ranarum; in aliis oua formant ſaccum membranaceum oualem, *fauaginem* dictum, qui plura minora conchylia continet. Concharum oua ad multa millia in uno ſubiecto adſunt, in cochleis operculatis aeque ac uniualuibus pauciora.

Filamenta in quibusdam conchis deprehenduntur, quae ornamento potius conchis, quam uſui eſſe videntur. Si ea diſſecueris reſecta pars per ſatis longum temporis ſpatium ſeſe mouet.

Diſtinguenda ab hisce filamentis ſunt *Fila*, quibus praedita quaedam conchylia deprehenduntur. Hae-

rent eorum ope adfixa uni eidemque loco, et reſe-cta vel diſciſſa haec fila ab animali rurſus, pedis ope reſtituuntur aliique vicino corpori adplicantur. In pinnarum valuis optime haec fila conſpiciuntur, ubi capillos animantium ex aſſe aequant

Recenſitis his partium definitionibus, ipſam nunc methodorum poſſibilium differentiam, pro varia parte, ex qua diſtinctionis fundamentum quilibet deſumere voluerit, adducit et tabulis ſynopticis illuſtrat. Conchylia, ut iam ſupra dictum fuit, in cohleas et conchas diſpeſcit, quae quidem ſingulae ſub vario reſpectu conſiderari poterunt ad ductum variarum ſupra definitarum partium.

Ad teſtam ſi reſpexeris, diſpoſitionem effici poſſe Noſter autumat vel a ſpira, vel a vertice, vel ab apertura, operculo, colore, vel perioſtio, quod ſequentem in modum peragendum cenſet.

Spira vel a numero, vel a figura, vel a ſitu diſtinguendis generibus notas exhibet: ratione numeri alia turbinata reperiuntur, aliis nulla prorſus ſpira eſt: ratione figurae in aliis ſpira format umbilicum in cochleae baſi, in aliis in vertice, in aliis nullum: ratione ſitus deſcendendo conuertitur circa ſuam axin vel a dextra ad ſiniſtram, vel contrario modo.

Vertex cum longitudine aperturae comparatur, et ex hac proportione differentia eius determinatur, ut inde alia habeant verticem vix conſpicuum, aliis ſit vertex apertura breuior, in aliis aperturam exaequat, in aliis eam ſuperat.

Apertura vel ratione figurae, vel canalis vel labiorum conſideranda, figura ſiue forma orificii vel exacte rotunda vel ſemilunaris vel oualis vel allongata conſpicitur. Canalis vel prorſus deeſt, vel tantum in ſuperiori extremo adeſt, vel ſuperiora verſus ſat longus, inferiora autem verſus breuis tantum modo apparet.

Labia

Labia orificii vel margine acuto, vel obtuſo, vel fimbria in dextro labio diſtinguuntur.

Operculum ratione ſubſtantiae aut corneum aut petroſum, ratione figurae vel rotundum, ſemilunare, ouale vel allongatum ut plurimum aperturae, quam tegit, reſpondet. Color iridi ſimilis vel in p. 70.
quibusdam in interna ſuperficie apparet, in aliis nusquam deprehenditur.

Perioſteo alia obducuntur nullo, alia ſubtili valde, alia craſſiori veſtita deprehenduntur.

Concharum diſpoſitio ex teſtae ſequentibus partibus condi poterit: ad valuas nimirum, vertices, iuncturas, ligamentum, muſculorum adhaeſionem, colorem, et perioſtium reſpiciendum eſſe Cl. Auctor monet.

Valuae vel exacte ſibi ſimiles ſunt, et aut claudunt conchas, aut rimam quandam relinquunt; vel ſibi non exacte reſpondent, nec figura nec magnitudine.

Vertex in quibusdam conchis viſum fugit, in aliis conſpicitur et vel in uno valuarum extremo, vel ſupra earum medium, vel in ipſo medio, vel infra medium deprehenditur. Iunctura in aliis ſine denticulis efficitur, in aliis unus, duo vel tres dentes rotundi totidemque cauitates reperiuntur, in aliis ad decem denticuli in unaquaque valuarum, quorum alii rotundi, alii apophyſibus longioribus ſimiles totidem ſibi interpoſitas cauitates monſtrant: in aliis denticulorum numerus denarium ſuperat in quauis valua, quorum quiuis ſuo acetabulo excipitur: in aliis unus aut duo ſatis longi, figura linguam aequantes nulli cauitati inſunt.

Ligamentum vel rotundioris figurae intus in me- p. 75.
dia conchae parte ſitum, vel allongatum extus ſupra verticem conchae poſitum, vel externe intra verticem adhaeret.

Muſculorum adhaeſio in quauis valua per tot maculas, quot fuere adhaerentes muſculi deſignatur; hinc ſi volueris diſpoſitionis rationem petere, alia in quauis valua unam, alia duas, alia denique quatuor eiusmodi maculas oſtendunt.

Color iridis, aliis ad mininum in interna ſuperficie eſt, aliis quodam modo ineſſe videtur, aliis prorſus deeſt.

Perioſtium aut deeſt, aut ſi praeſens eſt, craſſitie et ſubtilitate diſtinguendum.

p. 79. Si vero ab animali intus haerente methodum quandam condere volueris, a ſequentibus potiſſimum partibus determinari poſſe cochlearum genera exiſtimat Cl. Auctor: a cornubus, oculis, ore, branchiis, pede. Ex quibus variae nunc paucis indicandae oriuntur claſſificationes.

Cornubus deſtituuntur aliae, aliae duo, aliae quatuor gerunt: ratione figurae vel conica vel cylindrica, aut circa originem paululum inflata, aut nullo modo tumida ſunt: ratione ſitus vel in radice capitis, vel in eius extremo poſita.

p. 82. Oculis ſi praeditae ſunt, vario modo illi ſe ad caput et cornua habent. Aliae enim iſtos in capite ad cornuum radices verſus interiora gerunt, alia verſus anteriora, aliae ſupra cornuum radices vel exteriora vel interiora verſus, aliae in cornuum medio, aliae in eorum ſummo apice.

Os cochlearum vel duabus maxillis ſine proboſcide, vel proboſcide absque maxillis inſtructum eſt.

Branchiae in aliis ſub forma foraminis rotundi in uno animalis latere conſpiciuntur, in aliis ut canalis longus, verſus animalis dorſum directus, apparent.

p. 85. Cochleae pedem ſemper ſulcis quibusdam notatum oſtendunt ita, ut in aliis omnis pedis ſuperficies ſulcata deprehendatur, in aliis non niſi unicus longitudinalis ſulcus obſeruetur, in aliis vero ſulcus anteriorem partem tranuerſim percurrens notetur, ad

quam

quam differentiam ultimam attendens Auctor cochleas pedis ratione diſpeſcit in cochleas eiusmodi transuerſali ſulco deſtitutas, et in cochleas eo praeditas.

In conchis ex partium animalis ſimilitudine ordinandis ad collare ſiue pallium, branchias, pedem et fila attendendum. Collare in ſua figura variat, cum ſit vel circumcirca in duos lobulos diuiſum, vel in uno tantum latere in duos lobos diſtinctum, vel ſaccum in utroque extremo apertum format.

Branchiarum aliis tantum una orificio ſimilis eſt, aliis duae orificio ſimiles, aliis duae ſub forma canalis diſtincti, aliis denique duae ſub forma canalis connexi.

Pes aliis deeſt, in aliis, quamuis adſit, nunquam foris apparet, in aliis vero ſemper foris conſpiciendus.

Filis quaedam fixatae adhaerent, alia iſtis deſtituuntur. Excipit has deſcriptas generum ſynopticas tabulas catalogus ſcriptorum in opere hoc citatorum, quem generalis idea totius operis ſequitur, quae continet genera et ſpecies quas Auctor eſt deſcripturus.

Familia prima cochleas continens ſectiones duas exhibet, quarum priori uniualues, alteri operculatae inſunt. Duodecim genera diſtinguit in uniualuibus cochleis: *Cymbium*, *Bulinum*, *Coretum*, *Pedipedem*, *Cochleam*, *Lepadem*, *Haliotidem*, *Yetum*, *Terebram*, *Porcellanam*, *Cypraeam*, *Peribolum*; in operculatis nouem: *Strombum*, *Purpuram*, *Buccinum*, *Cerithium*, *Vermetum*, *Trochum*, *Turbinem*, *Naticam*, *Neritam*.

Conchae ſecundam familiam conſtituunt, cuius prima ſectio biualues, altera multiualues continet. Biualues ſeptem genera exhibent: *Oſtreum*, *Iataronum*, *Pernam*, *Chamam*, *Tellinam*, *Pectunculum*, *Solenem*; multiualues duo tantum: *Pholadem* et *Teredinem*.

Specierum nomina cuiusuis generis hic allegare iuſto eſſet longius, quin imo ſuperfluum videtur ea adferre ſine addita deſcriptione: cum tamen noua omnino nec hucuſque audita ſint exempli loco adferamus Buccini ſpecies, quas ſeptem conſtituit ſub nominibus ſequentibus: *Barnet, Iol, Niſot, Rac, Funon, Soni, Dip.* Vt vero omnem tractationis rationem diiudicare Lectores queant, non abſonum nobis videtur, exhibere cuiusdam conchylii deſcriptionem, ipſis Cl. Auctoris verbis, mutato tantum idiomate:

Tertiam Lepadis ſpeciem *Soron* appellat, cuius iconem tabula ſecunda exhibet. Synonima ſunt

Patella alba, compreſſa, laeuis. Liſt. hiſt. Conchyl. tab. 545. *fig.* 37.

Calyptra, quae patella alba, compreſſa, laeuis Liſteri. Klein. Tent. p. 118. *Sp.* 5. *tab.* 8. *fig.* 8.

Teſta huius Soron valde craſſa praecedentibus (lepadis ſpeciebus) minus allongata: quam ego vidi, non niſi quatuor lineas lata erat.

Baſis eius ſeu ſectio coni, cuius figuram refert, rotunda a linea circulari formatur. Et interior, et exterior ſuperficies polita, ut ſplendidus ipſi concilietur fulgor. Septem aut octo ſulcis circularibus notata, quorum centrum vertex conſtituit, a quo tamen longe diſtant hi ſulci.

Vertex obtuſus, rotundior, propius ad poſteriorem marginem teſtae ſitus:

Coloris eſt niuei.

Caput animalis valde breue et vehementer applanatum: paulo latius eſt ſua longitudine, membrana quadam in ſuo extremo tectum, quae tamen vix ad cornua accedit.

Oculi poſterius ad cornua adiacent, quorum pelluciditas efficit, ut ad interiorem partem eorum poſitos illos putaueris, niſi eos in diuerſo habitu et ſitu conſideraueris.

Pes

Pes exacte rotundus, eſt ſcilicet eius longitudo latitudini aequalis.

Pallium, quod omne corpus obtegit, tanta gaudet breuitate, ut vix eius margines conſpici queant. Loco fimbriae filamentoſae puncta quaedam eleuata monſtrat, oculis tantum armatis detegenda.

Color animalis eſt albo-griſeus.

Conchylium hocce in Senegaliae prouinciis inter rariſſima habetur.

XI.

Auserleſene Schnecken, Muſcheln und andere Schaalthiere, auf allerhöchſten Befehl ſeiner königlichen Majeſtät nach den Originalien gemalt, in Kupfer geſtochen, und mit natürlichen Farben erleuchtet, von FRANZ MICHAEL REGENFVS, *königlichen Kupferſtecher. Koppenhagen,* 1758. Fol. Imperial. 69 *Blätter,* XII *Tafeln mit* 145 *ſchön illuminirten Figuren.*

et

Choix des coquillages et de cruſtacés peints d'après nature, gravés en taille douce et illuminés de leur vraies couleurs par FRANÇOIS MICHEL REGENFVS, Graveur du Roi, publie, par ordre du Roi etc.

h. e.

Delectus cochlearum, concharum aliorumque animalium teſtaceorum auſpiciis et iuſſu Auguſtiſſimi Regis; omnia ad naturae veritatem pinxit in aes incidit et coloribus illuminauit FRANCISCVS MICHAEL REGENFVS, Calcographus Regius.

In hiſtoria et ſcientia naturali, experimentis et obſeruationibus illuſtranda, hoc potiſſimum ſeculo multi, ex eruditis occupati ſunt. In hoc vero opere digne exequendo, non tantum indolem et varietatem corporum naturalium indagare ſuſcipiunt, non tantum exquiſito verborum apparatu characteres veros, rebus naturalibus impreſſos, easque inter ſe diſtinguentes definiunt, ſed et artifices in auxilium ducunt, quorum exercitata manu icones corporum ſcite et ad naturae varietatem delineantur, accurate in aes inciduntur, quam quidem graphices perfectionem ſplendidiſſima opera, ad explicandas res naturales exarata, ſatis et abunde teſtantur. Quoniam vero corpora, in triplici ſic dicto naturae regno occurrentia, egregia colorum elegantia et varietate ſuperbiunt, pictores quoque hunc ipſum ornatum coloribus penicillo inductis aſſequi annituntur. Laudauimus paſſim in noſtris commentariis varia naturae indagatorum ſcripta, quae hoc ornatu illuſtrata prodierunt, et inter Germanos potiſſimum egregia ſpecimina inuenimus. Indicauimus etiam cum aliis Cl. REGENFVSII inſtitutum, qui ſex tabulas animalium teſtaceorum depictas nobis exhibuerat.* Sed ulterior elaboratio pretioſiſſimi et ſplendidiſſimi operis priuatis ſumtibus ſuſtineri et ad eam, quam Auctor deſiderabat, perfectionem accedere non poterat. Hic itaque Auguſtiſſimo Daniae Regi commendatus, ab optimo hoc principe, qui non ſolum ciues ſuos ſapientia et prudentia regit, qui regnorum, eius ſceptro ſubiectorum, florem conſiliis et rebus bene geſtis et inſtitutis auget, ſed ſcientiis quoque et artibus egregium ſplendorem conciliat, et ita vere Patriae Pater dicendus eſt, id obtinuit, ut regiis ſumtibus in ſplendido opere elaborando et continuando ſuſtineatur.

Dabimus itaque ideam operis cuius primum Volumen ſingulari Regis Potentiſſimi gratia Bibliothecae noſtrae

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 92.

noſtrae academicae donatum fuit, et cuius continuationem in ſecundo volumine ferme abſolutam, in tertio iam inceptam auide expectamus, cum haec ſpecimina ſedulos naturae indagatores, et artifices naturae imitatores ad perficiendas quoque alias hiſtoriae naturalis partes excitare queant. Eae vero, quae in duodecim tabulis expreſſae ſunt animalium teſtaceorum icones, deſcriptionibus additis explicauit Cl. KRATZENSTEINIVS Phyſices Profeſſor, non nulla vero SPENGLERVS addidit. Ille quoque muſea rerum naturalium in Dania celebrium, et ſpeciatim hiſtoriam ſcriptorum, qui Conchyliologiam explicarunt, adiecit. Danica nomina Cl. ASCANIVS inuenit, et pro ſua in hiſtoria naturali acquiſita peritia cum optimis ſcriptoribus comparauit.

Praefationi igitur iungitur catalogus chronologicus ſcriptorum, qui vel ex inſtituto, vel una cum reliquis naturae operibus declaratis, conchylia varia deſcripſerunt. Traditur poſtea notitia Muſeorum p. 6. publicorum et priuatorum in Dania reperiundorum, in quibus nimirum res naturales et arte factae colliguntur et ordine diſponuntur, cum in his omnibus etiam animalium teſtaceorum inſignis apparatus inueniatur. Collectiones rerum naturalium in Muſeis principum et eruditorum circa initium ſeculi ſuperioris potiſſimum inſtitutae fuerunt, quo, erudita eorum contemplatione et comparatione ſuſcepta, naturae et artis opera magis innoteſcerent, et accuratius deſcriberentur. Et in Dania quoque circa medium ſuperioris ſeculi Regium Gottorpienſe et Wormianum Muſea aliquam celebritatem acquiſiuerunt. Regium nimirum a FRIDERICO III conditum antiquitatibus et rei monetariae potiſſimum deſtinatum erat, uti ex OLIGERI IACOBAEI deſcriptionibus * apparet. Acceſſe-

* Muſeum Regium ſeu catalogus rerum tam naturalium quam artificialium, quae in baſilica bibliothecae Auguſtiſ-

Acceſſerunt vero aliae res naturales et conchylia potiſſimum elegantiſſima, quae CHRISTIANVS VI. Daniae Rex magno pretio ex Belgio acquiſiuerat, allatis undique per commercia Danorum in proprias exterasque prouincias ſuſcepta, nouis animalium teſtaceorum exuuiis, tanta incrementa acceperunt, ut vix aliquid noui deſiderari poſſit. Sapientiſſimo autem conſilio Regis potentiſſimi nunc factum eſt, ut Charlottoburgi nouum Muſeum omnium rerum naturalium, quae in diuerſis prouinciis danicae ditionis reperiuntur, colligatur, quod publicis demonſtrationibus inſeruiat, et eruditos ad ſimiles rerum naturalium collectiones excitet. Et Regina Sereniſſima MARIA IVLIANA, praeter varias res artefactas, etiam conchyliorum copiam colligi et in ordinem diſponi iuſſit.

Accedunt his Regiis collectionibus aliae quoque priuatae, ex quibus ne nimis diffundamur, praecipuas tantum indicare ſufficiat. Sic ſummus ſtatus miniſter Comes de HOLSTEIN inſignem rerum copiam congeſſit, qua antiquitates et hiſtoria naturalis illuſtrantur. Splendidiſſima Bibliotheca nec non Muſeum rerum naturalium, quae Conſiliarius intimus Comes de MOLTKE inſtruxit, in inſignem iam amplitudinem excreuit, et cum inter egregias virtutes, quae famam huius Illuſtriſſimi Comitis extollunt, ſcientiarum amplificandarum cura non ultima ſit, in hoc opere perficiendo maiora indies incrementa expectamus. Illuſtribus his exemplis excitati multi ex eruditis collectiones rerum naturalium in ordinem redegerunt, plura addiderunt, alii vero in itineribus, cum fructu inſtitutis, omnia cogunt, quae rerum naturalium eruditam cognitionem adiuuare poſſunt, nullumque dubium, eſt fore ut impoſterum magnus

Auguſtiſſimi Daniae Norvegiaeque Monarchae CHRISTIANI V. Hafniae aſſeruantur Hafniae 1646. fol.

magnus rerum naturalium apparatus in feliciſſimum Daniae regnum confluat, quo ex his ſeminibus ſparſis futura tempora largam meſſem obtineant.

In ſermone praeliminari oſtenditur, quam ardua, p. 1.
grata tamen et utilis, ſit naturae contemplatio, et quod etiam in conchyliis, non tantum ad uſus varios oeconomicos et medicos, ſed ad ipſam quoque fabricam et peculiarem corporis mechaniſmum, a reliquis animalibus prorſus diſtinctum, et tandem ad varietatem colorum in tot generibus et ſpeciebus reſpicere debeamus, ſi in contemplatione animalium teſtaceorum cum fructu verſari cupimus. Erudita autem haec conchyliorum conſideratio, licet a veteribus iam incepta fuerit, tardius tamen increſcens his ipſis temporibus ad ampliorem et perfectiorem cognitionis gradum procedere videtur; quam quidem rem ab ARISTOTELE incipiendo breuiter declarauit Cl. Auctor.

ARISTOTELES, philoſopho dignam animalium conſiderationem ſuſcipiens, paſſim etiam non nulla de conchyliorum natura propoſuit. DIOSCORIDES de uſu medico varia adiecit. PLINIVS qui in immenſo rerum ambitu, quem contemplandum ſibi ſumſerat, non omnia rite proſequi poterat, paſſim tamen obſeruationes et deſcriptiones, quae animalium teſtaceorum naturam et varietates concernunt, ſimul adduxit. AELIANVS, ATHENAEVS et OPPIANVS, qui hiſtoriam animalium ſecundo P. C. N. ſeculo ſcriptis illuſtrarunt, in conchyliorum natura et indole exponenda pauca tantum adiecerunt. Vti vero omnis ferme naturae operum contemplatio in ſeculis barbaris neglecta fuit, ſic quoque conchyliorum accurata conſideratio nulla erat uſque dum circa finem ſeculi decimi ſexti et initium decimi ſeptimi et ſcientia et hiſtoria naturalis magis effloreſceret. PETRVS BELLONIVS et RONDELETIVS varia et noua obſeruata de animalibus teſtaceis congeſſerunt FABIVS

COLVMNA

COLVMNA non tantum purpuram, ſed et alia huic analoga conchylia deſcripſit et depinxit. CONRADVS GESNERVS praecipua ab aliis propoſita congeſſit, et ſua quoque addidit. ALDROVANDVS vero, ut in omni rerum naturalium hiſtoria, ſic etiam in opere de exſanguibus ſiue de mollibus cruſtaceis, teſtaceis et zoophytis varia quidem, quae ad naturae cognitionem faciunt, congeſſit, alia tamen ſimul compilauit, quae ſuperflua ſunt et hiſtoriam naturae non illuſtrant. ROCHEFORTIVS et DE TERTRE exotica quaedam animalia teſtacea adiecerunt, IONSTONVS autem et CHARLETONVS accurata anteceſſorum obſeruata in ordinem redegerunt. Superiori quoque ſeculo ex Danis THOMAS BARTHOLINVS et OLAVS WORMIVS non nullas obſeruationes ad hiſtoriam horum animalium ſpectantes addiderunt.

Cum autem non tantum ad teſtas, variis coloribus pictas, ſed ad internam quoque animalium fabricam reſpiciendum eſſet, in hanc ſtudioſius inquiſiuerunt ROBERTVS HOOCKE, THOMAS WILLISIVS, IOHANNES IACOBVS HARDERVS et alii; praeſtantiſſimi autem in hoc opere exequendo fuerunt IOHANNES SWAMMERDAM et MARTINVS LISTERVS, quippe qui maxima cum attentione anatomen horum animalium ſuſceperunt, et in partium ab aliis animalibus maxime diuerſa ſtructura indaganda ſoli ferme occupati fuerunt. Omittimus reliquos qui adducuntur ſeculi ſuperioris ſcriptores, et ad praeſens accedimus, in quo multi hiſtoriae naturalis ſcriptores vel in ordinandis conchyliorum generibus et ſpeciebus, vel in iconibus exhibendis, vel in eorum
p. 8. fabrica declaranda verſati fuerunt. GEORGIVS EVERHARDVS RVMPH, natione Germanus mercator et ſenator Amboinenſis, res naturales Indiae orientalis detectas Europae tradidit, inter alia quoque maximam curam in delineandis conchyliorum varietatibus

tatibus

tatibus adhibuit, et id effecit, ut maiori horum animalium copia congeſta, methodica diſpoſitio ab HEBENSTREITIO noſtro, KLEINIO, BREYNIO et LINNAEO aliisque accuratius definiri potuerit. Praeter RVMPHII delineationes NICOLAI GVALTIERI et DARGENVILLII icones omnino attendi merentur. In fabricam et organa motus ſingularia, quae in his animalibus admiranda ſunt, FRANCISCVS POVPARTIVS et praeſtantiſſimus REAVMVR inquiſiuerunt, et LESSERVS, in teſtaceo theologia DERHAMI veſtigiis inſiſtens, admirandam ſummi creatoris ſapientiam in his animalibus declarauit.

Inter recentiſſimos ſcriptores ADANSONIVS in primis nominandus eſt, qui quidem Senegaliae conchylia accuratius diſquirens et ad fabricam animalium mollium, in his teſtis degentium, accuratius reſpexit et inde fundamenta methodi melius diſponere anniſus fuit. Multa tandem, quae hiſtoriam conchyliorum illuſtrant, ex deſcriptionibus et obſeruatis in ſcriptis Academiarum et ſocietatum, quae ſcientiam naturalem concernunt, deprehendendis, ſeligi et ad ulteriorem perfectionem impendi debent.

His itaque praemiſſis non nulla de methodo ad p. II.
quam diſpoſitio conchyliorum optime inſtitui poſſit, proponuntur, qua in re cum plurima ex ADANSONI hiſtoria conchyliorum repetantur, quam nos hac ipſa parte declaratam dedimus, ulteriori recenſione merito ſuperſedemus. In indicandis vero generibus et ſpeciebus conchyliorum in hoc opere depictorum, cum ordo methodicus attendi haud potuerit, id agamus ut nomine Linnaeano ex ſyſtemate naturae, vel hoc deficiente, alius ſcriptoris praemiſſo germanicum quoque interdum ſubiungamus, et ita plenam operis ſuſcepti ideam adumbremus.

1. *Voluta papalis* teſta fuſiformi laeui labro denticulato LINNAEI Syſt. Nat. Edit. 1758. p. 732. §. 369. *Die Pabſtkrone.* Tab. I.

2. *Voluta*

2. *Voluta oliua* teſta cylindroide laeui, ſpirae baſi reflexa. L. p. 729. §. 350. *Die braune Dattel.*

3. *Venus caſtrenſis* teſta triangulo-rotundata, gibba, glaberrima, charaĉteribus angularibus inſcripta. L. p. 687. §. 105. *Die Buchſtabenmuſchel.*

4. *Chama optica* punicis tentoriis piĉta. RVMPH. p. 139. IV. 4. *Das türkiſche Lager.*

5. *Voluta ſanguiſuga* teſta fuſiformi ſulcata, transuerſe ſtriata. L. p. 732. §. 364. *Das gekrönte Thürmchen.*

6. *Murex Saxatilis* teſta quinquefariam frondoſa, ſpira contigua, cauda abbreuiata. L. p. 747. §. 450. *Das weiße doppelte Brandhorn.*

7. *Chryſops perlata* ſiue *Cochlea lunaris*, olearia tricolor, miniata, nigra et obſcure muſtilina veſte, tuberculisque poſt polituram perlatis, ornata. KRATZENSTEIN. *Das geperlte Orangeauge.*

8. *Peĉtunculus* utrinque aequaliter auritus et conuexus, intus ſubflauidus, KRATZENSTEIN. *Die kleine inwendig gelbe Kammmuſchel.*

9. *Murex Babylonicus* teſta turrita, reĉto-caudata, ſtriata, labro fiſſo. L. p. 753. §. 479. *Der babyloniſche Thurm.*

10. *Oſtrea glabra* teſta radiis decem planiuſculis, internis ſtriis eleuatis, duplicata. L. p. 698. §. 170.

11. *Peĉtunculus ſemiauritus*, altius et utrinque aequaliter formicatus, coloris coccinei. KRATZENSTEIN.

12. *Turbo Cochlus* teſta imperforata, ouata, ſtriata, ſtria unica dorſali craſſiore. L. p. 762. §. 534. p. 764. §. 544.

Tab. II 13. *Trochus aſper* fuſcus et albus feneſtratus. KLEIN. §. 66. 5. *Meerkopf topfachtige Schraubenſchnecke.*

14. *Buccinum Harpa* teſta coſtis aequalibus, longitudinalibus, diſtinĉtis, mucronatis, columella laeuigata. L. p. 738. §. 400. *Die federförmige Harfenmuſchel.*

15. *Volu-*

15. *Voluta porphyria* teſta cylindroide laeui, ſpirae baſi obliterata, labro medio retuſo. L. p. 729. §. 349. *Die bunte Achatdattel.*

16. *Oſtrea glabra* teſta radiis decem laeuibus planiuſculis, internis ſtriis eleuatis, duplicatis. L. p. 698. §. 170.

17. *Pectunculus* leuiter utrinque auritus, in vertice marmoreus. KRATZENSTEIN.

18. *Murex turbinellus* teſta ecaudata turbinata, ſpiris conicis, ſuperioribus maioribus, columella plicata. L. p. 750. §. 466. *Die groſsgezackte Maulbeere.*

19. *Oſtrea Iacobaea* teſta radiis quatuordecim angulatis, longitudinaliter ſtriatis. L. p. 696. §. 155. *Pilgrimsmuſchel.*

20. *Conus tulipa* teſta oblonga, gibba, laeui, apertura dehiſcente. L. p. 717. §. 282.

21. *Murex femorale* teſta ſuturis varicoſis decuſſatis trigona, rugoſa, antice noduloſa, apertura edentula antice transuerſa. L. p. 749. §. 456. *Das gelbe Kinckhorn mit Runzeln und Knoten beſetzt.*

22. *Chama* ſubrotunda aequilatera, craſſa, brunis maculis et ſtriis ſulcatis notata. KRATZENSTEIN. *Gleichſeitige Gienmuſchel.*

23. *Patella graeca* teſta ouato conuexa, margine introrſum crenulato, vertice perforato. L. p. 784. §. 683.

24. *Patella granularis* teſta dentata ſtriis eleuatis, mucronibus imbricatis. L. p. 782. §. 662.

25. *Cardium unedo* teſta ſubcordata, ſulcis lunulis coloratis. L. p. 680. §. 68. *Die rothe Erdbeere.* Tab. III.

26. *Nerita chamaeleon* teſta ſulcata, ſulcis viginti, labiis dentatis, interiore rugoſo tuberculato. L. p. 779. §. 644.

27. *Trochus Magus* teſta oblique umbilicata, conuexa, ſupra obtuſe noduloſa. L. p. 757. §. 507. *Die knotichte ſeegrüne Kraeuſelſchnecke.*

28. *Tellina planata* teſta ouata, compreſſa, transuerſim ſubſtriata, marginibus acutis, pube ſubtomentoſa. L. p. 675. §. 40.

29. *Conus literatus* teſta conica alba, punctis fuſcis. L. p. 712. §. 252. *Der erſte weiße Tyger.*

30. *Pecten tenuis* ſtriatus, ſtriis raris, latis et depreſſis etc. GVALTIERI. T. 74. A. B. C.

31. *Pectunculus violaceus* nigris albisque radiis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

32. *Murex hippocaſtanum* teſta caudata, ſubouata, ſtriata, quadrifariam ſubſpinoſa, apertura transuerſim ſtriata. L. p. 751. §. 471. *Die Stachelnuß.*

33. *Voluta mitra epiſcopalis* teſta fuſiformi, laeui, labro denticulato. L. p. 732. §. 368. *Der Biſchofshuth.*

34. *Nerita Camena* teſta umbilicata, laeui, ſpira ſubmucronata, umbilico gibbo bifido. L. p. 776. §. 623. *Onychfarbene halbe Mondſchnecke oder Schwimmſchnecke.*

35. *Conus imperialis* teſta albida, faſciis liuidis cingulisque linearibus albo fuſcoque articulatis. L. p. 712 §. 251. *Die Kayſerkrone vom zweyten Range.*

36. *Pecten mediocris* latus et rotundus, auribus inaequalibus dentatis, variegatus, circiter viginti plicis tenuibus. KLEINIVS §. 341. 38.

37. *Conus baſeos laeuis.* Voluta longitudinalibus filis faſciata, Leo, a maculis leoninis, baſeos planae faſciis obſcuris. KLEINIVS. §. 187. 10. K. *Der Löwengriff.*

Tab. IV. 38. *Pecten tenuis* quartus, citrini coloris RVMPH. p. 142. III. *Der Königsmantel.*

39. *Venus literata* teſta ouata, antice angulata, ſtriis transuerſis. L. p. 689. §. 124. *Die groſe Buchſtabenmuſchel.*

40. *Chama quae pectunculus grauis*, ſubfuſcus radiatus. LISTERI Tab. 268. *Gelbe braungefleckte Gienmuſchel.*

41. *Chama quae pectunculus* velut literulis quibusdam rufis eleganter exaratus LISTERI Tab. 246. *Die runde arabiſche Buchſtabenmuſchel.*

42. *Turbo pica* teſta umbilicata, conica, rotunda, laeui, denticulo umbilicali. L. p. 763. §. 542. *Die groſſe gewölckte Kräuſelſchnecke.*

43. *Nerita polita* teſta laeui, labiis utrisque dentatis. L. p. 778. §. 638. *Die Nerite mit drey rothen Banden.*

44. *Oſtreum* ſquamoſum foliaceum, colore citrino. D'ARGENVILLE. p. 314. 5.

45. *Strombus Lambis* teſtae labro heptadactylo digitis rectiuſculis, fauce laeui. L. p. 743. §. 425.

46. *Conus literatus* teſta conica alba, punctis fuſcis. L. p. 712. §. 252. *Der Parder.*

47. *Mytulus ungulatus* teſta laeui, ſubcuruata, violacea, margine anteriore inflexo, cardine terminali obtuſiuſculo. L. p. 705. §. 216.

48. *Spondylus gaederopus* teſta ſubaurata ſpinoſa. L. p. 690. §. 127.

49. *Murex melongena* teſta ecaudata, obouata, glauca, anfractu ſubſpinoſo, ſpira prominula, apertura laeui. L. p. 751. §. 472. Tab. V.

50. *Murex pyrum* teſta ſuturis varicoſis, ouata, transuerſim ſulcata, nodoſa, cauda longiore, flexuoſa. L. p. 749. §. 462.

51. *Pecten tenuis* auribus inaequalibus, ſtriis craſſioribus, cinnabarinus, maculis albis notatus KRATZENSTEIN.

52. *Turbo marmoratus* teſta imperforata, ſubouata, laeui, ſupra marginato-noduloſa. L. p. 763. §. 539. *Das geſtreifte Rieſenohr.*

53. *Conus marmoreus* teſta conica fuſca, maculis ouatis, albis, ſpirae anfractibus canaliculatis. L. p. 712. §. 250. *Das Marmorhorn.*

54. *Nerita albumen* teſta umbilicata conuexa, umbili-

co ſubcordato, lobo explanato. L. p. 776. §. 626. *Das oranienfarbene Dotter.*

55. *Pecten tenuis* auribus inaequalibus, ſtriis raris, latis, maculatis. KRATZENSTEIN.

56. *Cardium iſocardia* teſta cordata, ſulcis ſquamis fornicatis, imbricatis. L. p. 679. §. 66. *Das kleine Nagelduplett.*

57. *Cypraea argus* teſta ſubturbinata, ſubcylindrica, adſperſa ocellis, ſubtus maculis quatuor fuſcis. L. p. 719. §. 287. *Der Argus mit braunen Augen und braunen Rande.*

58. *Bulla ampulla* teſta rotundata, opaca, vertice umbilicato. L. p. 727. §. 334. *Das Kibitzey.*

Tab.VI. 59. *Oſtrea pallium* teſta radiis duodecim conuexis, ſtriata ſcabra, ſquamis imbricata. L. p. 697. §. 163. *Der Königsmantel.*

60. *Murex pyrum* teſta ſuturis varicoſis, ouata, transuerſim ſulcata, nodoſa, cauda longiore flexuoſa. L. p. 749. §. 462. *Die getrocknete Birne.*

61. *Trochus perſpectiuus* teſta crenato umbilicata, conuexa, obtuſa, marginata. L. p. 757. §. 503. *Das Perſpectiv.*

62. *Conus textile*, teſta venis reticulatis luteis, maculis luteis fuſcisque. L. p. 717. §. 278. *Das güldene Stück.*

63. *Cypraea,* quae porcellana violacea ſpuria KRATZENSTEIN.

64. *Murex rana* teſta ſuturis ſubuaricoſis, oppoſitis, compreſſis, ſcabra, cingulis muricatis, apertura edentula ouata. L. p. 748. §. 452. *Die Frantzöſiſche Beuteltaſche.*

65. *Conus capitaneus* teſta conica, glabra, baſi fuſca, ſpira conuexiuſcula. L. p. 715. §. 254. *Die aurorgelbe Bandtoote mit drey gefleckten Banden.*

66. *Turbo pica* teſta umbilicata, conico rotundata, laeui, denticulo umbilicali. L. p. 763. §. 542. *Der zweyte glatte Oelkrug.*

67. *Mu-*

67 *Murex Brandaris* teſta ſubouata, ſpinis rectis cincta, cauda elongata, ſubulata, recta ſpiniſque obliquis circumdata. L. p. 747. §. 446. *Der ſtachlichte Schnepfenkopf.*

1. *Buccinum* obſcure brunum, eminentiis acuminatis ſtellaribus armatum, in prima helice faſcia alba diſtinctum. KRATZENSTEIN. T. VII.

2. *Conus ſtercus muſcarum* teſta baſi emarginata, ſtriata, ſpirae anfractibus canaliculatis. L. p. 715. §. 269. *Die ſchwarz und weiß gefleckte Volute.*

3. *Pecten* (*St. Iacobi concha* ſiue pallium variegatum,) aequiauritus, plano conuexus, plana valua rubra, conuexa roſea duabus zonis albis diſtincta. KRATZENSTEIN.

4. *Pecten* inaequaliter auritus cardine flauo, fimbriaque bruna, zonis nigris diſtincta. KRATZENSTEIN.

5. *Pecten* ſuper veſte ſordide flaua zonis tribus miniatis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

6. *Murex ramoſus* teſta trifariam frondoſa, ſpira contigua, cauda truncata. L. p. 747. §. 448.

7. *Conus capitaneus* teſta conica, glabra, baſi fuſca, ſpira conuexiuſcula. L. p. 713. § 254.

8. *Mytulus* capite roſeo radiis albis coeruleiſque diuiſo, limbo indico. KRATZENSTEIN.

9 et 10. *Rhombus cylindricus pyramidalis* ex ruffo nebulatus, lineiſque quibuſdam interſectis circumſcriptus. LISTERI Tab. 764.

11. *Venus Dyſera* teſta ſubcordata ſulcis tranuerſis remotis reflexis, margine crenulato. L. p. 685. §. 93. *Das alte Weib mit Flecken.*

12. *Chama literata* rotunda, umbone cardinum protenſo, aequaliter expanſa, plana, tenuis, ſuper circinis nigris undis inſcripta. KLEIN. §. 385. ſp. 1. 2.

13. *Conus ſtriatus* teſta ouato oblonga, gibba, nebuloſa, ſtriis tenuiſſimis parallelis fuſcis. L. p. 716. §. 277. T. VIII.

14. *Turbo delphinus* teſta umbilicata, depreſſa, hiſpida, ſpinis ramoſis. L. p. 764. §. 546. *Das geflügelte Waldhorn.*

15. *Pecten* binauritus, croceus, radiis albis diſtinctus. KRATZENSTEIN.

16. *Venus maculata* teſta cordata, laeui, maculis exoletis ſparſis. L. p. 686. §. 101. *Die rothgefleckte Agathmuſchel.*

17. *Chama* aequalibus virgis incarnatis et faſcis conisque brunis diſtincta. KRATZENSTEIN.

18. *Turbo Petholatus* teſta imperforata, ouata, laeui, anfractibus ſurſum ſubangulatis. L. p. 762. §. 533. *Die Naſſauer oder Petholaſchnecke.*

19. *Conus virgo* teſta conica, baſi coeruleſcente. L. p. 713. §. 253.

20. *Auris marina* dorſo viridi, facie interna perlata. KRATZENSTEIN.

21. *Bulla ampulla* teſta rotunda, opaca, vertice umbilicato. L. p. 727. §. 334. *Das Kibitzey mit zwey Banden.*

22. *Tellina virgata* magna, albida, ex rubro late radiata. KLEIN. 395. 3. b. Tab. XI. no. 60.

23. *Pectunculus* non auritus, alte fornicatus aequalium teſtarum, zonis miniatis et coeruleis ſuper fundo flauo pictus. KRATZENSTEIN.

24. *Pecten* ſimilis praecedenti, zonis conuexis ſuper veſte candida ornatis. KRATZENSTEIN.

25. *Conus aulicus* teſta venis reticulatis luteis, maculis luteis fuſciſque picta. L. p. 717. §. 279. *Die Brunette.*

Tab. IX. 26. *Murex ſaxatilis* teſta quinquefariam frondoſa, ſpira contigua, cauda abbreuiata. L. p. 747. §. 450. *Der doppelte ſpaniſche Reuter.*

27. *Turbo petholatus*, teſta imperforata, ouata, laeui, anfractibus ſurſum ſubangulatis. L. 762. §. 533.

28. *Pecten tenuis* flauus, leuiter canaliculatus. LISTERI. Tab. 170.

29. *Ha-*

29. *Haliotis aſinina* teſta oblonga, extra foramina angulata, ſtriis eleuatis. L. p. 780. §. 652.

30. *Spondylus gaederopus* teſta ſubaurita ſpinoſa. L. p. 690. §. 127. *Der Bettlersmantel oder Eſelsfuß.*

31. *Patella granatina* teſta angulata ſtriis undecim laeuibus. L. p. 782. §. 663.

32. *Mytulus* minor purpureus Guineenſis KRATZENSTEIN.

33. *Pecten* binauritus cinnabarinus, capite roſeo auriculis rubris. KRATZENSTEIN.

34. *Spondylus* ſiue oſtreum ſaxatile inaequaliter auritum coccineum, cardine flaueſcente. KRATZENSTEIN.

35. *Murex tulipa* teſta ventricoſa, oblonga, laeui, anfractibus rotundatis, apertura laeui, cauda patula ſtriata. L. p. 754. §. 489. *Das achatfärbige Tritonshorn.*

36. *Murex Melongena* teſta ecaudata obouata, glauca, anfractu ſubſpinoſo, ſpira prominula. L. p. 751. §. 472. *Das blaue Band.* Tab. X.

37. *Cypraea talpa* teſta ſubturbinata, ſubcylindrica teſtacea, faſciis pallidis, ſubtus incraſſata, fuſca. L. p. 720. §. 292. *Der Maulwurff.*

38. *Voluta ouata*, porcellana longa, Argus, ocellis albis, maculas fuſcas intercipientibus. KLEIN. §. 229. 2. d.

39. *Trochus Labio* teſta imperforata, ouata, ſtriato tuberculata, apertura dentata. L. p. 759. §. 516.

40. *Buccinum Vibrex* teſta laeui tota, labro poſtice muricato. L. p. 737. §. 392.

41. *Buccinum ſpiratum* teſta laeui, anfractibus canali plano diſtinctis, columella abrupta, perforata. L. p. 739. §. 401.

42. *Auris marina* Guineenſis, dorſo ex albo et rubro variegato. KRATZENSTEIN.

43. *Turbo argyroſtomus* teſta umbilicata ſubouata, exarata lineis dorſalibus elatioribus transuerſe ſtriatis.

tis. L. p. 764. §. 544. *Das bunte Silbermündchen.*

44. *Turbo* ſimilis Cochlea lunaris viridis. LISTERI. Tab. 19. no. 4.

45. *Pecten* in aequaliter auritus ſubruffus. LISTERI. Tab. 181.

46. *Conocochlis oxyſtrombus* faſciatus ſupra, infra ſeptem ſpiris undatus, ore ſubrotundo laeui. KLEIN. §. 86. 5. Tab. II. no. 43.

47. *Conus figulinus* teſta baſi emarginata rugoſa, ſpira acuminata, anfractibus planiuſculis. L. p. 715. §. 267.

48. *Chama Gigas*, teſta plicata ſquamoſa, ano hiante crenato. L. p. 691. §. 130. *Die Nagelſchulpe.*

49. *Chama Hippopus* teſta plicata muricata, ano retuſo, clauſo, dentato. L. p. 691. §. 131. *Der Pferdefuß.*

Tab.XI. 50. *Cochlea os argenteum* minus, tenue, viride, maculis croceis variegatum. KRATZENSTEIN.

51, *Pecten* ex atro ruffeſcens, tenuis, admodum cauus, leuiter canaliculatus Iamaicenſis. LISTERI. Tab. 64. fig. D.

52. *Pecten minimus* inaequaliter auritus, tenuis, anguſte coſtatus, obſcure brunus, intus violaceus. KRATZENSTEIN.

53. *Pecten binauritus* St. Iacobi concha, planus, conuexus, variegatus. KRATZENSTEIN.

54. *Voluta caudidiſſima* in qua Leonum imagines luteo ſcribuntur colore. HEBENSTREIT. M. R. p. 311. *Der Löwengriff.*

55. *Voluta candidiſſima* rufis in albo imaginibus. HEBENSTREIT M. R. p. 311.

56. *Pecten* aequiauritus, aurantius, ſecundum longitudinem plicarum ſulcatus. KRATZENSTEIN.

57. *Turbo pica* teſta umbilicata, conico rotundata, laeui, denticulo umbilicali. L. p. 763. §. 542.

58. *My-*

58. *Mytulus* expolitus, roſeus, coeruleſcens, virgis obſcure indicis diſtinctus. KRATZENSTEIN.
59. *Pecten* minimus aequiauritus, faſciatus, conicus. KRATZENSTEIN.
60. *Pecten, concha palliata* tenuis auribus inaequalibus, citrini coloris. §. 70. f.
61. *Murex Morio* teſta patula, caudata, nigra, faſcia alba, ſpirae anfractibus ſubnodoſis, columella rugoſa. L. p. 753. §. 481. *Die Mohrenbande.*
62. *Murex colus* teſta turrita, ſubrecto caudata, ſtriata, nodoſo circinata, labro crenulato. L. p. 753. §. 480. *Der lange Weberſpuhl.* Tab.XII
63. *Pecten* variegatus, quibusdam coſtis aſper, caetera laeuibus. LISTERI. Tab. 185.
64. *Pecten* inaequaliter auritus, ex aurantio puniceus obſcurioribus maculis ſignatus. KRATZENSTEIN.
65. *Rhombus* ſubpurpureus ex ruffo nebulatus. LISTERI. Tab. 745.
66. *Abacus Sinenſis* ſiue conus fuſcus, ocellis albis, regulariter diſpoſitis donatus. KRATZENSTEIN. *Das chineſiſche Rechenbret.*
67. *Buccinum bilingue* laeue, valde tenue, anguſtum ex ruffo variegatum, clauicula productiore. LISTERI. Tab. 852. fig. 7. *Die Canarienſchnecke.*
68. *Conus Monachus* teſta gibba, fuſco coeruleſcente nebulata, acuta, baſi ſtriata. L. p. 714. §. 262.
69. *Buccinum ruffum* teſta decuſſatim ſtriata, cingulis nodoſis interdiſtinctis, linea gemina, apertura dentata, cauda recurua. L. p. 736. §. 385.
70. *Argyroſtomus* tenuis, croceus, ſulcatus, albidis maculis notatus. KRATZENSTEIN.
71. *Mytulus*, ut videtur, expolitus, maris balthici, virgis indicis ſuper fundo cinereo albo conſpicuis. KRATZENSTEIN.
72. *Muſculus* maior latiſſimus ex caſtaneo purpuraſcens. LISTERI. Tab. 364.

73. *Arca Nohae* teſta oblonga ſtriata, apice emarginata, natibus incuruis remotiſſimis margine integerrimo hiante. L. p. 693. §. 140.

74. *Cypraea cribaria* teſta umbilicata, lutea, punctis rotundis albis. L. p. 723. §. 310.

75. *Granum oryzae* Porcellana minor albida, purpurascens, nodoſa, per medium dorſi ſulcata, natibus aurantiis. KRATZENSTEIN.

76. *Trochus* viridis nodoſus. KRATZENSTEIN.

77. 78. *Pectunculi* non auriti, alte fornicati, zonis flauis ſuper fundo candido, vel ruffis ſuper fundo cyaneo picti. KRATZENSTEIN.

XII.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et belles Lettres. Année 1756. à Berlin, chez Haude et Spener. 1758. 4. alph. 2. pl. 23. tab. aen. 12.

i. e.

Hiſtoria Academiae Regiae Scientiarum et elegantiorum Litterarum. an. 1756. Berolini etc.

Quae in claſſe philoſophica experimentali continentur, ſequentia reperies.

p. 3. 1) *Diſquiſitiones de vi imaginationis grauidarum in foetus, occaſione canis monſtroſi.* Auctore Cl. ELLER. Cum in mutandis infantum, intra uterum adhuc degentium, corporibus, ab omni aeuo maternae imaginationi multum tribuerint philoſophi, variique varie rem hanc declarare annisi ſint, Noſter ideo, ſententiis de hac re prolatis nondum contentus, omni nunc ſtudio diſquirit, num fieri poſſit, ut foemina, tempore grauiditatis horrore extra-

ordinario affecta, vi proinde imaginationis foetum in utero partibus quibusdam priuet, figuram humanam in non nullis corporis locis mutet, vel et adeo cauſſam praebeat, ita, ut vel ungulae, cornua etc. producantur, vel etiam talia, ut ceraſa, fraga etc. quae antea vehementer appetiit, neque tamen particeps eorum fuit, exteriori poſthac corporis habitu imprimantur. Ad dirimendas igitur has quaeſtiones primo oſtenditur, quid ſit imaginatio. Haec non niſi rei abſentis repraeſentatio dicitur, ope neruorum excitanda. Aſt neruos vera inſtrumenta ſuppeditare, certiſſimum eſt; ita, neruis opticis aut acuſticis deſtructis, ideae proinde, quas de ſono aut rebus, per viſum tantum diiudicandis, habemus pereunt. Quid? quod nerui, a rebus ſenſualibus affecti, tam vehementes per ſaepe excitant affectus, ut non ſolum ſanguinis volumen, ſed et totum adeo corpus inſigniter moueatur. Cum itaque inter matrem et foetum vinculum arctiſſimum ſit, fieri omnino poteſt, ut matris, vehementi terrore primis menſibus perculſae, totum corpus, in primis ſanguinis maſſa mire moueatur. Hinc tenellum embryonis corpus turbatur, atque ita quidem, ut, leuiſſima uteri mutatione facta, obſtaculum naſci poſſit, quo pares aliqua, in primis in extremitatibus, comprimatur ſicque impediatur, quo minus euolutio eiusdem ſuccedat. Ita arteria v. g. brachialis compreſſa et obſtructa euolui poſtea nequit, inde demum fit, ut infans, in lucem editus, absque brachio deprehendatur. Pari etiam ratione maculae iſtae cutaneae, ceraſa aliaque, quae naeuos maternos vocant, declarari poſſunt. Fac enim venae embryonis, corpore matris turbato, comprimantur, nonne tunc arteria, cum vena iſta communicans, ſanguinemque continuo appellens, ob denegatum tranſitum, fluidum in vas lymphaticum proximum cogit, hoc extendit, rubrisque globulis replet? Nonne igitur maculae in cute tunc perſiſtunt,

et

et ſi ſphaericam paulo figuram habent, ceraſa, aut ſi paululum eleuatae, pilis inſimul dilatatis appareant, mures repraeſentare videntur? Quicquid autem de neruorum foetus communicatione cum neruis matris, deque vaſorum et foetus et matris anaſtomoſi ad explicandam imaginationis vim proferant, id ſane veritati non conſentaneum eſt; ſiquidem nec ullum neruorum inter foetum et matrem commercium, nec etiam peculiaris vaſorum anaſtomoſis demonſtrari unquam poterit. Ergo nunquam imaginationis maternae vis, ſed mutatus tantum et inordinatus ſanguinei nerueique fluidi in matre motus, ſingulares iſtos in foetu producit effectus.

p. 10. Cum vero et alia ſaepe monſtra producantur, quae partibus abundant et ideo *Monſtra per exceſſum* vocantur, hactenus dicta ibi valere nequeunt, ſed alia ratio locum inueniat, neceſſe eſt. Hac itaque occaſione canis monſtroſi, qui Berolini capite Galli Indici prodiit et depictus hic eſt, hiſtoria traditur. Accidit nimirum, ut canis grauida villam ſaepe, ubi Indicus Gallus fuit, intraret, ita ut Gallus, quoties iſta acceſſit, eam roſtro inuaderet atque expelleret. Quo facto canis demum pariens monſtrum iſtud Galli Indici capite edidit. In cauſſam nunc mirandae huius rei Cl. Auctor inquirens, varias ea propter de generatione ſententias recenſet, inter quas autem ea in primis, cuius auctor Cl. BVFFON eſt, Noſtro arriſit. Iſte nimirum vir, cum corpuſcula, quae LEEVWENHOEKIVS in ſemine vidit, et animalcula vocauit, in omnibus corporibus unius eiusdemque generis eſſe, deprehenderit, ea proinde pro animalculis ultro non habuit, ſed moleculas tantum ſeu partes organicas mobiles, nutritioni aeque ac generationi corporum inſeruientes, nuncupauit. Haſce moleculas omnes, ceu prima elementa omnium animalium et vegetabilium, conſiderans, in corporibus recondi, iisdemque teſticulos et ouaria pro recepta-

receptaculis eſſe, aſſeruit. Quodſi nunc, ſecundum hocce aſſertum, poſt conceptionem utriuſque liquoris ſeminalis mixtio facta eſt, fit deinde, ut moleculae a capite v. g. prouenientes, ſecundum affinitatis leges, nullum alium locum occupent, quam illum, qui pro capite eſt. His praemiſſis Noſter nunc exponit, qui fieri potuerit, ut canis ſaepe ad Indicum Gallum accedens, catulum, capite dicti Galli praeditum eniteretur. Accidere nimirum potuit, ut iſta canis eo tempore, dum coire cupiuit, ſemen Galli Indici effuſum aut oua faecunda lamberet et deuoraret. Hoc autem facto, moleculae illae, generationi aptae, et in ſemine Galli in huius animalis naturam iam mutatae, per leges circulationis ad uterum tempore geſtationis determinatae, ſedem ibi fixerunt et cum moleculis, cani propriis, mixtae mutationem produxerunt.

2) *Continuatio examinis, experimentis ſtabiliti, quod terram in aqua deſtillata puriſſima reperiri, probat.* Auctore Cl. MARGGRAF. Quae de aquae puriſſimae terra ſeptimo huius hiſtoriae Tomo Cl. Auctor inſeruit, quaeque etiam a nobis * recenſita iam habentur, ea nunc, nouis experimentis ſuper additis clarius hic exponit et confirmat. Iisdem ergo cautionibus, ad diſquirenda corpora naturalia neceſſariis, quas tunc temporis uſurpauit, etiam hic uſus eſt, quas vero, cum ſuperius a nobis tacta iam ſint, praeterire non dubitamus. Ex his itaque ea recenſenda nobis ſumimus, quae terrae iſtius praeſentiam magis magisque euincunt. p. 20.

Aquae pluuialis aut niualis, ter decies deſtillatae, uncias ſex puriſſimae retortae, cui puriſſimum pariter recipiens vitreum vas applicuit, indidit et in balneo arenae, ad gradum ebullitionis, deſtillauit, uſque donec una tantum drachma remanſerit. Reſiduum p. 23.

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. II. p. 248.

um hoc examinatum aliquo modo turbidum fuit, quodque in deſtillatione tranſiit, vaſis inuerſis in retortam iterum redire coegit, idque trigeſies, repetiit. Quo facto aquam iſtam, antea tranſparentem, ſemper turbidiorem, tandem prorſus turbidam, inque fundo retortae puluerem album corruſcantem ſeu terram ſeparatam deprehendit. Monet autem Noſter, fortem ſemper inter deſtillandum ſeruari debere caloris gradum, quia animaduertit, quod, quo fortior calor fuerit, eo plus terrae ſe ſeparauerit.

p. 26. Ad ſeparandam hancce terram calorem etiam ſolis aeſtiuum adhibuit, et, omnibus cautionibus adhibitis, terram quoque ſeparatam obtinuit. Tandem etiam aquam hanc deſtillatam puriſſimam, vaſis optime clauſis indidit et per octo ſeptimanas continuae agitationi molendini expoſuit. Quo facto vaſa firmiter etiamnum clauſa, aquam vero intus contentam prorſus non turbatam ſed puram reperit. Licet autem haec agitatio nullam mutationem induxerit aquae, conquaſſatio tamen ab homine quodam per octo dies continuata, turbidam iſtam reddidit. Ex his autem, terram iſtam et absque calore adhibito, in multo minori tamen copia, ſeparari omnino poſſe, Noſter colligit.

p. 28. Hanc terram examini ulteriori ſubiecit, et quatuor eiusdem grana teſtae commiſſae, aliique teſtae quatuor itidem grana vitri, ſubtiliſſime triti, indidit, et utraque igni forti per horam expoſuit. Diſquirens poſtea iſthaec corpora, vitrum tritum fuſum, terram vero plane non mutatam reperit. Aſt, alio experimento terram hanc fuſam animaduertit. Cum autem id non niſi terris compoſitis accidere poſſit, puritatem itaque huic terrae conciliare Noſter ſtuduit, inde terram memoratam cum acido nitroſo miſcuit, cum quo efferueſcens ultra ponderis dimidium ſoluta fuit. Quod remanſit et omnem ſolutionem reſpuit, iterum igni fuſorio expoſuit, et plane non

mutatum

mutatum demum reperit. In ſolutionem cum acido nitroſo factam acidum vitriolicum inſtillauit et verum tunc praecipitatum ſeleniticum obtinuit. Adiecit etiam eidem ſolutioni, alio vaſe, detentae, ſalem tartari et pariter praecipitatum albo rubeſcens animaduertit, quod edulcoratum veram indolem calacaream oſtendit. Terram tandem, quae in filtro remanens omnem ſolutionem cum acidis reſpuit, nec per ſe igni forti fundi potuit, cum ſale tartari miſcuit et igni fuſorio miſcelam hanc exponens purum demum vitrum obtinuit.

3) *Obſeruationes de morbis cordis.* Auctore Cl. MECKEL. Tradit hic Cl. Auctor continuationem obſeruationum undecimo huius Hiſtoriae Tomo * inſertarum. Cum autem morbos, quos cordis cum pericardio concretio, a coagulata lympha aborta producit, ibi pertractauerit, nunc alias cordis affectiones, atque vehementiores quidem, inflammationem nimirum cordis et pericardii recenſet. Ad comprobandum huncce ſtatum morboſum varias obſeruationes adducit, ex quibus primaria momenta hinc inde decerpere liceat. p. 31.

In iuuene, viginti duorum annorum, pericardium inferius inflammatum, vaſa eius turgida, pulmones quidem naturales, ſed vaſa eorum copioſo ſanguine referta, animaduertit. Pericardio aperto pus craſſum et flauum in conſpectum venit, cordi vero cruſta craſſa adhaeſit, ita, ut difficulter ſeparari poſſet. De reliquo exterior cordis lamina inflammata fuit, neque vero eius fibrae, et praeter pus nullam aquam in ſe recondidit pericardium. Ex his itaque ipſarum fibrarum cordis inflammationem, quam obſeruatam non nulli tradunt, imaginariam eſſe, eamque non niſi in eius velamento locum habere, Noſter colligit.

* vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 630.

git. Statim enim ac fibrae cordis inflammentur, motum eius ceſſare, putat.

p. 34. In homine quinquagenario totam interiorem laminam pericardii inflammatam, cauitatem vero copioſo pure repletam, laminamque internam cruſta, alba, tenaci, purulenta, fereque membranoſa obtectam, atque exterius pinguedinem circumfuſam, ſolita duriorem et ad aortam fere ſcirrhoſam, reperit. Pericardio ſeparato et pure fluido remoto, cor cruſta tenaci purulenta tectum apparuit, qua remota alia cruſta purulenta, cordi et vaſis maioribus valde adhaerens, in conſpectum venit. Sub hac parui faſciculi muſculoſi, ob laminam cordis arroſam, fere nudi apparuerunt, ita, ut pus ipſe fibrarum interſtitia iam intraret. Auriculae copioſo pure craſſo obductae et inflammatae, ventriculus vero ſiniſter non inflammatus fereque vacuus fuit. Dextrum ventriculum una cum auricula et arteria pulmonali copioſus repleuit ſanguis, materie alba intermixtus. Caeterum omnes cordis venae, ad cauam venam tendentes, coagulo nigro, albis ſtriis praedito, planae fuerunt, pulmonales vero paucum minusque denſum ſanguinem continuerunt. In venis hepatis, ad cauam euntibus, multus ſanguis coagulatus niger, fibris albis denſis mixtus, in portarum vero ramis pariterque liene paucus idemque valde fluidus apparuit, atque aorta, una cum ramis fere vacua, paucum admodumque fluidum in ſe recluſit ſanguinem. Ex his itaque inflammationem in minimis exterioris et celluloſae, pinguedine repletae, tunicae cordis vaſculis initium capere, et ob deficientem vaſculorum preſſionem eandem facile oriri poſſe, ſequitur. Obſtructa autem facile in ſuppurationem abeunt, qua facta, membrana arroditur et deſtruitur. Puris quantitatem vaſa exhalantia arroſa, liquidumque hinc continuo effundentia largiuntur. Cruſta vero in interiori pericardii et exteriori cordis lamina deprehenſa

prehenſa a liquore pericardii coagulabili dependet. Cumque pus reſorptum fibras albas undiquaque immiſcuerit, immutabilis ergo eius natura eo eluceſcit. Haecce porro obſeruatio, contextum celluloſum pinguem inflammationi fauere, nullum tamen, niſi cordis pinguedo antea induretur, ei locum relinqui, probat. Atque cum eadem quoque oſtenderit, celluloſum, qui cor ambit, textum dein eius ſuperficiem, minime autem ipſum cor inflammari, cauſſa proinde in motu continuo, ſanguinem ſemper ex venis expellente, quaerenda eſt. Dum autem, hoc facto, ſanguini arterioſo nullum obſtaculum naſcitur, arteriae ergo non poſſunt non ſanguinem omnem expellere; quapropter cordis quoque vaſa ſemper in tali ſtatu poſt mortem vacua reperiuntur. Sed nulla etiam inflammatio in ipſis cordis fibris ob aliam rationem locum habere poteſt, quia alias, obſtructione facta, fibrae tunc rigidae euadunt, hincque cordis motus cumque hoc vita inſimul ceſſat. Aſt accidit demum; antequam vero id fit, cordis vires augeri, ſequitur. His autem auctis ſanguis magis condenſatur, condenſatus vero in arterias fortius pellitur, quae ob impulſus vehementiam fortius reagunt, celeriusque in venas pellunt, hinc ergo ſanguinis condenſati accumulatio in venis. Arteria pulmonalis debilior cum ſit aorta, ſanguinem proinde attenuare nequit, hinc iſte condenſatus in ea cernitur. Ergo etiam condenſatus in ventriculo dextro colligatur, neceſſe eſt. Inde autem anxietates et ſymptomata reſpirationis difficilis eorum, qui inflammatione cordis laborant. Cum denique ſanguis in liene inque vena portarum ſimul fluidus repertus ſit, illum ergo hepati famulari, haec obſeruatio euincit.

In iuuene, qui inflammatione cordis periit, pericardium pure plenum inque venis ſanguinem non coagulatum, ſed diſſolutum Noſter reperit. Id autem ex viuida cordis contractione, quae iuuenibus p. 41.

 eſt,

eſt, deducit. Hac enim omnem ſtatim ſanguinem in putredinem reſolui, aſſerit.

p. 42. In ſene ſexagenario, qui ex infima plebe, cuiusque proinde vitae genus minus cognitum fuit, aortae interiorem ſuperficiem ad iliacas uſque exulceratam, idque eo magis, quo propior cordi fuit, vidit; ipſum tamen cor non mutatum deprehendit. Mirum ergo, unde factum fuerit, ut aortae ſuperficies ſenſim ſenſimque et quidem per longum tempus exulcerari poſſet. Iſtum enim hominem de vehementi ad dorſum et thoracem dolore diu multumque conqueſtum eſſe, Noſter perhibet.

p. 46. In alius ſexagenarii corpore diſſecto aneuriſma aortae vidit, atque eo quidem in loco, ubi arcus eiusdem arteriam pulmonalem tranſcendit. Statum hunc morboſum ex valida contractione, vi interim aortae debili exiſtente, dependere, autumat.

p. 49. In alio corpore ſenili valuulas aortae ſemilunares, ob materiam arenoſam circa aortae principium collectam, valde tumidas reperit, quarum duae penitus coalitae, una vero libera quidem, ſed valde tumida fuit, ita ut parua tantum apertura, quartam partem naturalis magnitudinis aequans, relinqueretur. Praeterea orificium auriculare, ſolito anguſtius, annulum valuuloſum durum et valde tumidum, poſterioris ventriculi cauitatem paruam, anteriorem vero aeque ac ſinum venarum pulmonalium valde tenues et dilatatos reperit.

p. 52. In foemina, hydrope defuncta, annulum membranoſum, qui orificium, inter auriculam et ſiniſtri ventriculi caueam conſpiciendum, alias obducit, mutatum vidit. Rigidam nimirum, duram et carnoſam ſubſtantiam, muſculis ventriculi papillaribus immediate adhaerentem, ex orificio iſto in ventriculum tendentem, hincque orificium valde paruum animaduertit. Praeter hoc aortae diametrum ventriculique ſiniſtri cauitatem, ſolitis minores, arteriae vero pulmona-

pulmonalis diametrum maiorem, venarumque pulmonalium ſinum valde dilatatum, illarum contra diametrum ſolita minorem, tandem dextri ventriculi caueam, naturali maiorem deprehendit. Ex his ſequentia annotantur: Sanguis ob reſiſtentiam in ventriculo poſteriori repertam, ſinum, non autem venas pulmonales, dilatauit, quae vero, cum ſinus dilatatus adeo fuerit, extendi hinc non potuerunt. Eo enim dilatato, venae pulmonales nullam inueniunt reſiſtentiam, hinc igitur earum diameter minime extenditur. Ex eadem hac re et ratio reddi poteſt, cur venae pulmonales, ad arteriam comparatae, huc minores ſint, cum tamen reliquae corporis venae, ratione diametri, ſemper arterias comites ſuperarent. Quodſi nimirum fieri poſſet, ut dilatarentur, liberiori hinc aeris in pulmonem viae impedimentum naſceretur. Quare, ne hoc fiat, natura huic rei proſpexit, et reſiſtentiam venis hiſce nullam apposuit. Eadem haec obſeruatio docet, cauitatem ventriculi anterioris, poſteriori maiorem in ſtatu naturali non eſſe. Sed hicce ſtatus non niſi in foetu, nondum nato, deprehenditur. Quam primum vero in lucem editus eſt, cauitas anterioris ſenſim maior fit, quia ſanguis, per pulmones tranſiens, ob impedimenta, v. g. clamorem, illico in venas pulmonales non euacuatur; qua propter arteria pulmonalis dilatatur, atque, cum et ibi ſanguis haereat, iſte ergo omnis ex ventriculo anteriori proiici nequit, inde dilatatus poſteriori tunc ſemper maior cernitur. Hoc autem facto, carneae illius fibrae tenuiores fiunt, cum contra, cauſſa iſta ceſſante, poſterioris fibrae craſſiores maneant. En itaque ex his conſectaria pathologica! Cum in caſu poſteriori orificium auriculare poſterius valde anguſtatum fuerit, paucus proinde ſanguis cauitatem ventriculi intrare potuit; hinc in ſinu accumulatus iſthunc dilatauit, quo facto venae pulmonales, nullam reſiſtentiam ibi inuenientes,

 extendi

extendi non potuerunt; ergo ſanguis in arteria pulmonali accumulatus hanc dilatauit, idemque anteriori inſimul ventriculo reſiſtentiam peperit fecitque, ut et ibi accumulatus hunc ipſum dilataret, quo circa ob eandem accumulationem et anterior auricula et vena caua dilatatae fuerunt. Cum autem ſanguis ex vena caua debite tunc exire nequiuerit, in multis partibus non potuit non oriri ſtagnatio. Inde hydropis origo. Cumque' porro paucus duntaxat ſanguis ex ventriculo poſteriori in aortam venerit, debita humorum ſecretio facta non fuit, hinc nutritionis defectus et mors.

In caſu, hunc antecedente, anguſtatum pariter orificium arterioſum ventriculi poſterioris mutationem cordis protulit. Cum autem non ſolum orificium arterioſum, ſed et auriculare inſimul anguſtatum fuerit, ventriculus ſufficienter dilatari non potuit, hinc parua eius cauitas atque craſſities magna intelligitur.

p. 61. In alio pulmones, ſanguine plenos omnesque pariter cauitates cordis, ſanguine turgidas, reperit, excepta aorta, quam vacuam et praeter naturam coarctatam et valde craſſam deprehendit. Huius orificio valuulae ſemilunares tenues et relaxatae praepoſitae fuerunt, quo aperto, eae dilaceratae apparuerunt, atque margo cordis liber diſruptus. Subſtantia muſculoſa ventriculi poſterioris laxa, pallida valdeque tenuis fuit, eiusque cauitas anteriorem ſuperauit.

p. 62. In ſexagenario tandem robuſto, poſterioris ventriculi cauea amplitudinem anterioris fere ſuperauit, et valuulae ſemilunares breues et recuruae, margo autem liber inaequalis inque anteriori parte dextrorſum dilaceratus apparuit. Aorta de reliquo craſſa, interius inaequalis et ſcabra fuit, et tubercula exhibuit materie lapidea referta.

Ex

Ex utroque hoc caſu, praeternaturalem aortae craſſitiem, cauſſam, cur fluento ſanguinis reſiſteretur, dediſſe, colligitur. Sanguis ergo, non omnis ex ventriculo expulſus, hunc dilatauit, inde eius ſubſtantia tenuis atque cauitas magna dependit. Inſimul autem intelligitur ratio, cur et in ſtatu naturali anterioris ventriculi ſubſtantia muſculoſa debilior ſit. Cum enim ſanguis, ex hoc ventriculo exiens, maiorem reſiſtentiam in arteria pulmonali, quam ſanguis ventriculi poſterioris in aorta inueniat, illum itaque dilatari et debiliorem hinc fieri, ſequitur.

4) *Nouae obſeruationes, hiſtoriae de rubigine cerealium inſeruientes.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Id mali genus, quod rubigo vocatur et in omnibus plantis, omni regione et quouis anni tempore obſeruatur, plantas iuniores ſpongioſas et ſucculentas magis, quam adultas et annoſiores infeſtat, atque in illis latius quoque, quam in his ſerpit. Quo tenerior autem planta, quoue pars eiusdem tenerior eſt, eo magis malum hocce locum obtinere poteſt; inde etiam fit, ut flores iſti malo prae reliquis maxime obnoxii ſint. Raro rubiginem in ſe fouent plantae ſylueſtres, crebrius contra cerealia omnesque pariter plantae, quae cultae dicuntur. Cauſſa, cur cerealia huic malo adeo obnoxia ſint, in feſtinatione meſſis, ut Noſter putat, quaerenda eſt. Antequam enim hordeum et triticum plenarie maturuerit, ea iam colliguntur, hinc humida in villas introducuntur, atque ita variis malis anſa ſuppeditatur. Inter plantas ſylueſtres, in quibus interdum, licet perraro, rubigo reperitur, non nulla gramina huc ſpectant, ut *arundo*, *typha paluſtris*, *carex*, *gramen anatum*, *panicum*, *lolio*, *lolium temulentum* etc. Dein etiam eae plantae, quarum flores ratione ſtructurae cum herbis conueniunt, ut *Polygonum*, *Perſicaria*, *Lapathum*, *Biſtorta* et *Fagopyrum*. Inter ſemina p. 66.

 cerealia

cerealia rubigini, ſeu necroſi florali, minus obnoxium eſt ſecale, ſaepius vero hordeum et triticum, nec raro auena et milium. Aſt in his omnibus notandum tamen, malum hoc, omnia, ſiue hyberna ſint ſiue aeſtiua, infeſtare atque eo tempore, quo caules et poſthac ſpicae emittuntur, ſe manifeſtare. Diu latet rubigo, antequam in conſpectum venit, licet diu iam culmos infecerit; ſed tum demum, quando vaginae, ſpicas cum floribus includentes, a ſe inuicem recedunt, ſe prodit. Principium corruptionis ſi quaeſiueris, iſtud in ſtaminibus et piſtillis reperies, a quibus quippe incipit et ſenſim ſenſimque latius ſerpens externas quoque afficit. Cum autem ſtamina et piſtilla interiores partes ſint; ſedes ergo corruptionis primaria in medulla granorum, ſationi deſtinatorum, nec in ulla alia re quaerenda eſt. Puluis in quem corrupti flores abeunt, nigerrimus eſt, et non niſi fruſtula vaſorum minimorum ſiſtit. Cum autem in ſeminibus, mature collectis, corruptio inceperit, et nunc demum, quando culmum protrudere ſolent, ſe manifeſtauerit, iſtud malum tunc temporis nullam medelam admittit.

p. 89. Haecce corruptio, quae in floribus tantum incipit, et ideo *necroſis floralis* dicitur ab ea corruptione, quae fructificatione peracta in ſeminibus reperitur, et *Clauus*, germanice *Affterkorn* vocatur, probe diſtinguenda eſt. Huius enim corruptionis cauſſae aliae ſunt. Ita copioſa pluuia una cum magno calore eo tempore, quo culmus in optimo incremento eſt, et iam floret, obſeruata cauſſam dare poteſt. Vel alia cauſſa in inſecto paruo, quod a LINNAEO *Scarabaeus minimus ater florilegus* dicitur, quaerenda eſt. Hic enim partem floris mordet, quapropter ſuccus deficit, et pars corrumpitur. Alia denique cauſſa eſt, quando tempore efforeſcentiae copioſa pluuia calicem et fructum tenellum ita replet, ut languor humo-

humorum, ex hoc obſtructio et demum mucor oriatur.

Quod ad cauſſam prioris corruptionis, necroſis floralis, ſpectat, haec, ut paucis iam dictum, a ſeminibus nondum plane maturis et cito collectis dependet. Cum autem ſemina nondum penitus matura lacteum quaſi ſuccum habeant, hic autem facillime mutari poſſit, ratio ergo in promtu eſt, cur ſemina immatura germinationis opus poſthac corruptum ſiſtant. Sique demum viſcidam illam ſeminum ſubſtantiam, ex aqua, terra ſubtili, acido, valde diluto, paucoque inflammabili inter ſe mixtis compoſitam eſſe, perpendamus, haec ergo, niſi maturitatis tempore in culmo adhuc perfecte miſceantur, facillime corrumpi, certum eſt. Accedit ad hoc, quod ſemina, quae nondum matura meſſuerunt, non ita diu aeri exponant et exſiccent, ſed quantocyus in horrea ducant, ibidemque compreſſa ſeruent. Quo facto corruptionis ſtatus, ob ſuperfluam humiditatem multo magis promouetur. Ex his, quae hactenus dicta ſunt, cerealium rubiginem deſtructionem omnium partium eſſentialium floris plenariam eſſe, inque proceſſibus iſtis medullaribus, intra cotyledones reperiundis, ortum habere, colligitur. P. 94.

5) *Commentarius, ſiſtens noua experimenta electrica, notatu digna.* Auctore Cl. AEPINO. Occaſionem, experimenta haec inſtituendi, Cl. Auctori ſuppeditauit lapis ſingularis, qui inter pretioſos lapides inſulae Ceylan refertur et *Trip* ſiue *Tourmalin*, Germanice *Aſchenzieher* vocatur. Iſte tranſparens eſt, colore fuſco ut Hyacinthus, ſed obſcuriori gaudet et per aliquot tantum annos cognitus vix a mineralogiae ſcriptoribus nominatur*, a ZINCKIO tamen et IVSTI breuiter commemoratus. Quodſi iſte lapis calefactus eſt, cineres tunc, calces metallicas et omnia P. 105.

* HEBENSTREITIVS iam diu ante hos viros illum recenſuit in praefamine Muſei Richteriani. p. 37.

omnia corpora leuiora, paululum admota, attrahit; quo charactere ſe ab aliis lapidibus diſtinguit, et germanicum etiam nomen inde ortum eſſe videtur. Quod ad experimenta pertinet, ea non niſi lapidis iſtius attractionem et repulſionem, ab electricitate prouenientes, tradunt. En itaque ſingularia, quae decerpere inde potuimus! Lapis iſte absque frictione calefactus, non exiguam electricitatem prodit; quod autem notatu dignum, quia unicum, electricitatem in corporibus excitandi, medium frictio alias habetur, excepto ſulphure, reſina et cera hiſpanica ſimilibusque fuſis, quippe quae, dum frigeſcunt, electrica fiunt, absque eo ut frictio adhibeatur. Omnes vero ſpecies vitri, quorſum et lapides referas, electricitatem poſſidentes, non niſi frictione eam manifeſtant. Cum itaque iſte lapis adhanc claſſem pertineat, et electricitatem absque frictione prodat, iſte ergo unicus in hac claſſe eſt, ideoque notatu dignus. Differentia corporum, quae in electricitate obſeruatur, duplex eſt, altera, quae attrahit, altera vero, quae repellit. Regulae autem generales, quae per experientiam hactenus ſtabilitae de electricitate corporum traduntur, ſequentes ſunt: Quando duo corpora eandem electricitatem eodem gradu poſſident, ea ſibi inuicem admota, ſe repellunt. Altera regula eſt: Quando duo corpora electricitatem diuerſam poſſident, unum igitur alterum attrahit. Prior electricitas dicitur poſitiua, et in vitro, pannis laneis fricto, deprehenditur. Poſterior vocatur negatiua, et in cera hiſpanica aut ſulphure frictis animaduertitur. At vero, in lapide hoc non alterutra ſed ambae proprietates ſimul adſunt. Ergo ſingulares electricitatis leges in lapide iſto reperiuntur, quas ſequentes habebis: 1) *Lapis hic omni tempore et poſitiuam et negatiuam electricitatem oſtendit, ita, ut ſi unum latus poſitiuam prodat, alterum negatiuam exhibeat, et vice verſa.* 2) *Lapis iſte per aliquot*

quot minuta in aqua ebulliente detentus, ſit electricus, ita, ut unum latus poſitiue, alterum negatiue electricum reperiatur. Hic notetur, in vaſe metallico fortiter calefactum exiguam electricitatem prodere, ſenſim tamen magis electricum fieri, ſi paululum refrigeſcat; electricitatem vero, quam in aqua ebulliente acquirit, etiamnum in refrigerato durare. 3) *Lapidis iſtius latus, quod electricitatem poſitiuam naturaliter habet eo diſponi poteſt, ut negatiuam acquirat, et vice verſa. Poſtea autem lapis iſte ſponte eo redit, quo antea fuit, ita nimirum, ut, quae poſitiua eſt electricitas, negatiua autem facta fuit, iterum poſitiua fiat* etc. 4) *Si lapis iſte metallo calefacto aut laminae vitreae aut carboni ardenti imponitur, latus tunc, quod incumbit, ſemper electricitatem oppoſitam acquirit, ita, ut, quod antea poſitiuum fuit, nunc negatiuum fiat etc. Sin vero intra duas laminas calefactas ponitur, in ſtatu naturali manet.* Hic, experimenta docent, quod, ſi unum latus altero calidius ſit, ſemper ſtatus oppoſitus deprehendatur; ſin vero utrumque latus aequaliter calefactum ſit, ſemper ſtatus naturalis animaduertatur. 5) *Lapis iſte* etiam, *dum fricatur*, *electricus ſit*, ita tamen, ut pro ratione modi frictionis et pro ratione corporis, cui affricatur, varie mutetur. Haec experimenta iterum docent, lapidem hunc duplici electricitate praeditum eſſe, altera, quae omnibus lapidibus pretioſis et vitro communis eſt, altera, quae ipſi propria. Haec ſingularis non niſi diuerſo caloris gradu opus habet, ſi manifeſta reddi debet. Quando nimirum utrumque latus aequaliter calefactum eſt, tunc alterum poſitiuam, alterum negatiuam oſtendit. Quando vero latera inaequalem calorem concipiunt, tunc latus, quod poſitiuam naturaliter habet, negatiuam nunc oſtendit etc. Sub finem tandem animaduerſiones quaedam de cauſſa concuſſionis electricae, quam in ſingulari natura vitri quaerunt, ſubnectuntur.

 6) *Expe-*

p. 122. 6) *Experimenta chemica ad ſtannum ſpectantia.* Auctore Cl. MARGGRAF. Quae de praeſentia arſenici in ſtanno tertio huius Hiſtoriae Tomo inſeruit experimenta, ea ulterius continuata nunc communicat, quorum ſummam hic vides: 1) Stanni puriſſimi ſubtiliter limati uncias duas retortae terreae indidit, et recipiente adaptato iuncturisque optime clauſis igni per gradus aucto et ad ſummum uſque euecto per tres horas continuauit. Vaſis refrigeratis, in collo retortae ſublimatum album arſenicale, inque fundo vaſis ſtannum grate ſplendeſcens in unum corpus fuſum a latere maſſa vitreſcente, coloris hyacinthini, pro particulis ferri, in ſtanno latentis, reſolutis habita cinctam reperit. 2) Idem experimentum inſtituit, ſed loco retortae duo crucibula Haſſiaca, unum alteri impoſitum, ſumſit et iuncturas luto firmauit. Hi eadem, quae in praecedenti, obſeruauit, excepto eo, quod nullum ſublimatum deprehenderit. 3) Stanni pondus cum aequali carbonum pulueriſatorum mixtum retortae terreae commiſſum et vehementi igne per tres horas expoſitum, fuſum non fuit, nec etiam ſublimatum exhibuit. 4) Vnciam unam ſtanni ſubtiliter limati crucibulo Haſſiaco indidit, quem lamina cuprea polita obtexit, et alium impoſuit. Iuncturis optime clauſis cuncta forti igni per horam unam ſemis expoſuit, vaſisque refrigeratis cuprum non mutatum, ſtannum vero pellicula alba, friabili, floribus zinci per omnia ſimili reperit. 5) Splendorem, quem ſtanno fracto ineſſe deprehendunt, ab arſenico et particulis martialibus, fuſione inter ſe mixtis, prouenire, experimento confirmatus Cl. Auctor aſſerit. Haec experimenta cum ſtanno ulterius ſuſcepta, etiamnum communicare promittit.

p. 127. 7) *Diſſertatio de floribus Aſteris montani* ſiue *Pyrenaici praecocis, floribus coeruleis et foliis ſalicis ſchiſto impreſ-*

impreſſis. Auctore Cl. LEHMANN. Reperit nimirum in Comitatu Hohenſtein et quidem in regione Nordhuſiana inter effoſſos lithanthraces fruſta ſchiſtorum, variis florum figuris donatorum, ita, ut in non nullis tota Aſteris figura expreſſa fuerit. His igitur donatus in cauſſam nunc inquirit, unde factum, ut iſti flores tam profunde terrae gremium intrarent. Omnia itaque regionis iſtius ſtrata diſquirens, illud ſtratum, quod ſchiſtum nigrum continuit, dictosque flores impreſſos habuit, admode profunde locatum reperit. Schiſtum dein hunc chemico examini exponens indolis argillaceae, aliquam partem cupri continens, et prunis ardentibus impoſitum arſenici odorem de ſe ſparſiſſe, deprehendit. Ex his omnibus autem, quae ibi recenſet, flores iſtos facta quadam terrae mutatione in profundum terrae gremium perueniſſe, mutationem autem ab inundatione et ſubſequente terrae ſubſidentia ortam eſſe, coniicit. Diuerſis enim his terrae ſtratis accurate examinatis et perpenſis, id non a mundi creatione ſed diu poſt eam et facta quadam mutatione, deducendum eſſe, aſſerit.

8) *Examen chemicum ſalis, quem verum ſalem alcalinum fixum Rhinocerotis nominare placuit.* Auctore Cl. MARGGRAF. Salem hunc, quem non nemo alcalini fixi nomine donauit, ex urina dicti animalis productum eſſe, affirmarunt. Rogatus itaque Noſter experimenta cum eo inſtituit, et ſalem iſtum nec alcalinum fixum nec volatilem, ſed ex acido vitriolico cum ferro et terra aluminoſa mixto compoſitum fuiſſe, reperit. Ex his autem, ut facile quiſquam iudicare poterit, Noſter etiam dictum ſalem minime ex urina animalis iſtius obtineri unquam poſſe, colligit. p. 145.

9) *Deſcriptio*

p. 149. 9) *Deſcriptio quadrupedis americani, ad genus urſorum a Cl.* LINNAEO *relati.* Auctore Cl. ROLOFF. Magnitudine iſtud animal, quod a Braſilienſibus *Coati* dicitur, ſelem grandiorem aequat, longitudo vero, ab ore ad caudam uſque tres pedes et ultra conſtituit, ipſa autem cauda pedem unum cum pollice longa eſt. Corpus eius pilis craſſis ſatque longis, colore partim nigro, partim brunno et flauo praeditis tegitur. Caput triangularem figuram habet, ita, ut ſuperior eius pars inferiori acuminata, roſtrum conſtituente, multo latior ſit. Labium ſuperius longitudine inferius ſuperat, aures vero verſus baſin latiores in apicem acutum abeunt. Oculi, ad corporis magnitudinem non proportionati, parui, itidemque pedes parui, anteriores graciles et debiles, poſteriores vero multo latiores fortioresque ſunt. Quilibet pes in extremitate quinque digitos, ungue inſtructos, habet. Animal, quod ob oculos Cl. Auctoris fuit libras ſedecim cum dimidia ponderauit, corpore autem huius aperto omentum ab aliorum omento diuerſum, et hepar in ſex lobos diuiſum reperit. Inteſtina tenuia ultra ſex ulnas, craſſa vero unam cum dimidia longa fuerunt. Praeterea nulla inter craſſa et tenuia adfuit valuula, coecum et proceſſus vermiformis plane abfuit, atque tenuia a pyloro uſque ad finem unicum canalem absque ulla differentia conſtituerunt, quod etiam in craſſis Noſter obſeruauit. In qualibet maxilla dentes viginti, duodecim nimirum molares, inciſiuos ſex et caninos duos animaduertit, atque vertebras colli ſex, dorſi quatuordecim, lumborum ſex, coccygis vero ſeptendecim oſſa parua numerauit. In quolibet tandem thoracis latere coſtas veras decem, ſpurias autem quatuor reperit. Locus dicti animalis natalis tam meridionales quam ſeptentrionales Americae regiones ſunt, et fructibus et carne, in primis piſcibus veſcitur. Quod ad genus attinet, ad quod animal hocce referunt, Noſter cum

LINNAEO,

LINNAEO, qui urſorum generi iſtud annumerat, minime conſentit, cum multum quoad caput, pedes, caudam et totum ſere corpus ab urſis differat: Verum iis potius ſuffragatur, qui inter vulpes idem hocce referunt. Qui accuratiorem huius animalis deſcriptionem deſiderant, hos ad ipſum librum ablegamus, ubi iconibus etiam expreſſum animal animaduertere licet.

XIII.

Obſervations on the internal uſe of the Solanum or Nightſhade, by THOMAS GATAKER, Surgeon to Weſtminſter Hoſpital. The fourth Edition, to which is added a Supplement, printed for R. and I. Dodsley. 1757. 8. pag. 92.

h. e.

Obſeruationes, quae internum uſum Solani exponunt, auctae et quartum editae a Th. GATAKERO, cet.

Hoc libello Cl. GATAKERVS ciues ſuos non ſolum vim ſalutarem Solani docere, ſed etiam ab imprudenti eius uſu auocare vult. Legimus poſt p. 1. breuem introductionem, quae hoc auctoris conſilium generatim declarat, hiſtoriam experimentorum, p. 6. cum Solano in corpore humano inſtitutorum, olim quidem ſocietati regiae Londinenſi praelectam, nunc autem auctam et diligentius ſcriptam; eamque additamentum excipit, quod merito curas poſteriores, quibus antecedentia tum rectius explanantur, tum magis confirmantur, dixeris. Scriptioni occaſionem dedit narratio de cancro, Solani lethalis infuſo ſanato, quae libro *Bibliotheque des beaux Arts et des Sciences* dicto inſerta eſt; uti etiam hac permotus auctor virtutem huius remedii indagare coepit.

Initio

p. 7. Initio tantum ipſi licuit vim ſolani hortenſis experiri et huius infuſo aduerſus impura ulcera, pertinaces dolores, in ſingularibus corporis partibus ſcorbuticas eroſiones, aliosque ſatis obuios nec peculiari malignitate ſtipatos morbos, ſi duos ad carcinomatis indolem accedentes exceperis, non infeliciter pugna-
p. 8. uit. Quo ſaepius autem et cautius hanc medicinam adhibuit, eo clarius cognouit, interdum unam unciam aquae coquentis uno grano foliorum huius plantae infuſam, decantatam et veſpertino tempore datam magnam vim exſerere; duo vero vel tria grana ſaepiſſime vomitum, ſudorem aut lenes alui deiectiones ciere aut largiorem urinae copiam prouocare. Non nunquam ex uſu eius oriebatur capitis dolor, vertigo et ex hac oculorum hebetudo; quae tamen ſymptomata non ſemper imminebant et, una alteraue doſi repetita, euaneſcebant aut mitiora fiebant; nec raro etiam ſomnolentia primum uſum eius comitabatur. Plerumque vero deglutito hoc infuſo calebat totum corpus, ac poſt paucas horas multo ſudore perfundebatur, quem proximo die lene alui profluuium ſequebatur. Si autem nullus ſudor proueniebat, inſolita urinae copia excernebatur, ſaepe etiam aluus ſoluebatur, ſemper vero una harum ex-
p. 9. cretionum augebatur. Haec clarius euincit auctor, dum octo peculiares caſus enumerat, quibus Solanum oppoſuit, quos autem repetere tum nimis lon-
p. 24. gum tum minus neceſſarium foret. Poſtea iubet in non nullis caſibus aegrotis initio ſaltim dimidiatum granum huius medicinae exhibere, hanc vero doſin aut ſaepius dare aut augere, prout id eius vis, qua in corpus aegrotantium agit, huius robur, morbisque natura requirat.

p. 25. Sequitur breuis narratio de tribus Solani ſpeciebus earumque uſu, quam auctor STILLINGFLEETO, amico ſuo, acceptam fert. In Anglia triplex reperitur Solanum, nempe Solanum vulgare aut hortenſe,

Solanum

Solanum ſcandens ſeu Dulcamara, et Solanum lethale ſiue Bella Donna. Solanum vulgare variis olim morbis fuit oppoſitum. Non nulli tamen ſcriptores internum eius uſum damnant, quanquam CAESALPINVS pro eo exempla attulit. Solanum ſcandens nec THEOPHRASTVS, nec DIOSCORIDES deſcripſit. Recentioribus vero temporibus ſaepe eius, ceu externi et interni medicamenti mentio fuit facta. Solanum lethale inter venena relatum, ab WILLVGBEIO, TRAGO ac RAIO autem propter varias virtutes laudatum fuit. Etſi autem Cl. GATAKER fa- p. 30.
teatur hanc narrationem de varia Solano tributa virtute teſtari, tamen nec accuratam eius deſcriptionem nec utilem medicis putat, dicitque ſe etiam magnopere mirari, Cl. LAMBERGEN * auctorem hiſtoriae, ex commemorata Bibliotheca allegatae, poſt octo annos nullum nouum experimentum protuliſſe, quo vis Solani lethalis aduerſus cancrum indubia redderetur, indeque colligi poſſe arbitratur, eum aut hac medicina in ſimili morbo non uſum amplius fuiſſe, etſi hoc et exiſtimationi eius et felicitati multorum hominum repugnare videantur, aut repetita tentamina eius ſpem fruſtraſſe. Tantum igitur abeſt ut Auctor Noſter infuſo Solani obfirmatum cancrum ſanandi virtutem tribuat, ut potius ſaltim concedat, illud in morbis, ab eo non valde abludentibus, magnam utilitatem praeſtare poſſe. Ceterum exiſtimat Solanum hortenſe lenius, quam Solanum lethale operari.

In additamento de Solani virtute copioſius diſſerit, et eius uſum in morbis, qui eo aut non leuantur, aut grauioribus augentur ſymptomatibus, reiicit. Primum igitur ea refert, quae in duodecim p. 49.
aegrotis poſt uſum huius medicamenti obſeruata fuerunt, ac deinde concludit: illud magna vi naturales p. 72.
excretiones augendi pollere, peculiari autem aduerſus

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 261.

ſus carcinomata virtute, ut paullo ante iam monuerat, non gaudere; illud tantum in eiusmodi morbis per aliquot tempus leuamen adferre, ſed malum exſtirpare non poſſe, et eius imprudenti uſu ſymptomata exacerbari.

p. 73. Sequuntur poſtea regulae, quae ad uſum huius plantae in eiusmodi caſibus, ubi bonus euentus ſperari poteſt, pertinent; quarum ſumma huc redit: Solanum hortenſe praeferatur lethali, quia hoc grauiora ſymptomata parit; ante uſum eius vena ſecanda, aluus ducenda et vomitus excitandus eſt; unum granum ſemper ſit prima doſis; haec medicina ſemper veſpera in lecto detur, nec ante ſecundum aut tertium diem repetatur; ſi ea aluus non ducitur, aliud medicamentum, quod huic ſcopo reſpondet, aut cum Solano aut poſt illud propinetur, quia alui laxitas nunquam negligenda eſt; nec ſalus ab hac planta expectari debet, niſi perſpirationem, urinam aut aluum moueat; et ſi 5 aut 6 grana eius commemoratas excretiones non excitant, eius uſus omittendus eſt; quem ad modum id etiam fieri debet, quando poſt ſecundam doſin ſymptomata exacerbantur.

p. 76. Reliqua libelli pars oppoſita eſt iis argumentis, quibus uſus Solani oppugnatur, quaeque partim eos feriunt, qui exacerbatis ſymptomatibus ab eo non deſiſtunt, partim vero Solanum lethale in ſuſpicionem adducere poſſent. Quod enim ad Solanum hortenſe attinet, auctor exemplum feminae hemiplegia laborantis adfert, quae eius uſu facultatem ambu-

p. 82. landi recuperauit. Denique putat auctor Solanum aduerſus hydropem feliciter adhiberi poſſe, quia uri-

p. 83. nae profluuium et perſpirationem valde augeat, idque duobus exemplis probare ſtudet.

XIV.

Noua phyſico - medica.

Monachii, quae urbs caput eſt *Bauariae*, Scientiarum Academiam, Electoralem Bauaricam dicendam, fundatam eſſe nuperrime, legimus atque de illarum inde expectando laetamur incremento. Leges nimirum, huic nouae ſocietati praeſcriptas, nuper ineunte huius anni vere Monachii euulgatas tales deprehendimus, quae ſcientiarum artiumque augmenta non in Bauaricis ſolum prouinciis, ſed in genere et uniuerſe queant promittere. Illarum quidem omnium amplum recenſum habere, iam haud eſſe noſtrum exiſtimamus: interim tamen, quod noſtri attinet inſtituti rationem, debemus ex illis commemorare: duo nimirum generatim ſumta ſcientiarum eſſe genera, in quae inueſtiganda inquirere debeant ſocii, unum, quod *hiſtoricam claſſem* dictam reſpicit, in qua veteris potiſſimum hiſtoriae, artis criticae, diplomaticae, chronologicae, geographicae, genealogicae, e. ſ. p. monumenta eruantur et explicentur; alterum, quod *philoſophicam claſſem* dictam complectitur, ad quam uniuerſae non ſolum philoſophiae, a controuerſiis ſcholaſticis repurgatae, partes referri debeant, ſed in qua etiam hiſtoria atque ſcientia naturalis, in primis, quae patrias attineant prouincias, et omnium artium in genere et metallorum praecipue fodinarum reique oeconomicae ſtudium, cultura atque augmentum poſſit amplificari. Itaque tentamina omnis generis phyſica, reipublicae utilia futura, ſocios facere iubet Academia, uti etiam res naturales, in patria vicinisque prouinciis obuias, conquirere, inueſtigare, colligere nihilque intentatum relinquere, quod, quocunque demum modo, aliquam afferre poſſit utilitatem. Rariores quoque obſeruationes anatomicae, morbi tum inter homines cum pecora epidemici, natorum

et mortuorum catalogi ſingulis annis inſerentur commentariis Academiae, quos ea ipſa quidem germanica lingua exaratos, vel ſi latine ſcripti ſocietati traditi fuerint, in eandem translatos ſuo tempore publici uſus facere non intermittet. Binos quoque ſingulis annis ſolemniores celebrabit conuentus, unum menſe martio, in memoriam diei natalis, Sereniſſimo Electori ex merito feſti, alterum octobri, in quo ultimo binas quaeſtiones duplici praemio praefixas exhibebit atque coronabit, quippe quae ſingula vice tum ex hiſtorica, tum philoſophica, claſſe deſumentur.

Pariſiis nuper obiit clariſſimus medicus, LAVIROTTE, Medicinae Doctor *Regens* dictus, qui apud exercitus gallicos, in Germanicas prouincias ſub initium huius belli ductos, caſtrenſis medici munere functus fuerat. Non nullis diſſertationibus medicis aliisque in conſcribendo eruditorum diario gallico (*Iournal des Scavans*) ſimul adhibitis laboribus inter viros doctos locum meruit, plura ſine dubio praeſtiturus, niſi praematura morte, a febre catarrhali maligna effecta, in iuuenili adhuc aetate fuiſſet extinctus; id, quod factum eſſe nuper media nocte inter ſecundum tertiumque diem menſis martii legimus.

Baſileae porro die viceſimo ſeptimo iulii diem ſuum obiit ſupremum Illuſtris Regiae Scientiarum Berolinenſis Academiae Praeſes, PETRVS LVDOVICVS MOREAV DE MAVPERTVIS aetatis annum agens ſexageſimum tertium. *Maclouii*, quae urbs in Britannia minore ſeu cismarina dicta, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſeptimo natus, huius ſeculi triceſimo quinto Regiae Scientiarum Academiae Pariſienſis Subdirector ab ipſo Rege nominatus et conſtitutus, quadrageſimo tertio autem in illorum

quadra-

quadraginta Sociorum Academiae Gallicae (*Françoiſe*) numerum receptus quidem fuerat: duobus vero annis elapſis, ſecedebat Berolinum, adſentiente ſuo Rege, et Academiae ibidem florenti a Boruſſorum Rege praeficiebatur. Ab Imperiali porro Scientiarum Petropolitana Regiaque Scientiarum Societate Londinenſi adſciſcebatur ſocius. Quum tenui autem uteretur valetudine, viribus per dura admodum itinera fractis, ut ſe ab imbecillitate reficeret, Baſileam ante aliquod tempus ſeſe conferebat, lenta autem febre ibidem conſumtus. Literario illo itinere, quod Gallorum Regis iuſſu, comitantibus ipſum et adiuuantibus ſummis viris, per annos ſeculi triceſimum ſextum et ſeptimum, in extremas boreales prouincias ſuſceperat, * ut meridiani gradum ibidem dimetiendo, figuram telluris determinaret; aliis viris mathematum ſtudioſis eundem in finem in zonam torridam abeuntibus; matheſeos inſuper uniuerſae et ſublimioris potiſſimum geometriae cognitione et uſu inclaruit, magnum inde nomen conſecutus. De hiſtoria quoque et ſcientia naturali mereri voluit; cuius autem rationis fuerint ſententiae, quas de hoc ſcientiarum genere aluit, vel ex iſto ſpecimine lectoribus apparuiſſe opinamur, cuius recenſum olim in noſtris commentariis habuimus. ** Corpus ipſius *Dornaci* duo milliaria tantum ab urbe BASILEA diſtantis, in

Zz 2 coe-

* Optima itineris eius deſcriptio legitur in libello Amſtelodami 1738 edito, cui titulus eſt: La Figure de la Terre, determinée par les obſervations de Meſſieurs DE MAVPERTVIS, CLAIRAVT, CAMVS, LE MONNIER, de l'Académie Royale des Sciences, et de M. l'Abbé OVTHIER, Correſpondant de la même Académie, accompagnés de M. CELSIVS, Profeſſeur d'Aſtronomie à Vpſal : faites par l'ordre du Roi au Cercle Polaire. par M. DE MAVPERTVIS. 8.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 286 ſeqq.

coenobio, cuius monachi a veſtitu dici ſolent cucullati, humatum eſſe, legimus.

Argentoratenſis Academia ſub initium veris huius, quem agimus, anni 1759 duplicem paſſa fuit iacturam: unam morte IOANNIS BOECLERI Philoſ. et Med. D. Botanic. Chem. atque Mater. med. P. P. O. Capituli Thomani Canonici, qui die undeuigeſimo menſis maii viuere deſiit, quum iam ante aliquod tempus ſenectute grauis, laborum academicorum veniam accepiſſet; animaduerſionibus potiſſimum in HERMANNI *Cynoſuram materiae medicae*, eaque ipſa deinde duobus voluminibus continuata, inter viros doctos clarus factus: alteram vero obitu Viri Cl. PHILIPPI HENRICI BOECLERI, Phil. et Med. D. Anatom. et Chirurg. P. P. Ord. Acadd. Naturae Curioſ. et Scient. Monſpelienſis et Moguntinae Socii, cuius nuper *, quum hanc academicam ſuſcepiſſet prouinciam, mentionem fecimus.

Qui artem medicam cum laude atque applauſu docet *Göttingae*, Cl. IO. GEORG. ROEDERER, Med. D. eiusdemque et Anatomes Prof. P. Ord. a Ser. Magnae Britaniae Rege in meritorum praemium Archiatri titulo atque honoribus nuper die decimo ſeptimo menſis iulii exornatus eſt.

Memoria LAVRENTII HEISTERI Medicinae Doct. Sereniſſ. Ducis Brunſv. et Luneburg. Conſil. Aulic. et Archiatr. Medic. Practic. Chirurg. et Botanic. Prof. Publ. Ordinar. Ordinis ſui et totius Academ. Senior. Societatum Caeſareae Natur. Curioſor. Regiarum Londin. et Berolin. Scientiar. et Botanicae Florentin. Sodalis.

Scientia-

* Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 724.

Scientiarum, in primis quae efformant ornantque medicum, valde quidem arctum atque amicum eſſe conſtat vinculum, adeo, ut una ab altera ſeparari poſſe videatur vix umquam: Interim tamen una prae altera aliquam habet vim atque eminentiam, quo nimirum eius propior atque grauior eſt in humanam ſalutem amplificandam efficacia. Huius generis ex medicis doctrinis ſunt potiſſimum anatome et, quae ei quam maxime innititur, chirurgia. Sine accurata prioris cognitione verum medicum dari non poſſe vix non omnes conſentiunt: aeque tamen certum eſt, efficaciorem, quae dicitur, artis medicae partem, quippe quae manu medetur externis tantum morbis, alteri doctrinae, quae internos tollere docet morbos, plurimum afferre lucis atque incrementi, ſaepiusque omnino pluris, ac alii permulti crediderint. Medici itaque, quem imitentur poſteri, inſignem expreſſit imaginem b. HEISTERVS, qui omnes quidem artis noſtrae partes eximio ſtudio didicit coluitque, anatomen tamen atque chirurgiam prae reliquis omnibus ſingulari feruore inueſtigauit atque in aliorum conuertit emolumentum, ita, ut illum inter principes huius aeui anatomicos atque chirurgos ex merito referendum eſſe, negare vix quisquam poſſit. Quis, quaeſumus, eſt, quem, praeter alios ab ipſo editos libros, in primis eius lateat compendium anatomicum, permultis obſeruationibus nouis refertum, eoque tempore, quum prima vice prodiret, abſolutiſſimum, ideoque omnibus tam gratum, ut in multas non ſolum transferretur linguas exoticas, ſed in plurimis quoque Europae academiis proponeretur tironibus, quod ipſis explicandum eſſe iudicabatur prae reliquis omnibus. Inſtitutiones porro chirurgicae ab ipſo editae, peritiae ipſius atque experientiae in hac arte ſummum exhibent documentum, quippe quae non omnia ſolum ab aliis auctoribus tradita, in epitomen quaſi redacta,

ſed varia quoque ab ipſo inuenta vel emendata continent; quibus tamen omnibus iam data opera recenſendis eo magis ſuperſedere poſſumus, quo minus ea medicis doctis incognita eſſe ſuſpicamur, et quo ea quoque fuſius cum ipſa beati viri vitae deſcriptione iam ab aliis pluribus expoſita fuere, ex quibus in praeſenti nominare modo liceat CHRISTIANVM POLYCARPVM LEPORINVM M. D. HEISTERI vitam meritaque ſingulari libello, germanice conſcripto et anno 1725 Quedlinburgi euulgato, exponentem; IOANNEM ANDREAM SCHMIDIVM, Chemiae Profeſſorem Helmſtadienſem, in oratione *de Germanorum in anatomiam meritis* anno 1723 prodeunte, FRIDERICVM BOERNERVM *in relationum de vitis medicorum et phyſicorum* tomo primo, tandemque *memoriam* beati viri, auctoritate Senatus academici Helmſtadienſis ab IOANNE CHRISTIANO WERNSDORFIO V. Cl. perſcriptam, ex qua etiam praecipua ad ipſius vitam pertinentia iam delibare atque breuibus repetere liceat, quo minus noſtro deeſſe videamur officio.

Natus erat Noſter Francofurti ad Moenum anno ſuperioris ſeculi octogeſimo tertio, die ſeptembris undeuigeſimo, patre uſus IOANNE HENRICO, ciue Francofurtano, qui vina vendens hoſpitioque peregrinatores excipiens quaeſtum ibidem honeſto modo quaerebat; matre MARIA, ex gente *Alleinſia*, GISBERTI LAVRENTII, mercatoris filia. Parentes ingenium alacre, ſcientiis addiſcendis aptum, in filiolo intelligentes, eum ab ineunte aetate ſtudioſe erudiendum curabant, quumque nonum aetatis annum nondum expleuiſſet, in patrium ducebant gymnaſium, optimis praeceptoribus, ARNOLDO, SCHVDTIO et KLVMPFIO in primis, tradentes ſummae ſpei puerum, quorum quoque dextra fidelique inſtitutione per integrum decennium tanto cum fructu proficiebat, ut litteris non ſolum, quae ab humani-

humanitate dicuntur, arti potiſſimum poeticae, muſicae, ſcite delineandi pingendique ſed et linguis, tum romanae, tum, quae hodie vigent, gallicae et italicae felicem nauaret operam, quin et tempus a publicis auditionibus et a priuatis ſtudiis vacuum, ab aliis iisque ſolutioribus peſſime ſaepius tritum, recreationis gratia conſumeret, ita, ut ipſe ſibi libros concinnaret atque compingeret, quam artem obſeruando tantum ſpectandoque, nullo alio duce, didicerat, id, quod iam tum de ingenii eius vi ſollertique animo teſtabatur.

Altioribus deinde excolendis ſtudiis par nunc factus Gieſſam ſe conferebat anno huius ſeculi ſecundo, ut in academia ibidem florente artem medicam et, quae ad eam referuntur, ſcientias caperet atque proſequeretur. Totum ſe tradebat diſciplinae GEORGII CHRISTOPHORI MOELLERI, viri propter eruditionis amplitudinem et medicinam explanate docendi facultatem famamque clariſſimi. Vno tamen anno vix elapſo, MOELLERVS euocabatur Wezlariam, ut iudicibus collegii Caeſarei, in hac urbe ſtabiliti, a medicis eſſet conſiliis. Praeceptoris autem ſolida iucundaque oblectatus inſtitutione Noſter ſequebatur ipſum Wezlariam, eiusque ſcholis atque menſae per quatuor annos intererat: ipſum quoque comitabatur, ad vicinas thermas ſaepius abeuntem, earumque naturam, vires atque rectum uſum obſeruabat; aſſidebat cum eo decumbentibus, morborum decurſum optimamque iis medendi viam perſpiciens. Gieſſam haud procul ſitam toties repetebat, quoties publicas cadauerum ſectiones a Cl. BARTHOLDO, Gieſſenſi Profeſſore anatomico, inſtitui audiuiſſet. Chemiam quoque, praeſertim, quae medicamentorum recte praeparandorum docet modum, intelligendi colendique commoda fruebatur opportunitate, quum viri in arte peritiſſimi uteretur hoſpitio. Singulari porro rei herbariae iucunditate captus, hortos,

 prata,

prata, agros, ſiluas atque colles perluſtrabat atque pererrabat plantasque colligebat undiquaque, ex quibus exſiccatis herbarium, quod dicitur viuum, inſtrueret. Tam ſollers quoque hac in re eius erat ſtudium, ut iam tum, ante, quam in peregrinas abiret prouincias, plus quam duo millia plantarum collegiſſet.

Sacris nunc Aſclepiadeis initiatus Noſter, cognitionis rerum medicarum, anatomes, chirurgiae atque botanices potiſſimum, quo demum cunque modo poſſet, augendae flagrabat deſiderio. Quem in finem anno huius ſeculi ſexto in Belgium abibat, praeceptoris ſuaſu Lugduni Batauorum commoraturus. Conſilium tamen cito mutabat, ideoque ſecedens Amſtelodamum, COMMELINI et RVYSCHII ſtatim intererat lectionibus botanicis per aeſtatem in horto eius urbis medico inſtructiſſimo habitis, praecipue autem RVYSCHII demonſtrationibus anatomicis tam publicis, quam priuatis, in quibus ille poſterioribus famoſi ſui theſauri anatomici, ab Imperatore Ruſſorum PETRO I. magno pecuniae pretio poſtea emti, uberiorem agebat recenſum. Interim fiebat, ut alii iuuenes, anatomici atque chirurgici exercitii aeque cupidi ſe adiungerent HEISTERO, virumque inter chirurgos, lithotomos in primis, valde celebrem I. I. RAVIVM adirent, quo non ſolum uniuerſam rem anatomicam ipſis traderet, in cadaueribus recentibus demonſtrandam; ſed ipſis quoque copiam faceret cadauerum, in quibus anatomicam ſuam ſcientiam exercere et augere poſſent ipſi. Quamuis autem ſub conditione ſoluendi ſatis ingentis nummorum pretii, ut nimirum centum argenteos unciales auditorum quisque ſolueret, hoc pactum iniret RAVIVS, a promiſſis tamen non ſtabat, quin potius moleſtiſſima morum aſperitate a ſe alienabat auditores, qui alteram collegii partem audire recuſantes, in RVYSCHII tranſibant ſcholas, humaniſſime

niſſime ab eo excepti, qui ſub iisdem conditionibus, a ſordido RAVIO nihili habitis, non ſolum, quam cupiebant, anatomes partem, ſplanchnologiam puta, illos docebat fideliſſime, ſed numeroſa quoque ex publico valetudinario ſuppeditabat cadauera, in quorum diſſectionibus induſtriam diſcendique ſtudium comprobare poſſent. Ambabus quoque, uti aiunt, manibus HEISTERVS hancce arripiebat occaſionem et incredibili feruore per integram hiemem ad finem uſque menſis maii ſingulos integrosque dies cadauera incidebat omnis aetatis atque ſexus: ipſemet perluſtrabat, quae ab aliis iam viderat demonſtrata: examinabat, num ea ipſi recte eſſent tradita; ubi alii commiſiſſent errores, annotabat: omniaque, quae detegere poſſet, in tabularum formam coniiciebat, quae itaque primum compendii ſui anatomici praebuere fundamentum. Interim conquirebat cadauera non in eum modo finem, ut anatomen coleret, ſed etiam ut operationes ſic dictas chirurgicas ſuſcipiendi riteque perficiendi nanciſceretur facultatem. Quam ob cauſſam reliquorum Amſtelodamenſium chirurgorum fama meritisque celebrium quaerebat conſuetudinem eorumque ſibi conciliabat amicitiam, in primis PETRI ADRIANSONI, VERDVYNI, eiusque generi BORDELI, VALLANTII, CONERDINGII, ut ipſis intereſſet, quoties operoſas grauesque perficerent curationes, quas ipſemet deinde repetebat in cadaueribus, ut promtior manu fieret agiliorque, olimque eo tutius easdem, ſi neceſſe eſſet, in aegrotis praeſtare poſſet.

Quid autem omnis iuuat labor omneque ſtudium, niſi accedat uſus et exercitatio? Huius vero ampliſſimum campum in caſtris militum dari recte Noſter iudicans, medio anno huius ſeculi ſeptimo, exercitum foederatorum, qui dicebantur, in Brabantia tunc temporis bella gerentium, petebat inque itinere Louanii ſalutabat VERHEYENVM, a prae-

 ceptore

ceptore RVYSCHIO commendatus, quocum ſermones miſcens, varios ab ipſo in compendio anatomico commiſſos errores modeſte ipſi indicabat, quos etiam candide ab eodem agnitos et penuria librorum anguſtaque rerum domeſticarum ratione excuſatos et ex parte deinde emendatos eſſe, Noſter laudauit ipſe. Bruxellis et Britanni et Bataui valetudinaria habebant refertiſſima, quae frequentabat HEISTERVS optimo cum fructu. Medicorum enim et chirurgorum caſtrenſium, AMIANDI potiſſimum Angli et CREPINI Bataui, conſuetudine utendi fruebatur opportunitate, quibus ducibus ipſe nunc pericula faciebat in vulneratis aegris, obſeruans ſimul, quo modo internis morbis obuiam irent medici; reliquum autem tempus addiſcendae linguae anglicae dabat operam eoque maiorem, quo frequentior ipſi cum Anglis erat Bruxellis conuerſatio.

Sub aeſtatis finem reditum meditans in Hollandiam, Gandaui Flandriae viſitabat noſocomia caſtrenſia et IOAN. PALFYNVM, anatomicum atque chirurgum celeberrimum, inuiſebat, Lugdunum Batauorum inde pergens eo animo, ut per ſequentis anni tempus ibidem commorans in omni medicinae ambitu magis magisque ſe confirmaret. Inter ciues itaque Lugdunenſes academicos receptus, frequentabat ſcholas praecipue ALBINI practicas omnes, BOERHAAVII, chemiam et oculorum morbos explicantis, PETRI HOTTONI botanicam in horto academiae ſplendidiſſimo exponentis, BIDLOI cadauera ſecantis, LEMORTII (*le Mort*) lectiones chemicas habentis, SENGVERDI experimenta mechanico-phyſica inſtituentis. FRIDERICVM porro DEKKERVM, inter aegrorum curam ſenem factum, comitabatur in valetudinarium eiusque de morborum, qui erant obuii, natura eosque curandi ratione diſſerentem audiebat. Neque matheſin, in primis mechanicam, a ſe volebat neglectam, inſimulque conficien-

ficiendis microſcopiis terendisque vitris uſui phyſico aptis tempus dabat atque operam. Vt maiorem quoque et promtiorem linguae gallicae aſſequeretur uſum atque facultatem, viri natione galli et hoſpitio et conuictu utebatur.

Ferias Lugduni iuſto longiores eſſe conſtat. Eo autem tempore ad vicinas urbes excurrebat Noſter aliosque viros doctos ſibi reddebat familiares, ex quibus praecipue LEVSDENIVM collaudauit, quod praeſtantiſſimi ſui theſauri anatomici atque chirurgici uſum conceſſerit humaniſſime. Illud quoque ex his itineribus capiebat emolumenti, ut herbarum, quam inſtruebat, collectionem permultis rarioribus plantis locupletaret. RVYSCHII interim aliquando reuiſendi ductus cupidine, Amſtelodamum proficiſcebatur, apud quem forte conueniebat THEODORVM IANSSONIVM AB ALMELOVEEN, qui, quum merita Noſtri intelligens ab eodem perciperet, velle ſe doctoris medici honores quam proxime petere, multis modis rogabat eum, ut Harderouicum deueniret illosque honores a ſe cum maxime tunc temporis Academiae Rectore atque medicorum ordinis Decano acciperet, cuius etiam precibus tam honorificis cedebat locum, ſuaque ibi publice defenſa diſſertatione: *de tunica oculi choroidea* anno ſeculi octauo, menſe maio, ſummis medicinae honoribus exornabatur, quos tamen, Lugdunum reuerſus, per aliquod tempus celabat, ne offendiculo ſibi forent acroaſes ibi coeptas ad finem perducturo. Inauguralis autem diſſertationis illud ideo elegerat argumentum, quod RAVIVS non nulla RVYSCHII de iſta tunica inuenta ſibimet ipſe tribuere voluiſſet, quae tamen Noſter vindicabat praeceptori.

Hiſce tandem academicis laboribus feliciter et cum laude abſolutis, Amſtelodamum ſe denuo referebat, parentibus ſuis conſilium approbantibus, ea mente, ut medicinam in tam populoſa ciuitate face-

ret

ret et lectiones haberet tum anatomicas, cum chirurgicas. Annuebat votis RVYSCHIVS, quippe cuius amicitiam familiaritatemque iam dudum ſibi conciliauerat, adeo ut pactum cum ipſo iniret, cuius vi cameram in valetudinario ipſi concederet et cadauerum promitteret multitudinem, ex quibus anatomen tirones doceret HEISTERVS, ea addita conditione, ut ſimiles demonſtrationes ſuper illis arte paratis et in theſauro aſſeruatis partibus habendas, vellet ſibi relictas RVYSCHIVS, honorarium vero, quod inde rediret, utrique commune eſſet. Itaque has ſcholas aperiebat Noſter, atque cum applauſu adoleſcentes informabat, gallica aeque ac germanica lingua utens. Subceſiuas horas exercitiis tribuebat botanicis et mathematicis, prioribus ex ſingulari, quo ferebatur in rem herbariam inſtinctu, poſterioribus ex conſilio ſui hoſpitis, TIBERII HEMSTERHVSII, quo etiam duce in iisdem fruebatur.

Quum interim bella iam per aliquot annos geſta nondum eſſent compoſita, haec vero medicinae, quae manu medetur, exercitio optimam dare perſpexiſſet occaſionem, medio anno ſeculi nono iterum ad foederatorum exercitum ſecedebat, a RVYSCHIO ita commendatus, ut medici caſtrenſis officio ornatus, Chirurgo inter Batauos primario, DE QVAVRE, adiungeretur, qui ſenio iam valde prouectus, quam plurimas operationes chirurgicas ab alacri HEISTERO praeſtandas lubenter permittebat, dexteritatem collegae quam maxime laudans. Vaſtiſſimum itaque, praeſertim poſt cruentiſſimam iſtam prope Malplacetum pugnatam pugnam. efficacioris medicinae excolendae campum inueniens, omnem inde, quam modo poſſet, reportabat utilitatem. Inter alia tum temporis in BRISSALTII (*Briſſeau*) diſſertationem *de cataracta* eiusque nouam de hoc morbo ſententiam incidebat Tornaci, paulloque poſt in oculo militis alicuius defuncti, cataracta obſeſſo prima vice detege-

detegebat, eam haud in peculiari quadam pellicula, ſed in cryſtallina lente opaca facta conſiſtere. Expeditione huius anni finita, Amſtelodamum reuertebat Noſter, ſcholas ſuas anatomicas atque chirurgicas proſecuturus. Haud multo tamen poſt in tramite, quem ire coeperat, interpellebatur. Acciderat enim, cum Bruxellis medici fungeretur officio, ut medicus quidam Norimbergenſis, KOENIGIVS, eo veniret ad perluſtranda noſocomia caſtrenſia ibique multa de HEISTERI dexteritate percipiens, ipſum conueniret atque hortaretur, quo profeſſionis anatomicae et botanicae munus in academia Noricorum Altorfina, morte IACOBI PANCRATII BRVNONIS vacuefactum, peteret. Dato hoc conſilio accuratius penſitato, a praeceptore RVYSCHIO commendatum ſe curabat Norimbergenſium celeberrimo medico, VOLKAMERO, et per hunc academiae illius ſic dictis curatoribus, quo fiebat, ut ſub initium veris anni 1710 quaeſita prouincia ipſi demandaretur.

Quum Angliam vero, et quae fini ſuo ibi conuenirent, perluſtrandi ingentem haberet cupiditatem, illudque regnum adhuc dum ſatis eſſet propinquum, ante, quam peteret Norimbergam, aequor traiiciendi orabat poteſtatem. Qua impetrata, per quatuor menſes commorabatur in hac felici inſula, cunctaque viſu aut notatu digna conſectabatur, celeberrimos ideo inuiſens viros, SLOANIVM, WOODWARDVM, NEWTONVM aliosque: ABRAHAMO CYPRIANO, dexterrimo chirurgo, aderat calculos ex veſica extrahenti: IACOBO PETIVERO, celebri botanico, comite ac duce, ſplendidiſſimum hortum Chelſeanum perluſtrabat, herbarum rariorum exoticarum copia donatus ab eo: cum LAVATERO, medico natione Heluetico, anatomico et chirurgo inter Anglos valde celebrato, ſingularem contrahebat amicitiam et famigeratiſſimi HAVKSBEEI inſtrumenta

mechani-

mechanica perſpiciebat. Tandem vero, Cantabrigienſi et Oxonienſi academiis interuiſis, cum inſigni librorum, inſtrumentorum, plantarum et foſſilium ſupellectili in Belgium redibat, amicisque Amſtelodami Lugdunique ſalutatis, iter proſequebatur in academiam, cui ſeſe deſtinauerat, Altorfinam.

Poſtea, quam eo peruenerat, quinto menſis decembris die anni eiusdem, quo iam diximus, ſeculi decimi traditum ipſi munus auſpicabatur, oratione habita *de hypotheſium medicarum fallacia et pernicie.* Scholas nunc hic quoque loci ſtatim poſt aduentum habere incipiebat medicas, praeſertim anatomicas atque chirurgicas, omnemque curam atque laborem in id impendebat, ut officio faceret ſatis, frequenti auditorum conuentu, ceu optimo laborum academicorum praemio, cohoneſtatus. Medicinam utramque multa cum laude atque inſigni fructu faciebat, adeo ut fama de ipſius peritia atque dexteritate cito percrebeſceret non inter ciues ſolum, ſed ad exteros quoque quin et ſummae dignitatis aegros, auxilium ipſius atque conſilia implorantes.

Parem inſuper comprobabat induſtriam in muſeo priuato, permultas conſcribens publiceque defendens diſſertationes, ex quibus prioribus quatuor iſtae ſatis inter viros doctos cognitae *de cataracta in lente cryſtallina* nouam duorum Gallorum, BRISSALTII (*Briſſeau*) et MAGISTRI IOANNIS (*Maitre Iean*) ſententiam confirmabant, quae deinde cum alia *de amauroſi* in unum volumen collectae anno 1713, auctioresque anno 1721, prodibant ſub titulo: *Tractatio de cataracta, glaucomate et amauroſi.* In opaca lente facta ut plurimum eum morbum conſiſtere aſſerebat quidem; ideo tamen pelliculam in humore aqueo concretam eius interdum eſſe poſſe cauſſam, quam reliqui tamen chirurgi vix non omnes huc uſque putauerant unicam et ſolam, haud negauerat. Acrem vero et inurbanum nanciſcebatur aduerſari-

uerſarium, WOOLHVSIVM, medicum anglum, Pariſiis degentem, qui non ſolum acerbam cenſuram *diario eruditorum gallico* inſerebat, ſed peculiari quoque epiſtola vehementius in ipſum inuehebatur, veram eius ſententiam prorſus peruertens. Itaque contra iniquas has obiectiones ſe defendebat HEISTERVS duplici libello: Vnum edebat anno 1717 ſub titulo: *Apologia et uberior illuſtratio ſyſtematis ſui de cataracta;* alterum anno 1719: *Vindiciae ſententiae ſuae de cataracta.* Quo acerbior autem fuerat WOOLHVSIVS cum ſuis aſſeclis, eo maiori omnino laudi erat HEISTERO, quod plurimi alii viri docti ſententiae ipſius ſubſcriberent, publicisque teſtimoniis eam corroborarent, ANTONIVS quippe BENEVOLVS, Florentiae, ANTONIVS COCCHIVS, Romae, DE S. YVES, Pariſiis, MORGAGNIVS, Patauii, aliique. Hac ſatis acriter diuque geſta lite tandem compoſita, contra Taurinenſem anatomicum, IO. BAPT. PLANCVM, (*Bianchi*) diſputabat, qui valuulam coli, a CASPARO BAVHINO detectam, vere talem adeſſe negauerat, cuius vero praeſentiam, conformationem atque uſum peculiari quadam diſſertatione demonſtrans Noſter vindicabat. Variis inſuper aliis eo tempore editis, argumenti non minus grauis, diſſertationibus et ſchediasmatis de auditoribus quin et medicorum uniuerſitate bene mereri pergebat. Inter eas omnino referimus illam *de noua methodo curandi fiſtulas lacrymales,* in qua, expoſitis antea ductuum lacrymalium vicinarumque partium ſtructura fiſtularumque ibi occurrentium indole, eas tollendi methodum ab ANELLIO inuentam et declaratam, et a ſe in Germania primum tentatam, exponebat, magisque inter Germanos reddebat cognitam. Quemadmodum vero aliorum inuenta in communem uſum transferebat, ſuum cuique tamen auctori tribuens; ita et alii ipſius utebantur laboribus, non iisdem tamen iuſtitiae legibus obſeruatis, quale exemplum

exemplum dabat Gallus quidam, NOVGVEZIVS, anatomicae cuiusdam inſtitutionis auctor, cui diſſertatio HEISTERI *de vera glandulae appellatione*, compendio poſthac ipſius anatomico annexa, adeo grata erat atque accepta, ut illam libello ſuo insereret, verbo pro verbo translato, nec HEISTERO quidem nominato. Dum eſſet adhuc Altorfii, id accidit, ut ſingularem uteri in ipſo partu rupti caſum animaduerteret, quo permotus, diſſertationem *de foetu ex utero matris mortuae mature exſcindendo* euulgabat, qua omnes, in primis penes quos eſt imperium, hortatur, ne foeminam ſub ipſo partu extinctam ante, quam uterus fuerit apertus, ſepeliri patiantur, quum foetum matri iamiam mortuae ſuperſtitem eſſe poſſe per experientiam conſtet. *Quatuor* inſuper *compendii anatomici* ſic dicta *ſpecimina* per annos 1715 ad 1718 ſub diſſertationum forma defendebat e cathedra, quae deinde collectae famigeratiſſimum ipſius ſiſtebant compendium anatomicum, prima vice Altorfii anno 1717 prodiens, ſaepius deinde variisque in locis recuſum, in germanicam, anglicam, italicam gallicamque linguas translatum, quod, cum omnium teratur manibus, ſaltem commemoraſſe ſufficiat. Nec plura nunc verba eandem ob cauſſam facere volumus de *chirurgicis inſtitutionibus*, quas in noſtratium chirurgorum uſum germanice conſcriptas primum edebat Norimbergae 1718, latine vero deinde Amſtelodami 1739 et 1750: Germanicum porro exemplar multoties ſaepiusque auctum prodiit; in epitomen vero redactum anno 1747 Norimbergae. Hiſpanico etiam et anglico idiomate donatus fuit utiliſſimus hic liber Madriti et Londini.

Doctrina igitur, ſtudio, induſtria atque laboribus HEISTERI longe lateque innoteſcentibus, fieri non poterat, quin eius merita ab omnibus agnoſcerentur. Ab Academia ergo Naturae Curioſorum Caeſarea, Regiisque ſcientiarum Berolinenſi et Londinenſi

dinenſi Acadd. recipiebatur inter ſocios; ab Academia vero Kilonienſi, anno 1719, ut in eadem profeſſoris medici munus vellet ſuſcipere, et ab Aula Brunſuico - Luneburgica, ut in Helmſtadienſi Academia anatomes et chirurgiae profeſſoris munus acciperet, eodem anno rogabatur. Prius quidem officium a ſe deprecabatur, alteri vero iuſſui obſequebatur, id tamen ſibi paciſcens, ut per inſtantem hiemem ad veris uſque initium Altorfii permanere ſibi liceret. Pari interim ſtudio, ac huc uſque ſolitus fuerat, per hoc reliquum in Academia Altorfina tempus inſeruiebat et ciuibus et aegrotis, rerum ſimul, quas colligebat, naturalium, herbarum potiſſimum apparatum magis magisque inſtruebat et in ordinem reducebat ſyſtematicum, in quo, quod plantas earumque nomina attinebat, IO. RAIVM et HOTTONVM, ſaepe TOVRNEFORTIVM et RIVINVM ſequebatur. Artibus etiam, quas ſibi cognitas fecerat, eam inſuper, quae in aes incidere docet icones, addere eiusque ſibi comparare facultatem eo conſultius ducebat, quo maiorem ſaepius inde fructum percipere poterit cum maxime anatomicus. Eodem adhuc hiemali tempore, quod Altorfii conſumebat, quum publice ſecaret cadauer, e cerebro humano praeparabat phosphorum omnia inflammabilia accendentem, cuius praeparandi modum in faſtis academiae Altorfinae ultimo menſe anni 1719 deſcripſit.

Decennio nunc Altorfii cum laude transacto, Helmſtadium ſe conferebat anno ſeculi viceſimo, Saxonicas in itinere inuiſens academias, doctosque viros ibi conueniens. Menſe iunio locum ſuum in Profeſſorum collegio occupabat, oratione publice recitata *de incrementis anatomiae in hoc ſeculo*, Guelferbyti paullo poſt impreſſa, quae hanc anatomes hiſtoriae partem egregie illuſtrat. Eundem hic loci academicorum laborum tramitem, quem ingreſſus fu-

erat Altorfii, ſtrenue perſequebatur, et docendo et diſputando et libros edendo, inter quos prae reliquis, reſpectu ſcilicet voluminis, eminent: *compendium medicinae practicae* anno 1743 Amſtelodami latine, recuſum Venetiis 1748, germanice Lipſiae 1744 editum, in quo plurimis, prout ſaepius obuenire ſolent, internis medendi morbis methodum proponit, et inter alia plura, ex conſilio non nullorum recentium medicorum, febres continuas, inteſtinales dicendas, rectius, ac ab aliis multis factum eſſe intelligimus, curare docet, praecipuo nimirum morbi fomite per aluum quam citiſſime eliminando calidiusque regimen euitando: *Syſtema* porro *plantarum generale ex fructificatione, cui annectuntur regulae de nominibus plantarum rite conſtituendis a Cl.* LINNAEI *longe diuerſae*, Helmſtadii anno 1748 euulgatum. RAII exemplum ſecutus, vegetabilia in duas ſummas claſſes ſeu *exercitus*, quos dicit, arbores ſcilicet et herbas, diuidit. Illae ſimul frutices maiores, hae autem frutices et arbuſculas minores comprehendunt. Altera claſſis, uti maxima, in tres alias, legiones ſiue familias dictas, diſpeſcitur; ex his prima herbas *monocotyledones* continet, *quarum ſemina ſata unico tantum foliolo ſeminali*, altera *polycotyledones*, quorum *ſemina duobus vel pluribus foliolis e terra emergunt*, tertio tandem *cryptocarpas*, *quarum fructificatio adhuc obſcura*, *vel ſaltem nondum ſatis cognita eſt.* Harum porro legionum quaelibet in claſſes, ordines, genera, ſpecies et varietates diſtribuuntur, ut cuilibet plantae ſuus locus aſſignari poſſit: *Obſeruationes* tandem *medicae, chirurgicae* et *anatomicae,* germanice prodeuntes Roſtochii 1753, in anglicum vero ſermonem translatae anno 1755 Londini, in quarum collectione curationum ab ipſo ad annum 1721 uſque factarum, prae aliis annotatione dignarum ipſi viſarum ſatis amplum agit recenſum: Illas vero, quae alteri edendo volumini deſtinauerat, cum eruditis commu-

communicandi occaſione per mortem quidem priuatus fuit, manu tamen ſcriptas et exaratas reliquit, ideoque adhuc forte expectandas. Plura quidem alia ſchediasmata ab ipſo conſcripta, plus nempe quam centum, praeſertim diſſertationes, obſeruationes etiam, collectionibus Vratislauienſibus, annalibus academiae Iuliae, et ephemeridibus potiſſimum Acad. Naturae Curioſorum frequenter inſertae, proſtant, quorum tamen recenſere catalogum limites noſtri haud permittunt, quapropter lectores noſtros ad ipſam, ſupra iam omni iure laudatam b. Viri *memoriam*, a Cl. WERNSDORFIO elegantiſſime elaboratam, vel quoque ad Cl. BOERNERVM ibidem adductum ablegare cogimur.

Anatomici munere fungebatur ad annum uſque 1730, quo medicinae theoreticae et botanices ipſi demandaretur prouincia, quam priorem tamen anno 1740 commutabat cum profeſſione practica, illa chirurgiae et botanices ſimul retenta. Quam ſtudioſus autem fuerit rei herbariae, et quam optime ex hac etiam ratione de ornamento et utilitate Academiae meruerit, vel inde patet, quod eius cura multisque etiam ab ipſomet collatis ſumtibus nouus, ampliſſimus et ſplendidiſſimus hortus medicus inſtructus ſit Helmſtadii, nulli facile in Germania cedens. Plantarum numerum, quum anno 1730 horti curam ſuſciperet, bis centum modo explentem adeo augebat, ut intra paucos annos ad aliquot millia aſcenderet, cuius iam per annum 1730 ad 1733 facti augmenti *indicem* ſingulis iisdem annis edebat; clarius autem illud apparet ex *enumeratione methodica plantarum horti medici Helmſtadienſis* hoc ipſo, quem agimus, anno ab Ill. PHIL. CONRAD. FABRICIO edita, quippe cui poſt mortem b. HEISTERI illius horti cura tradita fuit. Inſignis inſuper illi ipſius potiſſimum ſtudio et cura anno 1738 fiebat acceſſio, quum IO. HENRIC. SPRECKELSENIVS, Senatui

Hamburgenſi ab actis ſecretis, copioſum rariſſimarum plantarum apparatum, quem harum rerum amantiſſimus collegerat, horto donaret Helmſtadienſi.

Fama, quum medicinam facere modo coepiſſet Noſter, ad exteros iam delata effecerat, ut apud illos aeque ac indigenas, conſilio valeret atque auctoritate. Quo grauior autem fiebat aetate uſuque exercitatior, eo maius quoque exiſtimatio ipſius capiebat incrementum. Quo factum eſt, ut ipſius conſilia non ſolum frequentiſſime expeterentur, quin ſaepius, ut praeſentia iuuaret aegros, rogatus; ſed ab eminentiſſimis etiam principum aulis, ut archiatri profeſſorisque munus vellet ſuſcipere, euocaretur; id quod factum eſſe ſcimus ab Imperatore Ruſſorum, PETRO I. haud multo poſt, quam perueniſſet Helmſtadium; ab Epiſcopo inſuper Wurceburgenſi et Bambergenſi anno 1725, et ab Holſatiae Duce 1730; quorum tamen principum conditiones, quam honorificae quantaeque omnino eſſent, fidei atque officio Sereniſſimae Domui Guelficae iam datis poſtponere votique religione obſtrictus Helmſtadii permanere decernebat, a Sereniſſimo igitur Duce LVDOVICO RVDOLPHO et ſtipendii, quo fruebatur, augmento et Archiatri et Aulici Conſiliarii dignitate in meritorum fideique remunerationem exornatus.

In laboribus itaque et academicis et practicis, meritisque, quos inde conſequebatur, honoribus conſeneſcebat, officiis, quae ab ipſo poſtulabant ipſi credita munera, pro omnibus viribus ſatisfacere enitens, cum permultis inter exteros viris doctis per litteras de rebus medicis agens atque colloquens, inſignem et ampliſſimum librorum, inſtrumentorum, herbarum aliarumque rerum naturalium, colligens theſaurum. Quem ad modum vero totum vitae tempus in medicinae uſu aliisque inſeruiendo conſumſerat, ita etiam veluti in arena ſua moriebatur. Sub initium

initium enim veris anni ſuperioris, 1758, qui ob peſtilentem auram permultis Germaniae prouinciis funeſtus fuit, iter faciebat in vicum Regiae Lutterae proximum, aegro ibi decumbenti conſulturus. Vix autem adueniens, tam ſingulari afficiebatur languore viriumque defectu, ut illico lectum petere cogeretur ipſe. Helmſtadium protinus reportatus, paullo poſt ab iſta febre catarrhali maligna extinctus fuit die aprilis decimo octauo, Viri docti, indefeſſi et de anatome ac chirurgia inter Germanos meritiſſimi laudem conſecutus.

Ex duodecim liberis duos modo ſuperſtites reliquit filios. Illos ex matrimonio, quod anno ſeculi duodecimo inierat cum EVA MARIA, HENRICI HILDEBRANDI ICti et Anteceſſoris Altorfini primarii filia, ſuſceperatcuius autem ipſe funus extulit an. 1749, optimi exempli coniugem ex merito lugens. Nec minus acerbum fatum expertus fuerat anno 1740 morte filii, tanto patre digniſſimi, ELIAE FRIDERICI, qui anno 1715 natus, patris inſiſtens veſtigiis, ab ipſo iam Doctoris Medicinae, et a Sereniſſimo ſuo Principe Conſiliarii titulo ac honore exornatus, litterarium iter faciens, praeter opinionem obiit Lugduni Batauorum, quum abſens etiam Profeſſor medicinae Ordinarius, Patrisque Collega deſtinatus eſſet, Vir maximae omnino ſpei, a cuius ſtudiis atque induſtria eruditorum orbis omnino multa expectare potuiſſet.

XV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757 prodierunt.

MICHAELIS LOMONOSOW Oratio de generatione metallorum a terrae motu, habita in conuentu academiae IIX Id. Sept. 1757. Petropoli, 4.

PETR. NICOL. LOTICHII Diſſ. inaug. med. de phosphoris et phosphoro urinae. Lugd. Bat. 4 mai.

Lettre de Monſ. LOVIS à Mr. BAGIEV ſur les amputations; à Paris, 12.

An Analyſis of D. RVTTYS methodical Synopſis of mineral waters by CHARLES LVCAS. Lond. 8.

HIERONYM. LVDOLF, Diſſ. ſiſtens incommoda placentae a fundo uteri aberrantis. Reſp. *Car. Veit. Weidner.* Erford. 4.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Progr. Obſeruata in ſectione cadaueris, cuius oſſa emollita erant, proponens. Lipſ. 4.

Eiusd. Inſtitutiones hiſtorico-phyſicae regni vegetabilis praelectionibus academicis accommodatae. Editio altera aucta et emendata. ibid. 8.

IOAN CHRISTIAN LVDWIG Diſſ. inaug. de vulnerum reſiduo. ibid. 4.

IOH. PHILIP. LVTKE, *Verſuche eines neuen phyſicaliſchen Syſtems nach phyſicaliſchen und chymiſchen Gründen entworfen. Frankfurth und Leipzig*, 8.

Proſpectus de l'Hiſtoire Naturelle, éclaircie dans une de ſes parties principales, la Conchyliologie, qui traite de coquilles de mer, de rivieres et de terre: Ouvrage dans lequel on trouve une nouvelle méthode latine et françoiſe de les diviſer: augmenté de la Zoomorphoſe, ou repreſentation des animaux acoquilles avec leurs explications. Nouvelle édition, enrichie de figures deſſinees d'après nature par M ***. à Paris.

Plan d'un Cours de Chymie experimentale et raiſonnée; avec un diſcours hiſtorique ſur la Chymie; par Mr. MACQVER et Mr. BAVME; à Paris, 8.

PETR. LVDOV. MALCET Quaeſt. med an ut caeteris animantibus, ita et homini ſua vox peculiaris? Reſp. *Iacob Savary.* Pariſ. 4.

IOSEPH. ANTON. MARKMÜLLER Diſſ. de ſapone veneto. Viennae, 4.

RICHARDI MEAD Monita et praecepta medica. Pariſiis, 8.

Avis et Préceptes de Médecine du Docteur MEAD, avec un diſcours académique ſur les qualités qui conſtituent et perfectionnent, les Médecins par Mr. KAAV BOERHAAVE; traduit par Mr. de PVISIEVX. ibid. 12.

Diſſ. epiſtolar. de vaſis lymphaticis glandulisque conglobatis ad Ill. ALBERTVM DE HALLER a IO. FRID. MECKEL. Berolini, 4.

Nouvelles obſervations ſur le Pouls, par rapport aux Criſes par M. MICHEL; à Paris, 12.

ALEXANDER MONRO, Iun. de venis lymphaticis valuuloſis et de earum in primis origine. Berolini, 8.

I. FRANC. CLEMENT. MORAND, Quaeſt. med. an ex heroibus heroes? Nancy.

FRID. IVST. MVELLER Diſſ. inaug. Analecta chemica de vitro antimonii exhibens. Goetting. 4.

GERARD. ANDR. MVLLER Diſſ. Biga obſeruationum chirurgico-medicarum. Reſp. *Theod. Frid. Ludw. Balſer.* Giſſae, 4.

Eiusd. Diſſ. Functionum corporis humani manifeſtarum genera et ſpecies reformatae ad mentem GER. ANDR. MVLLERI. Reſp. *Philip. Dav. Buſch.* ibid. 4.

PAVL SAMVEL MÜLLER Conuulſionum et epilepſiae infantum ex leuiori dolore prodeuntium rationes medicae. Halae, 4.

FRANCISC. DE LA MVRE, Quaeſt. med. de ſenſibilitate et contractibilitate partium in corpore ſano. Reſp. *Franciſc. de Bordeu.* Monſpelii, 4.

IOAN. ANDR. MVRRAY, Enumeratio vocabulorum quorundam, quibus antiqui linguae latinae auctores in re herbaria uſi ſunt. Holmiae.

PETR. VAN MVSCHENBROEK, Phyſicae experimentalis et geometriae diſſertationes, ut et Ephemerides meteorologicae Vltraiectinae. Viennae, 4 mai. c. f.

Eiusd. Tentamina experimentorum naturalium, etc. ibid. 4. mai. c. f.

Hiſtoire naturelle des animaux par Mr. ARNAVLT de NOBLEVILLE et SALERNE, Tome quatriéme, cinquiéme et ſixiéme; à Paris, 12. Voll. 3.

IOAN. PETR. NORDMANN, Diſſ. inaug. de iſchuria grauidarum. Argentor. 4.

IACOB. HENR. OLTENS, Diſſ. inaug. de Ἀναςόμωσι, Lugd. Batav. 4.

PETER OSBECK, Dagbok ofwer en Oſtindisk Reſa me anmärkningar uti Naturkundigheten, främmande folkſlags ſpräk, ſeder, husholling. Stockholm, 8. mai.

WILL. OVDENAARDEN, Diſſ. med. de vigilio ſano et morboſo. Lugdun. Batav. 4. mai.

Lithotomie nouvellement perfectionnée avec quelques eſſais ſur la pierre et ſur les moyens d'en empecher la formation par Mr. PALVCCI; à Vienne, 8. c. f.

Der Herren PERRAVLT, CHARRAS *und* DODARTS *Abhandlungen zur Naturgeſchichte der Thiere und Pflanzen, welche ehemals der Königlichen Franzöſiſchen Academie der Wiſſenſchaften vorgetragen worden, mit vielen dazu gehörigen Kupfern. Erſter und Zweyter Band. Leipzig*, 4. mai. Voll. 2.

Plantarum Americanarum faſciculus quintus, continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS detexit

detexit eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit; has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS. Amſtelod. et Lugd. Batau. fol.

Eiusdem libri faſciculus ſextus. ibid. fol.

I. H. POTTS *phyſicaliſch-chymiſche Abhandlung von dem ſonderbar feuerbeſtändigen und zartflüßigen Urinſalz, und deſſen weitläuftigen Anwendungen und Nutzen. Ingleichen eine Unterſuchung der Verbindung eines Acidi Vitrioli mit den ſauern Weinſtein. Berlin*, 4.

Ebendeſſelben chymiſche Unterſuchungen, welche fürnemlich von der Lithogeognoſia, *oder Erkenntniß und Bearbeitung der gemeinen einfacheren Steine und Erden, ingleichen von Feuer und Licht handeln. Zweyte Auflage, ſo von dem Autore an einigen Orten verbeſſert, und mit einem neuen Anhange vermehret, darinn die bishero zum Vorſchein gekommene Beurtheilungen unterſuchet, und verſchiedene phyſicaliſch-chymiſche Materien derer Gegner mit neuen Experimenten erläutert werden, wie auch einem Regiſter über alle drey Theile.* ibid. 4.

SAMVEL. THEOD. QVELMALZ, Progr. de pane ſuccedaneo corticeque tiliae interiori. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. de exhalationum putridarum ex cadaueribus bello trucidatorum ſuppreſſione. ibid. 4.

CONRAD RAHN, Diſſ. med. de aquis mineralibus Fabarienſibus ſeu Piperinis. Lugdun. Batau. 4. mai.

Traité des Maladies, occaſionnées par les exces de chaleur, de froid, d'humidité et autres intemperies de l'air, avec la methode de les guerir, fondée ſur l'experience, et ſur des obſervations comrées par M. I. RAVLIN. Tom. I. à Paris, 12.

Traité des Maladies, qu'il eſt dangereux de guérir; Ouvrage utile et néceſſaire aux Médecins et aux perſonnes ſujettes à des incommodités habituelles;

avec dix obſeruations nouvelles et intéreſſantes, par Mr. DOMINIQVE RAYMOND. Tom. I. et II. à Avignon, 12. Voll. 2.

IOAN. ALBERT. HENRIC. REIMARI Diſſ. med. et chirurg. de tumore ligamentorum circa articulos, fungo articulorum dicto. Leidae, 4. mai.

CHRISTIAN TOBIAS REINHARDS *ſatyriſche Abhandlung von denen Krankheiten derer Frauensperſonen, welchen ſie ſich durch ihren Putz und Aufzug zuziehen. Zweyter Theil. Berlin und Leipzig*, 8.

VINCENTII RICCATI Opuſculorum ad res phyſicas et mathematicas pertinentium Tomus Primus. Bologn. 4.

RICHERZ, Obſeruatae viſcerum abdominalium labis breuis epicriſis. Lugdun. Batau. 4.

GEORG. GOTTLOB. RICHTER, Diſſ. inaug. Senem valetudinis ſuae cuſtodem ſiſtens. Reſp. *Ioan. Samuel de Berger*. Goetting. 4.

Eiusd. Progr. de ſalutari, limitando tamen, equitationis exercitio. Götting. 4.

Methode pour laver et fondre avec oeconomie les Mines de fer relativement à leur différentes eſpeces par Mr. ROBERT; à Paris, 12.

BERNHARDI WILLHELMI RÖDDER *gründliche Beſchreibung des zu Driburg im Hochſtifte Paderborn gelegenen Geſund- und Stahlbrunnen, deſſen Beſchaffenheit, mineraliſchem Gehalte, innerlichen und äuſſerlichen Kräften und Gebrauche, auch was ſonſt dabey zu eines jeden beſondern Nutzen in allerley Krankheiten und Gebrechen zu beobachten; nebſt einigen beſondern Brunnen-Diätsregeln von allerley Speiſen, welche bey der Brunnencur entweder dienlich oder ſchädlich ſind, und einem vollſtändigen Regiſter. Mit Genehmhaltung der Obern. Driburg und Hannover.* 8. *m. K.*

IOAN. GEORG. ROEDERER, Diſſ. inaugur. utrum naturalibus praeſtent variolae artificiales? Reſp. *Henr. Adolph. Niſſen.* Götting. 4.

Eiusd. Diſſ. de temporum in grauiditate et partu aeſtimatione. Reſp. *Ioan. Frid. Wilhelm Dietz.* ib. 4.

A methodical Synopſis of Mineral Waters comprehending the moſt celebrated Medicinal Waters, both cold and hot, of Great Britain, Ireland, France, Germany and Italy, and ſeveral other Parts of the World etc. by IOHN RVTTY. Lond. 8. mai.

I. F. V. S. *Oeconomiſches Bedenken von dem Nachtheil derer Gehaue in den ſo genannten ſchwarzen Hölzern, nebſt einigen Sendſchreiben vom Feldbau im Erzgebürge und andern in die Hauswirthſchafft einſchlagenden Sachen. Chemnitz,* 8.

RAPHAEL. BENEVENT. SABATIER, Diſſ. ſiſtens theſes anatomico-chirurgicas. Reſp. *Thom. Coſte.* Pariſiis, 4.

FRANCISCVS DE SAVVAGES, Diſſ. de reſpiratione difficili. Reſp. *Ioan. Bapt. Alex. Pichard.* Monspelii, 4.

Eiusd. Diſſ. de theoria doloris. Reſp. *Ant. Ioſeph. Depinoy.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. med. quae haemoptyſis theoriam exponit. Reſp. *Gabriel Iacob. Gouin.* ibid 4.

Die eingebildeten Würmer in Zähnen, nebſt dem vermeyntlichen Hülffsmitteln wider dieſelben, beſchrieben und unterſuchet von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *nebſt einer Kupfertafel in Farben. Regensburg,* 4.

Das fliegende Ufer-Aas, oder der Haft beſchrieben von Ebendemſelben. ibid. 4.

Kalchartiges Bergmehl, in einer Steinkluft ohnweit Regensburg entdecket, und beſchrieben von Ebendemſelben. Regensburg, 4.

Der Gebrauch und Nutzen des Tabacksrauchclyſtiers, nebſt einer dazu bequemen Maſchine, beſchrieben von

D. IO-

D. IOHANN GOTTLIEB SCHAEFFER: *mit einer Kupfertafel. Regensburg,* 4.

CHRISTIANI STEPHANI SCHEFFELII vitae Profeſſorum medicinae, qui in Academia Gryphiswaldenſi a primis eius initiis uſque ad finem anni ipſius ſaecularis tertii vixerunt. Gryphiswaldae, 4.

CASIMIR CHRISTOPHOR. SCHMIEDEL, Diſſ. inaug. de dignitate duodeni in diiudicandis et curandis morbis. Reſp. *Matthias Landolt.* Erlang. 4.

FRANC. LVDWIG SCHMIDT, Diſſ. inaug. de vanitate remediorum uniuerſalium. Götting. 4.

IOAN. GOTTLIEB SCHNEIDE, de apophlegmatizantium inconſiderato uſu frequenti catarrhalium affectuum cauſſa. Halae, 4.

Almageſtum medicum conſcriptum a IOAN. FRIDERIC. SCHREIBERO. Introductio et Phyſiologiae medicae. Pars I. Lipſiae et Viennae Auſtr. 4. mai.

SIEGMVND GOTTLIEB SCHROETER, de modo agendi purgantium, praeſertim cuti adplicatorum. Halae, 4.

FRANCISC. RVDOLPH. A SCHWACHHEIM Cobalti hiſtoria producta et nouae quaedam ſpecies. Halae, 4.

THOM. SHAW, Travels, or Obſervations relating to ſeveral Parts of Barbary and the Levant. The ſecond Edition. London, 4.

GEORG. FRIDER. SIGWART, Diſſ. inaug. Specimen Sialologiae phyſico - medicae nouis experimentis chymicis ſuperſtructae. Reſp. *Ioan. Franciſc. Textor.* Tubing. 4.

GVILIELMI SMELLIE, Tabulae anatomicae; accedit earundem explicatio, cum breui de arte obſtetricia inſtitutione, ad illuſtrandum, quem de eadem illa in publicum auctor edidit, tractatum, variarumque obſeruationum collectionem.

Ex

Ex anglico tranſtulit GEORG. LEONHARD. HVTH; in aes incidit IOAN. MICHAEL. SEELIGMANN.

WILHELM SMELLIE, *Sammlung anatomiſcher Tafeln, nebſt einer Erklärung derſelben, und einem kurzen Begriffe der Hebammenkunſt, wodurch die von ihm herausgegebene Abhandlung der Hebammenkunſt, und ſeine Sammlung verſchiedner Wahrnehmungen erläutert werden. Aus dem Engliſchen überſetzt von* GEORG. LEONH. HVTH, *und in Kupfer geſtochen von* IOHANN MICH. SEELIGMANN. *Nürnberg*, fol. mai.

Tractatus hiſtorico phyſicus de agricultura Islandorum, priſcis temporibus cum ſucceſſu uſitata, poſtea exoleta et iam reſtauranda, Auctore IOANNE SNORRIO. Hafniae, 8.

ABRAH. STEK, Diſſ. de Sagou. Argentorati, 4.

ANTON STOCK, Diſſ. med. de apoplexia. Lugdun. Batau. 4. mai.

IOAN. CHRISTIAN. STOCK, Diſſ. inaug. de clyſterum emollientium uſu in colica ſuſpecto. Reſp. *Harſch.* Ienae, 4.

Eiusd. Progr. de emollientium ac refrigerantium clyſterum abuſu in febrium exanthematicarum curatione. ibid. 4.

Eiusd. Progr. partus difficilis ex brachio foetus ſiniſtro primum ex utero prodeunte, et delirii, a medicamenti partum prouocantis abuſu originem habentis, curationem ſiſtens. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de vera notione motuum naturae in corpore humano. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ictero colicae iuncto. Reſp. *Albert. Iacob. Harſch.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de unguento ophthalmico anglico famoſo. ibid. 4.

ANTON. STOERCKE, Diſſ. inaug. de conceptu, partu naturali, difficili et praeternaturali. Viennae Auſtriae, 4.

THO-

THOMAE SYDENHAMII Opera omnia in duos tomos diuiſa. Noua editio auctior. Geneuae, 4. Voll. 2.

IOHANN TAYLOR *neue Augen-Erhaltungskunſt. Frankfurt*, 8.

FRANCISC. THIERY, Quaeſt. med. an in celluloſo textu frequentius morbi et morborum mutationes? Pariſiis, 4.

TILLET *Preisſchrift von den Urſachen, warum die Körner des Getraides in den Aehren verderben, und von den Mitteln, wie man dieſen Zufällen zuvorkommen kann, aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Hamburg und Leipzig*, 8.

BALTHAS. LVDOV. TRALLES uſus opii ſalubris et noxius, in morborum medela, ſolidis et certis principiis ſuperſtructus. Sectio I. Vratislauiae, 4.

CHRISTOPH. IACOB. TREW Cedrorum Libani hiſtoria earumque character botanicus cum illo laricis, abietis pinique comparatus; acced. breuis diſquiſitio: an haec arbor ſit illa ipſa in ſacro codice prae omnibus celebrata et vel Aeres vel Beroſch dicta: itemque an graecis botanicis fuerit cognita, cum tabulis aeneis 2. Norimberg. 4.

DANIEL. WILHELM TRILLER Diſſ. inaug. de regimine grauidarum et puerperarum. Reſp. *Martin. Saernow.* Witteberg. 4.

Eiusd. Progr. de remediis veterum coſmeticis, eorumque noxis. ibid. 4.

Eiusd. Progr. quo quaedam commentatur in difficilem PLINII locum Libr. VII. cap. 50. de morbo per ſapientiam mori. ibid. 4.

THEODOR. TRONCHIN tractatus de colica pictonum. Genev. 8. mai.

Obſervations périodiques ſur la Phyſique, l'Hiſtoire Naturelle et les Arts par Mr. TVSSAINT. Tom. I. Juillet 1756. — Septembr. 1757. 15 Parties. à Paris, 4. (*Supplementum quaſi eſt operis a* GAVTIER *exarati.*)

Recueil périodique d'Obſervations de Médecine, Chirurgie, Pharmacie etc. par M. VAN DER MONDE. Janvier — — — Decembr. Tom. VI. et VII. à Paris, 8. Voll. 2.

CHRISTIAN SAMVEL VNGNAD, Diſſ. inaug. de malo perſica. Francof. ad Viadr. 4.

RVDOLPH. AVGVST. VOGEL Inſtitutiones chemiae, ad lectiones academicas accommodatae. Editio altera polita et locupletata. Lugdun. Batau. et Lipſiae, 8 mai.

Eiusd. *neue mediciniſche Bibliothek. Des 3ten Bandes 5 und 6ſtes Stück. Göttingen,* 8.

La Pharmacopée des Pauvres accompagnée d'obſervations ſur chaque formule par le Docteur W***, avec des Notes ſur l'application des même remédes et une table des Maladies. à Paris, 12.

IOAN. GOTTLIEB WALDINVS Diſſ. de ſtimulis et inſtinctibus naturae animalium. Reſp. *Ioan Heilmann.* Ien. 4.

IOAN THEOPHIL. WALTER Theſes anatomico-phyſiol-medicae, diſſertationi de emiſſariis SANTORINI praemiſſae. Francof. ad Viadr. 4.

Obſervations de Chirurgie où l'on en trouve de remarquables ſur les effets de l'agaric de chêne dans les amputations, et la compoſition des bougies ſouveraines dans les maladies de l'urétre. Traduits de l'Anglois de Mr. WARNER; aux quelles on a joint deux lettres d'un médecin de Londres, dont la premiere contient des regles pour conſerver la ſanté, et la ſeconde fait connoitre l'abus des remedes empiriques. Traduites auſſi de l'Anglois. à Paris, 12.

Obſervations de Chirurgie avec des Remarques. On a joint la préparation et les effets de l'agaric de chêne, dans les hemorrhagies des grandes operations. Traduites de l'Anglois de M. IOSEPH WARNER; par M. DANIEL MAGENIS. On y

a joint

a joint auſſi des obſervations nouvelles et rares d'Anatomie, de Chirurgie et de Médecine decrites avec exactitude; traduites du Latin de IEAN LOVIS LEBERECHT LOESEKE, ſur l'edition de Berlin 1754. Le tout enrichi de figures en taille douce; à Paris, 12.

STEPHAN. WEZPREMI, Diſſ. inaug. ſiſtens obſervationes medicas. Traiecti ad Rhen. 4.

Eſſai ſur les vertus de l'eau de chaux, pour la guériſon de la pierre; par Mr. ROBERT WHYTT; avec un ſupplément contenant l'hiſtoire de la maladie de Mr. WALPOLE, écrite par lui-même; celle de la maladie de Mr. NEWCOME; traduit ſur la ſeconde edition, de l'Anglois; par Mr. A. ROVX; auquel on a ajouté une méthode de diſſoudre la pierre par des injections de Mr. BVTTER, traduit par la même; à Paris, 12.

IOAN. CAROL. WILCKE, Diſſ. de electricitatibus contrariis. Roſtoch. 4.

IOAN. HENRIC. WINKLER, Progr. de coelo frigido. Lipſiae, 4.

PETRI WOLFZEN Specim. chirurg. med. de ſectione βȣβωνοκήλης. Lugd. Batauor. 4 mai.

IOHN WOODWARD, Selects caſes and conſultations in phyſic. London, 8 mai.

OTTO. IVST. WREDEN, *Unterricht vom chirurgiſchen Feldkaſten. Hamburg*, 8.

IOAN. ERNEST. ZEIHERI, Sermo de nouis quibusdam inuentis phyſico-mechanicis, die VII Sept. 1757 in conuentu academiae ſolemni recitatus. Petropoli, 4. c. f.

PETER ZETZEL, Anmärkningar uti läkare konſten ſamlede under en utlandsk Reſa. Stockholm, 8.

CHRISTIAN. GOTTLOB. ZIEGER, de vita inter plantas optimo ſanitatis tuendae praeſidio. Lipſ. 4.

Catalogus plantarum horti academici et agri Göttingenſis conſcriptus a IOH. GOTTFRIED. ZINN. Götting. 8. c. f.

Conten-

Contenta in hac parte.

1. Kongl. Suenska Veteníkaps Academiens Handlingar för Aor 1757. Vol. XVIII. p. 579.
2. Obſeruationum medicinalium Faſciculus p. 598.
3. ALLIONII Stirpium littoris et agri Nicaeenſis enumeratio methodica p. 601.
4. EIVSDEM Oryctographiae pedemontanae ſpecimen p. 605.
5. CARTHEVSERI Rudimenta hydrologiae ſyſtematicae p. 608.
6. SCHAEFFERI *Gebrauch und Nutzen des Tabacksrauchclyſtir* p. 613.
7. BIRCH The Hiſtory of the Royal Society of London etc. p. 617.
8. HALLERI Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes. Tom. IV. V. et IV. p. 622.
9. EIVSDEM Elementa Phyſiologiae corporis humani Tom. I. p. 630.
10. ADANSONI Hiſtoire naturelle du Senegal; Coquillages p. 665.
11. REGENFVS *Auſerleſene Schnecken, Muſcheln und andere Schaalthiere* p. 681.
12. Hiſtoire de l'Academie des ſciences et belles lettres. a Berlin An. 1756. p. 698.
13. GATAKER Obſervations on the internal uſe of the Solanum or Nightſhade p. 717.
14. Noua phyſico-medica p. 721.
15. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1757. prodierunt p. 742.

INDEX.

A.

Abdominis ſteatoma 144 ſeq.
Abortus hiſtoria 503. cum ſecundina retenta 319. eum praecauendi remedia 120 ſeq.
Abſtinentia a cibo 204
Acetum fungorum venenatorum antidotum 205
Acta heluetica Vol. III. 523
Adanſon, hiſtoire naturelle du Senegal. Coquillages 665
Adipis natura 634. augmentum et imminutio 635. uſus 636
Aegagropilarum ortus 33 ſeq.
Aeris affinitas cum alkali 79. in nauibus renouatio 587. 579 ſeq. dilatatio in atmoſphaera 279
Aethiopis martialis praeparatio noua 490
Agarici querni agendi ratio 202. virtus 197 ſeqq. 207. 212. dubia 217
Aleppi hiſtoria naturalis 301. climatis indoles 302 ſeq. 305
Alkali volatile viperarum morſus remedium 224
Allantois pulli 241
Allionii Carol. Stirpium praecipuarum littoris et agri Nicaeenſis enumeratio cet. 601. Oryctographiae pedemontanae ſpecimen 605
Aluus diu obſtructa cum vomitu 219
Amauroſeos cauſa 64 ſeq.
Amentum calicis ſpecies 37
Amphibiorum definitio et diſtinctio 325
Amputatio digiti paronychia affecti 121 ſeq.
Amygdalae amarae in hydrophobia 128
Anagallidis fl. puniceo partes conſtitutiuae 178. virtus contra hydrophobiam ib. ſeq.
Anaſarcae curatio 146
Anatomicae obſeruationes 112. 219. 253. 458 ſeqq. anatomicas iniectiones perficiendi methodus 394 ſeqq.
Anginae apoſtematodes hiſtoria 142
Ani procidentia 94. reductio ib. ſeq.
Animae in corpus influxus 111
Animalculorum ſpermaticorum defenſio 435 ſeqq.
Animalium hiſtoria naturalis ſyſtematica 15. variorum exoticorum rariorumque delineatio 297. partium ſenſibilitas et irritabilitas 215 ſeq. aere intercluſorum mors 392 ſeq. quadrupedum claſſes 23 ſeq. horum vocis organon 268. huius differentia ib. ſeq. animalia ouipara et viuipara 21. Auſtriae inferioris 33
Animalis motus in corpore humano cauſa 111
Animi hilaritas ab opio 422
Anoſtomus piſcium genus 323
Antepileptica ſpecifica 137. 456
Anthelmintica remedia 221
Antimoniale medicamentum in cancro 133 ſeq.
Antimoniati vini effectus inſoliti 83 ſeq.
Antimonii crudi uſus internus 208. vitri cerati vires 54 ſeq. agendi ratio 55

Aorta

Aorta exulcerata 706
Aphronitrum 352
Aponi thermae 56. harum contenta 57 ſeqq. virtus 60
Apoplexiae diſtinctio 455. curatio ib. ſeq.
Aquarum calculos diſſoluendi vis 388. in utero collectio 92. mineralium uſus et abuſus 357. noſodochii de Caen analyſis 498. aquae genera 609. muriaticae ſpecies 610. martiales ib. ſulphureae 611. venenatae 612. frigidae uſus 229
Argentum 346 ſeq. eius minerae 347
Arſenicum in ſtanno 714
Arteriae ſtructura 636 ſeq. rami et flexus 638. finis 639
Arthritidis diſtinctio 455. cauſae ib. ſeq.
Auium vocis organon 268 ſeq.
Aurum 346. eius minerae ib.
Aſcites cum grauiditate 213

B.

Bacca 37
Balani foſſiles 606
Balneorum frigidorum, in roborando corpore, virtus 232 ſeq. balneum laconicum 57
Bauarica electoralis ſcientiarum academia fundata 721
Benuenutus, Ioſ. ſociet. ſcientiar. Gottingenſ. ſocius 185
Berolinenſis academiae reg. ſcientiar. hiſtoria an. 1756. 698. theſes et praemia 551 ſeq.
Bezoar humanum 207
Bianchi, Io. di bagni di Piſa 104
Bilis cyſticae viae 434
Birch, Thom. hiſtory of the royal ſociety of London Vol. III et IV. 617
Biſmuthi analyſis chemica 269 ſeq. flores 270
Boecler, Io. obitus 724
Boecler, Phil. Henr. obitus ib.
Boehmeri, Phil. Adolph. obſeruationum anatomicarum faſciculus II. 458
Boehmeri, Geo. Rudolph. Diſſ. de nectariis florum 538. Progr. de ornamentis, quae praeter nectaria in floribus reperiuntur 544
Boerhaave, Abr. Kavv. hiſtoria anatomica infantis, cuius pars corporis inferior monſtroſa. Pars I et II. 402
Bononienſis ſcientiarum et artium inſtituti atque academiae commentar. Tom. IV. 387
Botanicae animaduerſiones 116 ſeqq.
Brendel, Io. Gothofr. Diſſ. de pleuritide vernali et aeſtiua 154
Bruch, Carol. Ludou. Diſſ. de anagallide 178
Bubones peſtilentiales 310
Buccini ampullati ouarium 69
Budiſſenſis ſocietatis medicae hiſtoria 159
Budiſſiniſche Sammlungen und Abhandlungen aus allen Theilen der Arzneygelahrheit 159
Büchner, Andr. Elias Diſſ. de viribus vitri antimonii cerati 54
Bufonis hiſtoria 285. a ranis differentia ib. eius inimici 286. ignei hiſtoria 290. aſtutia 291. coitus ratio ib. ouorum gyrini 292. partium internarum ſtructura ib. terreſtris, dorſo tuberculis exaſperato, oculis rubris 287 ſeq. maſculi a femella differentia 288

coitus ib. ouorum emerſio et augmentum 289. femellae ouarium 290. terreſtris foetidi hiſtoria 293. coitus ratio 294. partes generationis internae 295. humoris foetidi ex corporis ſuperficie excretio ib. aquatici allium redolentis maculis fuſcis hiſtoria 285. cum femella coitus 286 ſeq. gyrinorum in ouis incrementum 287
Burdigalenſis ſcientiarum academiae regiae theſes et praemia ad ann. 1760 et 61. 363 ſeq.

C.

Cadmia 350
Caeſalpini, Andr. vita 320
Caeſarea ſectio in fele tentata 530 ſeq.
Calcis natura 76. cum magneſia commixtio 75. viuae aquae uſus in dyſenteria 84
Calculorum differentia 388. calculus veſicae urinariae 222 ſeq. 203. praegrandis inſueta via extractus 115 ſeq. calculi veſiculae felleae 434. 483 ſeq. harum ſpecies 26. frequentia 27. ab aliis differentia 28. inteſtinalium geneſis 29. calculi in pancreate 390
Calicis florum differentia 37
Calli geneſis 517. 522
Callyodon piſcium genus 323
Caloris ortus 344. a luce 70
Calyptra calicis ſpecies 37
Cameli deſcriptio 24 ſeq.
Camphorae virtus 396 ſeq. in aqua ſolutio 130
Camphoratae definitio correcta 328
Cancri marini, vulgo eremitae, deſcriptio 145
Capillorum defluuium ſingulare 123
Capreoli deſcriptio 10 ſeq.
Capſulae ſeminalis ſeptum 37. ſutura ib.
Carbunculus peſtilentialis 310
Carcinomatis hiſtoria 528. cauſa et indoles 127. remedia ib. ſeq. carcinoma faucium 131
Cardialgia pertinax 389 ſeq.
Carpſeri, Petr. obitus 553
Cartheuſer, Io. Frid. acad. reg. ſcientiar. Berolinenſis ſocius 186
Cartheuſer, Frid. Aug. rudimenta hydrologiae ſyſtematicae 608
Cartilaginis natura 517. in os mutatio 522
Caſtoreum opii corrector 220
Caſtoris animalis deſcriptio 25
Catalepſeos cauſa 473
Cataractam tollendi methodi 587 ſeqq. Yueſianae methodi commoda 590. cataracta per extractionem lentis ſananda 89 ſeq.
Cauſticorum uſus noxius 198. cauſtici anticarcinomatici præparatio 224
Cedri montis Libani deſcriptio 147
Celluloſae telae fabrica 632
Centriſcus piſcium genus 324
Cerebri extra cranium protruſio 161 ſeq. bouis oſſificatio 255
Cerui hiſtoria 6 ſeq. deſcriptio phyſica 8. a tauro differentia ib. cornua 7. oſſa in eius corde 9
Chamaeleonis deſcriptio 326
Chenopodii ſpecies 116
Choledochi ductus diſtenſio 433
Cichorei radicis virtus 359

Clauſſen, Laurent. Diſſ. de inteſtini duodeni ſitu et nexu 247
Clyſter ex tabaci fumo paratus 613 ſeqq.
Coati americanae albae deſcriptio 24. braſilienſis deſcriptio 716. ad genus urſorum referri nequit ib. ſeq.
Cochleae diſtinctio 668. genera 679
Coeruleum berolinenſe parandi modus 214 ſeq. coeruleus color a Melampyro 594
Coffeae arboris cultura 595. potus effectus 66. grauidis periculoſus ib.
Colica hepatica 32
Colorum ex varia luce mutatio 71
Conceptio tubaria 460
Conchae diſtinctio 668. genera 679
Conchyliologiae ſcriptores 685 ſeqq.
Conchylii definitio 669. diſtinctio 668. genera 687 ſeqq. teſta 669. ſpira et vertex 670. orificium et operculum 671. partes internae 673 ſeqq. conchylia coeruleo colore tincta 606
Conferuarum ſpecies 60
Conſuetudinis ratio 510
Contrayeruae radix 176
Contuſio ſimplex lethalis 141
Conuulſiones nephriticae periodicae 100 ſeq. ab oſſeis particulis in pia matre 222. conuulſionum ab epilepſia differentia 456
Cordis ſitus et ſtructura 651 ſeq. nerui et arteriae 655 ſeq. venae 656. motus ib. ſeq. huius cauſa 661 ſeqq. quies 659. vires ib. ſeq. ſitus ſingularis 253 ſeq. morbi 703. polypi 114. in pullo formatio 238 ſeqq. ventriculus duplex ib.
Cordyli deſcriptio 326
Cornua cerui unde? 7
Corpora naturalia e muſeo ducis Aurelianenſis 272
Coſtae verae fractura 474
Cranii fractura cum fiſſura magna 531 ſeq.
Craniolariae plantae character 177
Cremoris tartari in hydrope uſus 398
Crocodili deſcriptio 325
Cubiti vaſa lymphatica 337
Cuniculi deſcriptio 14
Cuprum 347. eius minerae ib. ſeq.
Cupreorum vaſorum noxa 203
Cutis capitis capillatae euulſio 140
Cyclogaſtes piſcium genus 323
Cyperoidum ſpecies 118
Cyſtitis quid? 31
Cyſtici ductus diſtenſio 434

D.

Damae deſcriptio 9
Delirium in febre bilioſa 227 ſeq.
Diarrhoea pertinax 390. in variolis 125 ſeq.
Dolorum ad partum cauſae 482
Donati Vitaliano iter in Aegyptum ſuſceptum 366
Driburgenſis fontis medicati ferrati deſcriptio 356. partes conſtitutiuae 357. virtus 358
Drupa 37
Ducciae Mattiacarum uſus 122
Dyſenteria aqua calcis viuae curata 84. critica epilepſiae ſuperueniens 163

E.

Edinburgenſis ſocietatis tentamina 68
Electris piſcium genus 324
Electrici fluidi elaſticitas 278
Electricitas, circa eam experimenta 711. 277 ſeq. medicamentoſa 133. eius effectus 481. uſus in paralyſi 253. ad plantarum vegetationem uſus 580 ſeq. phaenomenorum comparatio 273 ſeq. ſpecies 275
Elephanti deſcriptio 24
Empyematis operatio 599
Epiglottis deficiens 219. eroſa 475
Epilepſiae diſtinctio 456. per dyſenteriam criticam ſolutio 183
Epiphyſeos formatio 519. ab oſſe differentia ib. ſeq. vaſa 520
Epiploceles in ſcrotum deſcenſio 91
Erythrinae ſpecies 175
Erythrini piſcium generis deſcriptio 323
d'Eſcherny collegii reg. med. Berolin. ſocius 552
Eſſays and obſeruations phyſical and literary, read before a ſociety in Edinburgh Vol. II. 68

F.

Faſcinum ſimulatum 124
Febricitantium victus 509
Febris diſtinctio 446. continuae remittentis ſpecies 447. continentis ſpecies 449. inflammatoriae 450 ſeq. acuta aleppenſis eiusque curatio 307. ardens cum peripneumonia lethalis 198. biliosae ſymptomata 226. cauſa ib. ſeq. curatio 227. venaeſectio in ea non adhibenda 229 ſeq. prophylaxis 231. bilioſae (Yellow fever) hiſtoria 96. eius ſymptomata et ſtadia ſeq. epileptica 123. lenta 449 ſeq. maligna per abſceſſum in aure ſoluta 103. miliaris ſymptomata 532. petechialis contagium 447. poſt partum 102. ſoporoſa 124 ſeq. tertianae curatio 115. 446
Felium vita ſine potu 256
Femoris luxatio vera 88. muſculus nouus 529. vaſa lymphatica 336 ſeq.
Ferrum 348. an detur purum natiuum? ib. an coctione generetur? 349. eius minerae 348 ſeq.
Fibrae animalis natura 632
Fiſtulam lacrymalem curandi methodus 224
Floris monopetali character 39. florum ornamenta praeter nectaria 546
Foetus primordia in ouulis maternis 16. mortui ſigna 50. in utero mortui ſectio 46. oſſa ex abdomine extracta 486. monſtroſi deſcriptio 85. huius anatome 86. gallinacei in ouo delineatio 243
Foliorum diuiſio 36. neruus et vena ib.
Forcipis in arte obſtetricia uſus 49. 50. 152
Formicae-vulpis deſcriptio 273
Foſſilium cognitio 344 ſeq. characteres externi 548 ſeq.
Frictionis ſpecies et effectus 479
Frigus ab euaporatione fluidorum 72 ſeq. illud producendi auxilia ib.
Fuchſiae plantae character 176
Fulminis effectus 489

Fumi uſus ad impediendos frigoris effectus in plantas 586
Fumigatio in peſte 311
Fungi venenati eorumque antidotum 205. lac acre fundentes 117
Funiculus umbilicalis praeternaturalis 140

G.

Gangraenae uteri ſigna 52. lethalitas ib.
Gardeniae plantae deſcriptio 68 ſeq.
Gaſteropelecus piſcium genus 323
Gataker, Thom. obſeruations on the internal uſe of the Solanum 717
Gehler, Io. Carol. Diſſ. de characteribus foſſilium externis 546
Gei riualis virtus medica 590 ſeq.
Gemellorum partus 51
Gemmarum a pſeudogemmis differentia 354
Geniſtarum corticis uſus 401
Glaciei euaporatio, circa eam experimenta 267 ſeq.
Glandularum fabrica et uſus 644. conglobatarum ſtructura 336 ſeq. ductus excretorius ib.
Gluma calicis ſpecies 37
Goettingenſis ſocietat. reg. ſcientiar. theſis ad ann. 1759. 184 ſeq.
Gramina cyperoidea 118
Grauidarum imaginationis vis in foetum 698 ſeqq. iſchuria 53. huius curatio ib. ſeq.
Grauiditatis animalium tempus diuerſum 21
Gronouii, Laurent. Theod. muſei ichthyologici Tom. II. 322
Guanabani fructuum uſus 177
Guaiabarae character 177
Guttae ſerenae cauſa 64 ſeq.

H.

Haematoceles curatio 145
Haemoptyſis periodica ſine phthiſeos labe 114
Haemorrhagiae cauſae 451
de Haller, Alb. ſur la formation du Coeur dans le poulet; ſur l'oeil, ſur la ſtructure du jaune cet. Memoire I et II. 234. Diſputationes ad morborum hiſtoriam et curationem facientes Tom. I. II. III. 463. Tom. IV. V. VI. 622. Deux memoires ſur la formation des os 516. Elementa phyſiologiae corporis humani Tom. I. 630
Haller, Io. Sam. *Naturgeſchichte der Thiere* 15
Hambergeri, Geo. Erhard, vita et ſcripta 553 ſeqq.
Heiſteri, Laurent. vita et ſcripta 724 ſeqq.
Hemeralopiae cauſa 216. 475 ſeq. remedium 216
Hepatis magnitudo praeternaturalis 139
Hepatici ductus diſtenſio 433
Hernia ventriculi 524. veſicae iſchuriae grauidarum cauſa 53
Hippopotami deſcriptio 24
Hirudinum ſpecies 596
Hiſtoire naturelle générale et particuliere avec la deſcription du cabinet du Roi Tom. VI. 3. de l'academie royale des ſciences de Paris, année 1753. 251. de l'academie royale des ſciences et belles lettres à Berlin année 1756. 698
Holzenſis fontis medicati hiſtoria 248. partes conſtitutiuae 249 ſeq. uſus 250

Hominis natura 16 ſeq. quadrupedis hiſtoria 18
Hydrocephali ſpecies 213
Hydrophobiae exempla 132. per mercurium curatio ibid. prophylaxis 128
Hydropis ſpecies 453. cauſa 708. hydrops bilioſus veſiculae felleae 30. huius ſignum pathognomicum ib. omenti 530. thoracis et pericardii 598. praeter ſpem ſanatus 100. lethalis 124
Hymen imperuium 143
Hyoſcyami effectus 81. 214
Hypnoticum medicamentum ex regno minerali 153
Hypochondriaci mali cauſa 454
Hyſtricis ſetae in humano corpore enatae 218

I.

Iampert, Chriſt. Frid. obitus 186
Iapani hominum genus 19
Ichthyologicum muſeum 322
Icterus a calculis biliariis 30
Iguanae deſcriptio 326
Iliaca paſſio 213
Imaginationis grauidarum vis in foetum 698 ſeqq.
Infanticidii ſigna 139
Infantum recens natorum cura 121
Inflammationes 450 ſeq.
Inflammatorius morbus ſingularis 209
Inoculatio vide variolarum.
Inſtrumentum urinae ex veſica educendae aptum 480
Intercoſtalium muſculorum actio 245
Inteſtinorum per aluum excretio 486. intuſſuſceptio 95. coli conformatio praeternaturalis 138. duodeni delineatio difficilis 247. flexus 248. duodenum perforatum 391
Irritabilitas, circa eam experimenta 483 ſeqq. 488
Iſchuria grauidarum 53. eius curatio ib. ſeq.
von Iuſti, Io. Henr. Gottlob *Grundriß des geſammten Mineral-Reiches etc.* 343

K.

Kleinii, Iac. Theod. obitus 365
Kongl. Suenska vetenskaps academiens handlingar för aor 1757. 579
Kramer, Guiel. Henr. elenchus vegetabilium et animalium Auſtriae inferioris cet, 33
Kratz, Io. Diſſ. ſiſtens hiſtoriam fontis Holzenſis in Alſatia, germanice Holtzbad dicti 248
Krüger, Ephr. Diſſ. de neruo phrenico 430

L.

Labium leporinum 206
Lacertae deſcriptio 325
Lapidum diſtinctio 353. generatio ib. genera varia 354 ſeq. porcini inertia 142. Poudingue, germanice Wurſtſtein deſcriptio 263. 265
Lathyri ſpecies 604
Lauirotte obitus 722
Lauſannenſis epidemia bilioſa 225
Ledermüller, Mart. Froben. microſcopicas oculorum animique delicias edit 367 ſeqq. *Verſuch einer gründlichen Vertheidigung der Saamenthierchen* 435
Leidenfroſt, Io. Iac. acad. reg. ſcientiar. Berolin. ſocius 186
Lepadis ſpecies deſcripta 680
Leporis hiſtoria naturalis 12. deſcriptio phyſica 13
Liber corticis plantarum pars 40

Lienis

Lienis ſitus et figura praeternaturalis 255. magnitudo inſignis 112. 138
de Limbourg, Robert. ab acad. ſcientiar. Burdigalenſ. praemium accepit 364
Linguae ſuppuratio 129
Liquoris, eau de Luce dicti, praeparatio 480. 482. 493
Lithargyrium ex biſmutho 269
Lithotomia cum lithotomo occulto 209. Celſianae utilitas et operatio 476 ſeq.
Lochiorum fluxus nimius lethalis 47
Longaeuitatis patriarcharum cauſa 527
Lotharingici balnei cum thermis Plomberianis conuenientia 493
Lucis mutua penetratio 70
Ludwig, Chriſtian Gottl. inſtitutiones hiſtorico - phyſicae regni vegetabilis 35. Progr. ſiſtens obſeruationem, quae viam bilis cyſticae declarat 433. Inſtitutiones medicinae clinicae 442
Lumbricorum terrae reproductio 62
Lunariae ſpecies 118
Luxatio femoris vera 88
Lymphae in venas effuſae uſus 338
Lymphatico - ſeroſi ſyſtematis morbi 452

M.

Madreporarum ſpecies 391 ſeq.
Magazzino toſcano d' inſtruzione e di piacere Tom. I et II. 313
Magneſiae virtus et differentia 74. cum calce viua coniunctio 75. vis attractiua ib. 79
Maniae definitio 457. per ſaliuationem curatio 143
Manuſtuprationis damna 231
Martin, Roland acad. reg. ſcientiar. Holmienſ. ſocius 365
Martyn, Io. hiſtoria plantarum rariorum 298
Maupertuis, Pet. Lud. Moreau obitus 722
Maxillae inferioris caries 584 ſq.
Meckel, Io. Frid. Diſſ. epiſtolaris de vaſis lymphaticis glanduliſque conglobatis 336
Medicae obſeruationes 471 ſeqq.
Medicamenta ſpecifica contra carcinoma 128. in animalium rabidorum morſu 495. contra dolores podagrae 500. euacuantium effectus cardiacus 230
Medulla oſſium adeps 636. eius origo 519
Melampyrum, coeruleus color ex eo 594
Melancholiae definitio 457
Membranarum geneſis 519. ſenſibilitas 211 ſeq.
Menſtruorum vitia 452. obſtructio a refrigerio 99. eam ſanandi methodus noua ib.
Mercurii virtus in hydrophobia 132. 200 ſeq. 219. 479. in mania 143. camphorati in lue venerea uſus 220 ſeq. 487. ſaliuationem non cientis praeparatio 133
Metallorum character et diſtinctio 345. mineraliſatio 346
Meteori deſcriptio 252
Methodus botanica Zinnii 327 ſeqq.
Meyer, Io. Dan. *Vorſtellung mancherley fremder und ſeltener Thiere* 297
Miliaris febris ſymptomata 532
Mineralis regni ſciagraphia 343
Mineralium corporum claſſes 345.

345. inflammabilium ordines 351
Mineraliſationis modus et cauſae 346
Minerarum geneſis 345 ſeq. locus in ſyſtemate 550
Modenenſis academiae (degli conghietturanti) hiſtoria 64
Moluccae ſpecies 603
Monro, Alex. de venis lymphaticis valuuloſis et de earum in primis origine 339
Monſtri humani deſcriptio 196. 402 ſeqq. 461 ſeq. 535. canis hiſtoria 700
Morborum tabula ſynoptica 443. morbus aleppicus 312. epidemicus Rothomagenſis 261. huius cauſa ib. ſymptomata et curatio 262. epidemici Aleppenſes 304. 307. Pariſienſes 259 ſeq. nigri ſpecies 501. eius cauſa 492. ſicca tempeſtate pauciores ſed acutiores 260
Morſus hominis irati periculoſus 121
Moſchi virtus 82 ſeq.
Mulierum morbi venaeſectionem indicantes 172 ſeq.
Mumiae deſcriptio 219 ſeq.
Muſci minus cogniti 117
Muſculorum intercoſtalium actio 245. muſculus femoris nouus 529
Muſeorum Danicorum recenſio 683 ſeq.
Myrrhidis ſpecies 525 ſeq.

N.

Naeuorum maternorum cauſa 699 ſeq.
Napaeae foecundatio per marem 148. eius deſcriptio 149
Natron 352
Necroſis floralis cauſa 710 ſeq.
Nectarii in plantis deſcriptio 539. uſus 41. 542. ſucci indoles et virtus 542 ſeq.
Nerui optici fabrica 65. phrenici ortus 430 ſeq. ramulorum diuiſio 431 ſeq. cum intercoſtali nexus 433
Neruoſi ſyſtematis morbi 455
Nitrum veterum 352. murarium num ad regnum minerale pertineat? ib.
Nordmann, Io. Petr. Diſſ. de iſchuria grauidarum 53
Noua acta phyſico-medica academiae Naturae Curioſorum Tom. I. 113
Nutritionis in febre acuta neceſſitas 514 ſeq.
Nux vomica in hydrophobia 128

O.

Obſeruationum medicarum collectio periodica Tom. III. 195. medicinalium faſciculus 598
Obſtetriciae artis inſtrumentorum hiſtoria et applicatio 151 ſeq.
Oculi maculae a ſolis aſpectu 129. vulnus lethale 131. procidentia 162. mutatio in formatione pulli 241
Omphalocelotomia funeſta 132
Onocrotali auis hiſtoria 149
Opiata in partu difficili 50
Opii virtus 412 ſeqq. effectus eius uſum ſequentes 413. cum vino comparatio 415. analyſis chemica 418 ſeqq. doſes in medicina aſſumendae 427. correctio 220. 226. experimenta cum opio in animalibus viuis et moribundis 87 ſeq
Opisthotonus lethalis 115
Oſſeum concrementum per anum eiectum 134 ſeq. in utero 460.

460. oſſea fruſta ex urethra egreſſa 492. in pia matre inuenta 222. oſſei nuclei formatio 519. canales in maxilla ſuperiori nouiter inuenti 212
Oſſificationis cauſa 522
Oſſium geneſis 518. vaſa 520. incrementum ib. ſeq. in cartilaginem mutatio 522. emollitionis in femina Supiot deſcriptio 279 ſeq. eius cauſa 280. parietalium laeſio 473. caries 584 ſeq. fragmenta magna effoſſa 69 ſeq. oſſa in ouario feminae reperta 86
Oua incubata, cum illis inſtituta experimenta 236 ſeqq. oui ſerpenti formis deſcriptio 400
Ouarii morbi 461. ouarium oſſa continens 86

P.

Palmae corticis vis anthelmintica 85
Pancreas ſcirrhoſum 390
Papaueris ſucci effectus 220
Pariſienſis acad. reg. ſcientiar. hiſtoria ad ann. 1753. 251. acad. reg. chir. theſis et praemium ad ann. 1760. 185
Partus varietates 120. laborioſus 45 ſeq. lentus ob foetus mortem 47. per rupturam abdominis ſactus 91 ſeq.
Pectoris vulnus lethale 140 ſeq. dolor curatus 144
Pelicani hiſtoria 137. 149 ſeq.
Peluis auguſtia partus difficilis cauſa 48
Perforatorii in partu difficili uſus 50 ſeq. 152
Pericardii fabrica 650. aqua ib. morbus 390. expanſio et cum pleura adhaeſio 254. inflammatio 703 ſeqq.
Perioſtii natura 521
Peripneumonia 533. ptyaliſmo ſpontaneo curata 599. ſpuria 154 ſeq.
Perſi hominum genus 19
Perſpiratio capitis ſuppreſſa hemeralopiae cauſa 217
Peruuiani corticis uſus in febre 103. 197. in hydrope 146. in gangraena 496
Peſtis cauſa 448. Aleppenſis 308 ſeq. huius ſymptomata 309. prophylaxis 311 ſeq.
Petalorum cum foliis comparatio 41
Petrefacta 352. eorum ordines ib. ſeq.
Petropolitanae acad. imperial. ſcientiar. praeſes et membra ſub initium anni 1758. 179 ſeqq. academici exteri quotquot fuerunt ab initio academiae 182. theſis et praemium ad ann. 1759 et 60. 184
Pharmacopoeia Argentoratenſis 428
Pholates foſſiles 607
Piſana balnea 104. eorum ſitus et antiquitas 105. inſtauratio 106. calor eiusque cauſa 107. virtus 108 ſeq.
Piſaurienſis agri foſſilia 112
Piſcium genera 322 ſeqq.
Placentae ab utero violenta ſolutio 47
Placentini, Iac. Diſſ. de vena, quae in morbis particularium partium corporis ſit ſalutarius incidenda 164
Plancus Ian. acad. reg. ſcientiar. Berolin. ſocius 186
Plantarum cuticula et tela cellularis 39 ſeq. fiſtulae ſpirales 40. ſucci ib. tracheae 360. rubigo 709 ſeq. huius cauſa 711.

711. ſeminum vis vegetatiua diu perdurans 584. foeminearum foecundatio per mares 148. genera nectariis praedita 540. hybridarum ortus 38. Americanarum faſciculus V et VI. 174. plantae horti academici Goettingenſis 326 ſeqq. circa Aleppum naſcentes 303 ſeq. inſulae Teneriffae 666
Platina di pinto, experimenta cum illa 597
Pleurae fabrica 649. cum pulmonibus contiguitas 87
Pleuro-peripneumonia epidemica 199
Pleuritidis diſtinctio 154. vernalis a brumali differentia 155 ſeq. ſymptomata 156. ſolutio et curatio 157 ſeq.
Pleuriticorum demortuorum ſectio 155
Plumbum 349. eius minerae ib.
Plumierii, Carol. plantarum americanarum faſciculus V et VI. 174
Poae aquaticae cultura 583
Pollutionis nocturnae ſpecies 233
Polzinenſis fons medicatus 119
Pratincola nouum auium genus 34
Promtuarium Hetruſcum inſtitutioni et oblectamento dicatum Tom. I et II. 313
Pubertatis ſigna 20
Puer inter urſos repertus 18
Puerperarum febris miliaris 489 ſeq.
Puiati, Ioſ. Ant. de victu febricitantium 509
Pulli in ouo incubato mutationes 237
Pulmonum inflammatio clandeſtina 318. reſpiratione excitatorum ſignum 246. cum pleura contiguitas 87. mutatio in pulli formatione 240. ſiniſtri defectus 253 ſeq. huius cauſa 254
Pulſus venarum 255

R.

Rabiei ſpecies 178. eam curandi methodus 219
Raccolta d'opuſcoli ſcientifici e filologici Tom. L et LI. 110
Radicum plantarum differentia 36. fibrillarum deſcenſus 40
Ranae viridis aquaticae hiſtoria 282. maſculi a femella diſcrepantia 283. ouorum mutatio 284. partium internarum fabrica ib. ſeq. a bufonibus differentia 285. ranarum noſtratium hiſtoria naturalis 282
Recueil periodique d'obſervations de médécine, de chirurgie et de pharmacie Tom. III. 195. Tom. IV. 210
Regenfus, Frantz Mich. *auserleſene Schnecken, Muſcheln und andre Schaalthiere* 681
Reichel, Geo. Chriſt. Diſſ. de vaſis plantarum ſpiralibus 360
Renum ſitus praeternaturalis 112 ſeq.
Reſpirationis mechaniſmus, circa eum experimenta 244 ſeqq.
Rheumatiſmi diſtinctio 454. curatio 122
Roedder, Bernh. Wilh. *Beſchreibung des zu Driburg im Hochſtiffte Paderborn gelegenen Geſund- und Stahlbrunnen* 355 ſeqq.
Roederer, Io. Geo. de uteri ſcirrho 42. obſeruationum de partu laborioſo decades duae 45. Regis magnae Brittanniae archiater factus 724

Roeſel,

Roeſel, Aug. Io. hiſtoria naturalis ranarum noſtratium 282. eius obitus 552
Roncalli, Franciſc. Comes in variolarum inoculationem diſſertatio epiſtolaris 536
Rubeta bufonum ſpecies 290
Ruſſel, Alex. natural hiſtory of Aleppo and parts adiacent 301

S.

Sabatier, Io. Petr. tentamen medicum de variis calculorum biliarium ſpeciebus cet. 26
Saggi di medicina degli academici Conghietturanti di Modena Tom. I. 64
Salamandrae deſcriptio 326
Salmonis penis 256
Saliuae fluxus enormis 129. per ſaliuationem eductae examen 620 ſeq.
Salium diſtinctio 351. ſedatiui Hombergi compoſitio 265 ſeq. ammoniaci uſus in febre 134. alkalini fixi rhinocerotis examen chemicum 715. alkalinus mineralis fixus 351. mineralis volatilis an detur? 352
Saluiae infuſi uſus 195
Sanguinei ſyſtematis morbi 445 ſeqq.
Sanguinis circulus 644 ſeqq. ab opio celerior 421 ſeq. in pullo 235. motus per arterias 167. motus cauſa 661. deriuatio 166. 169. huius menſura 167. reuulſio 166. 169 ſeqq. transfuſio 647. tranſitus per hepar in foetu humano 270 ſeq.
Saponacei medicamenti in calculo uſus 222 ſeq.
Sarcohydroceles curatio 581 ſqq.
Saturnina medicamenta in haemorrhagiis 600
Scabiei diſtinctio et curatio 453
Scabioſae ſpecies 603
Scarifatio 123. gingiuarum 150 ſeq.
Sceleta foliorum 41
Schaeffer, Iac. Chriſt. acad. reg. ſcientiar. Berolinenſ. ſocius 186
Schaeffer, Io. Gottlieb *Gebrauch und Nutzen des Tabakrauchs-clyſtiers* 613
Schiſtorum fruſta cum floris figuris impreſſis 715
Schlettwein, Io. Aug. ab acad. reg. ſcientiar. Gottingenſ. praemium accepit 185
Scillae radicis virtus 524. in hydrope 152 ſeq.
Scinci deſcriptio 325 ſeq.
Scirrhi uteri ſigna 43 ſeq. curatio 44. ſanati hiſtoria 45. in cadauere diſſectio 44
Scorbuticae maculae 146
Scriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt indicis ſupplementum alterum 186. indicis anni 1756 ſupplementum 189. quae anno 1757 prodierunt index 369 ſeqq. eius continuatio 564. 742
Scytale ſerpentis genus 325
Secundinae extractio 123. per ſexaginta dies retenta 319
Semimetalla 349 ſeq.
Seminis maſculini praeſtantia 231. profuſionis nimiae effectus ib. ſeq. plantarum vis vegetatiua diu perdurans 584
Senegaliae conchylia 665
Senſuum externorum hominis ſubtilitas diuerſa 17
Sinapiſmi uſus 228
Singultus periodicus 472 ſeq.

Solani

Solani uſus et virtus 718 ſeq. doſis 720
Sonchi ſpecies 603
Spatha calicis ſpecies 37
Specifica remedia contra hydrophobiam 201
Spielmann, Iac. Reinhold acad. reg. ſcientiar. Berolinenſ. ſocius 186
Spina ventoſa humeri et brachii 121 ſeq.
Spiralia plantarum vaſa, circa ea experimenta 360 ſeqq. eorum fabrica et uſus 363
Stanni minerae 349. analyſis chemica 714
Steatoma abdominis 144 ſeq.
Sterilitas ex uteri ſcirrho 43
Stramonii effectus 82
Succi plantarum aſcenſus 41
Suecicae acad. reg. ſcientiar. acta ann. 1757. 579
Suffimigium in peſte 311 ſeq.
Sulphur 351. eius minerae ib.
Superfoetationis exempla 120. 254
Synodus piſcium genus 322

T.

Tabaci fumi virtus 614
Tabis pulmonalis cauſa et contagium 316 ſeq. conſilium prophylacticum 317
Taeniae excretio 481. in cane 63. eius ſtructura ib.
Talci uſus in electricitate 252
Tamanduae deſcriptio 24. cataphractae deſcriptio 25
Tartari emetici in febreillioſa uſus 227
Tempeſtates Aleppi variantes 305 ſeq.
Tendinum ſenſibilitas 211 ſeq. 506 ſeq.
Terrae calcariae relatio ad aerem et aquam 77. ex aqua deſtillata puriſſima ſeparatio 701 ſeq.
Teſtudinis aquaticae noua ſpecies 319
Thermarum caloris cauſa 57. ſalium natura 59
Thermometra menſurae conſtantis 150
Tiſſot S. A. D. Diſſ. de febribusillioſis 225
Toloſanae acad. ſcientiar. et artium theſis et praemium ad ann. 1760. 364 ſeq.
Tophaceae concretiones in inteſtinis 93 ſeq.
Tophi geneſis 58
Tralles, Balth. Lud. uſus opii ſalubris et noxius in morborum medela Sectio I. 411
Tremellae ſpecies 60
Trepanatio tibiae 125
Trifolii ſpecies 604
Trip lapidis deſcriptio 711 ſeq.
Tuberoſa radix 36
Tumor cyſticus carcinomaticus cauſtico ſanatus 224
Turfae analyſis et uſus 79 ſeq.
Tuſſis conuulſiua 533 ſeq.

V.

Vaginae uteri prolapſus 125
Valuularum in venis lymphaticis uſus 340
Vandelii, Dominic. Diſſertationes tres, de Aponi thermis cet. 56. de ſenſitiuitate Halleriana epiſtola I. II. III. 506 ſeqq.
Vandermonde recueil periodique d'obſervations de medecine, chirurgie et de pharmacie Tom. IV. 210. V. et VI. 471
Variolarum diſtinctio 448. curatio 478. foetor 261. a natura

tura excitatio 98. per artem inſitio 99. 202. 204 ſeqq. 215. 537 ſeq. 593
Vaſorum lymphaticorum natura 336. 642 ſeq. ortus 337. finis 338
Vectis in partu difficili uſus 49
Vegetabilis regni inſtitutiones 35 ſeqq.
Venarum fabrica et ortus 640. 642. valuulae 641. pulſus 255. venae cauae pulſus 657. portae in foetu humano ſinus nullus 271. ſanguinis motus directio ib. lymphaticae valuuloſae 339. earum indoles reſorbens 341 ſeq.
Venaeſectionis differentiae 66 ſeq. 166. uſus et abuſus 229. in brachio uſus 170. in apoplexia ſeroſa noxae 455. venaeſectio in praecauendo abortu 121. largior in grauidis nociua ib. in infantum pulmonum inflammatione 318. in febre maligna 447. in febre lenta 450
Venereae luis contagium 136. curatio 453
Ventriculi conformatio mala 139. hernia 524. mutatio in formatione pulli 240 ſeq.
Verbaſci ſpecies 399 ſeq.
Vermes inteſtinales 221. equorum 61
Vermis-leonis deſcriptio 273
Vertiginis cauſa 455
Veſicae urinariae ſtructura 257. collum 258. uvula ib. calculus inſueta via extractus 115 ſeq. calculi 203. 222. 523
Veſiculae felleae inflammatio 31. ruptura ib. ſeq. calculi 434. 483 ſeq. defectus 219. bilis nulla 124
Vichienſium thermarum hiſtoria 264. analyſis chemica ib. virtus 265
Victus animalis noxa in febre acuta 512
Virium in febre acuta moderamen 513
Vitelli tempore incubationis augmentum 241. arteriae et venae ib.
Vitiliginis ſpecies 130
Vlcera venerea curata 144. ulcus cutaneum aleppicum 312
Vlnae fractura 202 ſeq.
Vmbra nouum piſcium genus 34
Vncorum in arte obſtetricia uſus 152
Vocis mutatio pubertatis ſignum 20. organa in quadrupedibus et auibus 268
Vogel, Rud. Auguſtin. acad. reg. ſcientiar. Holmienſ. ſocius 365
Volua calicis ſpecies 37
Voluuli inteſtinorum hiſtoria 96
Vrinae ſuppreſſio in hyſterica 218. retentionis voluntariae cauſa 259
Vteri haemorrhagia eiusque curatio 142. grauidi haemorrhagia lethalis 136. gangraena lethalis 52. prolapſus verus iſchuriae cauſa 53. ſcirrhus 42. ſterilitas ex ſcirrho 43. ſtrangulatio 127. tumor tunicatus 461. orificii cum vagina concretio 463. vaginae prolapſus 125. uterus obliquus partus difficilis cauſa 48. humanus bifidus cum vagina duplici 462

W.

van Wachendorff, Everh. Iac. obitus 365

Z. Zin-

Z.

Zinnii, Io. Gottfried Catalogus plantarum horti academici et agri Gottingenſ. 326. eiusdem obitus 366

Emendanda.

pag. 17. lin. 9. factum l. tactum. p. 68. lin. 22. qua l. quae. p. 94. lin. ult. ſcarifatione l. ſcarifationem. p. 100. lin. 3. ſanatae l. ſanati. p. 103. lin. 27. tincturae l. tinctura. p. 124. lin. 20. conuſionibus. l. conuulſionibus. p. 130. lin. 10. ſalubilis l. ſolubilis. p. 140. lin. 27. formati l. formata. p. 166. lin. 16. imiginati l. imaginati. p. 173. lin. 18. ſaepiſſe l. ſaepiſſime. p. 177. lin. 11. Ananonae l. Annonae. p. 208. lin. 6. ſanguis l. ſanguinis. p. 222. lin. 4. conuufiuis l. conuulſiuis. p. 224. lin. 15. fiſtnla l. fiſtula. p. 246. lin. 34. foeum l foetum. p. 263. l. 8. Wurſtein l. Wurſtſtein. p. 315. lin. ult. humanus l. humanum. p. 326. lin. 7. Cordytus l. Cordylus. p. 378. lin. 13. BEAVME l. BAVME. p. 382. lin. 25. Traitiſe l. Treatiſe. ead. pag. l. 26. poſt 8 adde c. f. p. 457. lin. 11. manca l. mania. p. 530. lin. 1. omeni l. omenti. p. 567. lin. 21. poſt. etc. adde P. I. II. 8. p. 743. l. 4. MALCET l. MALOET ead. pagin. l. 24. adde Reſp. *Guillelm Fumée* p. 750. l. 8. adde Reſp *uillelm. Berthold.*